



En damus tibi christianissime lector, Commentaria Bibliorum et illa brevia quidem ac catholica, eruditissimi simul ac pijssimi uiri Chuonradi Pellicani Rubeaquensis, qui & Vulgatam commentarijs inseruit aeditionem, sed ad Hebraicam lectionem accurate emendatam. Habes autem in hoc opere quicquid syncerae theologiae est. Ideoque si sapis ex ipso potius Sacrorum fonte, quàm riuulis Religionem ueram imbibe.

<https://hdl.handle.net/1874/399998>

COMMENTARIUM

IN

EVANGELIUM SECUNDVM LVCAM.

PRAEFATIO.



VONIAM QUIDEM MULTI CONATI SVNT ORDINARE narrationes, quæ in nobis completæ sunt rerum, sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi uiderunt, & ministri fuerunt sermonis:

Lucas hic est patria Antiochensis Syriae, familiaris apostolorum omnium, sed præcipuus affectator Pauli atq; peregrinationis illius indiuiduus comes. Ex conuictu apostolorum scripsit Euangelium, ex his quæ Paulus, ipso teste, gessit, scripsit uolumen cui titulum fecit Acta apostolorum. Eam historiam

produxit usq; ad secundum annum Pauli Romæ commorantis, hoc est, usque ad quartum ferme Neronis Cæsaris. Satisq; constat inter eruditos hunc esse, cuius toties in epistolis meminit Paulus, uelut in epistola ad Corinthios secunda: Misimus etiam cum illo fratrem nostrum, cuius laus est in euangelio per omnes ecclesias. Rursus ad Collossenses: Salutatur, inquit, uos Lucas medicus charissimus: & ad Timotheum secunda: Demas me reliquit, &c. Lucas est mecum solus. Quin & illud proditum est à ueteribus, quoties Paulus uocat euangelium suum, ut ad Timotheum, etiam sentire de euangelio Lucæ. Quod quemadmodum Marcus ex autoritate Petri, ita Lucas ex autoritate Pauli conscripserit historiam euangelicam. Hieronymus arbitratur eum Græcæ literaturæ cæteris fuisse peritiorem, & ob id exactius contexuit narrationem historicam, ab ipsa Ioannis Baptistæ conceptione exorsus, permulta referens de natiuitate deq; infantia, quædam etiam de pueritia Iesu. Et quemadmodum Matthæus euangelium, Petrus epistolas, scribunt Iudæis potissimum: ita Lucam euangelium potissime scripsisse gentibus liquet, nimirum discipulum Pauli, qui ut doctor erat gentium, ita ad gentes scripsit omnes epistolas, præter unam ad Hebræos. Scripsit post Marcum, sed ante Ioannem. Cum autem multorum euangelia reiecta sint, ut Basilidis & Appellis, qui sub nomine Thomæ uel Matthiæ & Bartholomæi, quin & Nicodemi, euangelia scripserunt, hic cõsentiente omni ecclesia receptus est, spiritu sancto dictante. Huius autem Lucæ medicipharmacum euangelicum intra paucos annos cunctas totius orbis regiones peruasit, sanauit, uicit Græcos & Barbaros, doctos & indoctos, plebis contra errores mundi, ut tot hominum millia relictis patrijs legibus, relictamaiorum religionem, relictis uoluptatibus ac uitijs, quibus ab incunabilis aetate diuersis institutis, in humilem quandam philosophiam consentirent. Ea potissimum ætate, quum nulla magis fuerit instructa præsidij uel eruditionis uel facundia, uel etiam monarcharum potentia: quumq; mundus omnibus suis præsidijs pugnaret aduersus inermem euangelij ueritatem, tamẽ efficere non

AA

potuit, quin ea primū occupata Græcia Neronis urbem & aulam inuaderet, moxq̄ per omnes Romani imperij prouincias sese spargeret, usq̄ ad Gades & Indos, usq̄ ad Afros & Scythas, & penitus toto diuisos orbe Britannos. Hæ gentes linguis, legibus, ritibus, moribus, institutis, dijs, religione, forma, plurimum inter se dissidebant, mox ex tanta discordia facti concordēs, eandem cantionem canere cœperunt, Iesum Christum unicum orbis dominū, seruatorem, laudibus uehentes. Interim direptio bonorum, exilia, carceres, cruciatus, mortes, nihil aliud erant quàm profectus euangelij: quod ut nullis terroribus humanis quemquam pertrahebat, ita quàm nihil habebat in speciem plausibile, imò quàm multa incredibilia humano sensui. Annunciat Iesum suffixum cruci, qui morte sua liberarit genus humanum, hunc esse deum & hominē, natum ex uirgine, qui reuixit à morte, sedetq̄ ad dexteram dei patris, qui docuit beatos esse qui hic ob nominis ipsius professionem lugerent, sitirent, esurirent, affligerentur, male audirent, occiderentur, olim reuicturos omnes, tum ipso iudice pios sortituros immortalitatē, impios perennes gehennæ cruciatus. Quis philosophus ausus fuisset hæc tam paradoxa, tam non plausibilia proponere? Et tamen hæc ita persuasit humilis euangelij sermo, ut insanus habeatur qui non credat, ut tot hominum millia uitam citius deserant quàm ueritatis euangelicæ professionem. Tam efficax pharmacum hoc mundo exhibuit hic Lucas medicus spiritu sancto instructus. Hoc ergo sacrosanctū euangelij, primum quidē per apostolos ad hoc ab ipso domino delectos, reliquosq̄ discipulos spiritu sancto afflatos uiua tamen uoce, sed optima fide propagari cœpit, et per omnes mundi regiones, atq̄ indies latius diffunditur. Quoniā autē factius uirtatur narrationis sinceritas, quæ uoce ceu per manus tradita promanat ad plurimos quàm quæ scriptis proditur, idcirco Matthæus apostolus unus è numero duodecim, & Marcus Petri discipulus, afflatu diuini spiritus cōmoniti summam euangelicæ narrationis in literas miserunt, non hoc agentes ut alijs præriperent iisdem de rebus scribendi facultatem, sed ne per pseudopostolos quibusquam circumuentus Iudaismus aut ineptas fabulas pro euangelio sequeretur. Quemadmodū autē, ait, non omnes pari sinceritate prædicabant euangelium, ita nec pari fide qui scribunt tractant historiam euangelicā. Complures enim ita conati sunt cōtexere seriem euangelicæ narrationis, quemadmodum alij rerum scriptores ab hominibus gestarum solent, sæpe falsa ueris admiscerunt; atq̄ ut sunt res humanæ natura procliuēs ad corruptelam, fortassis & in posterum exorientur, qui mentiēdo de gestis & doctrina Christi ac discipulorum eius, efficiant, ut nec ueris habeatur fides. Proinde spiritus Iesus uellicauit & meum animum, Lucas in prologo ait, ut post Matthæum & Marcum, qui summa quidem fide quod tamen satis esse iudicabant, prodiderunt, sed certo consilio quædam alijs scribenda reliquerūt, interim uiuæ uocis officio sunt, quorum alij multa permiscuerunt multum pugnantia cū euangelica doctrina, nonnulli magis hoc spectarunt, ut indignis euangelica grauitate fabulis explerent historiam, quàm ut ea narrent, quæ spiritus sanctus iudicauit ad eternam conducere felicitatem, contexta serie quadam narrationis euangelicæ simul ut ea supplerem quæ sunt ab alijs prætermissa. Neq̄ tamen nos sic teximus historiam seriem, ut nihil omnino prætermittamus eorum quæ gesta sunt & dicta, sed ea duntaxat referimus quæ cognouimus ad euangelicam pietatem & æternæ uitæ fructum pertinere. Nam infinitum sit omnia perscribere quæ Iesus

Iesus uel fecit uel docuit. Sunt autem quæ citra salutis dispendium ignorari nõ possunt, sunt rursus quorum cognitio plurimum adfert utilitatis ad studium pietatis: sunt deniq; quæ citra periculum salutis nesciri possunt, quemadmodũ in rebus diuinis quæ scimus minima portio sunt ad ea quæ nescimus. Ergo nec omnia persequemur, nec incerta commemorabimus, sed ea duntaxat quorum certissima fides nobis facta est ab indubitatis apostolis ac discipulis, qui non solum ipsi pleracq; suis oculis uiderant, suis auribus hauserant, manibus contrectarant quæ nobis narrabant, uerumetiam aliqua pars fuerant eorum quæ gestarant quæ nobis narrabant, utpote qui multa fecerint domini iussu, & illius causa permulta passi sint, nimirum omnibus in rebus indiuidui comites Iesu Christi.

uisum est & mihi affecuto à principio omnia diligenter ex ordine tibi scribere optime Theophile, ut cognoscas eorum uerborum de quibus eruditus es, ueritatem.

Non ideo mihi debet esse leuior fides quod ea scribã, non quæ uiderim ipse, sed quæ ab alijs didicerim. Rei tam inuitatae, tam nouæ atq; incredibili conueniebat, primum fidem ab omnibus corporis sensibus conciliari, deinde prodigijs ac miraculis euidentibus confirmari. Atqui hæc argumenta non possunt esse perpetua. Neq; enim Christus diu se conspiciendum præbuit. Et miracula pro tempore dantur hominũ incredulitati, quondam & ipsa desitura. Satis est ab his initijs esse profecta fidei rudimenta. Vidit, audiuit, cõtretrauit Thomas, & credidit: sed dominus eos beatos pronũciat, qui cum res gestas nõ uiderint, tamen euangelico sermoni non minus fidant, quàm si rebus gerendis interfuissem egerere consuetudinem multa narrant quibus non interfuerunt, sed ab alijs bona fidei didicerunt, ueluti de natiuitate & genealogia Christi, de Magis, de fuga in Aegyptũ, de tentatione satanæ. Nos tamen rerum initia nõ uidimus, sed spiritum quicquid dominus in euangelio promiserat, Vidimus illos afflatos cœlestis, quin etiam in nobis ipsis sancti spiritus uim experti sumus. Vidimus ad nomen Iesu fugari demones, pelli morbos. Vidimus uenena innoxia, Vidimus euangelij maiestatem per homines tenues, humiles, & idiotas, paucis annis per uniuersum orbẽ inclarescere, frustra repugnantibus mundi principibus. Nimirum & hoc prædixerat dominus: Quũ exaltatus fuero à terra, omnia tram ad me ipsum. Tales authores, tales rerum exitus non sinunt nos dubitare, neq; de ijs quæ nostram ætatem præcesserunt, neq; de ijs quæ in postera sæcula adueniunt præstitit: quicquid hinc abiturus prædixit euenturũ apostolis, euenturũ alterum ipsius aduentum, de resurrectione corporum, de præmijs piorum & impiorum. A certissimis igitur authoribus totam euangelicæ rei seriem studiose peruestigauimus, atq; ex his delegimus quæ maxime uidebãtur ad pietatem & fidem euangelicam conducere, non sparsim & carptim attingentes ut quæq; incidere, sed temporis ordinem ac rerum seriem sequuti, diligenter historiam digessimus, altius etiam rem repetentes, uidelicet ab eius conceptione, qui seruatoris aduentũ ut natiuitate ita prædicatione morteq; præcurrit. Tum de noua conceptione uirginis, de natiuitate pueri, de circumcissione, de purifica-

catione, de prophetis in puerum æditis, de quibusdam diuinæ indolis indicis, quæ iam tum in puero ueluti scintillulæ quædam emicuerant. De quibus ceteri, qui cum fide scripserunt ante nos penè nihil attigerant. Post hæc de baptismo & prædicatione Ioannis, de baptismo Iesu, de tentatione, de doctrina, de prodigijs, de morte, de sepultura, de resurrectione, de reditu in cœlum. His ordine digestis, altero uolumine addemus, quomodo miserit spiritum sanctum, quæque fuerint ecclesiæ nascentis ac semper in maius gliscentis rudimenta: quid gesserint, quid docuerint apostoli præcipui, Petrus, Iacobus, Paulus, & Barnabas, quibus miraculis, quibus afflictionibus nomen domini Iesu glorificauerint. Non quod arbitrer hæc tibi noua futura, optime Theophile, sed partim ut ordine recognoscas quæ carptim ab alijs didicisti, partim ut certiore fide per scriptas scripto nostro, quæ uiua uoce pridem ab alijs audieras, repudiatis neque rium fabulis, quas nunc falso euangelij nomine uenditant: neque tu solum (neque enim hæc uni scribimus) uerumetiam omnes uel huius ætatis uel posteri, qui hoc sunt aut futuri sunt quod tu nomine diceris, hoc est, omnes Theophili, qui satanæ renunciantes prompta credulitate pijsque studijs ambiunt amicitiam dei, qui que speretis huius mundi malis ac bonis inhiant ad ea quæ perennia sunt ac cœlestia.

CAPUT PRIMVM.

A



Vit in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos quidam, nomine Zacharias, de uice Abia, & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabeth.

Cum iam adesset tempus illud diuino consilio præfinitum, varijsque prophetarum oraculis prædictum, ac tot iam sæculis à pijs hominibus exoptatum, ut dei filius humanam naturam assumeret, sua morte redempturus humanum genus, doctrina & exemplo ad pietatis studium instructurus, promissisque suis erecturus ad spem uitæ cœlestis, quoniam nouum erat totum quod gerendum erat, & incredibile apud homines, uerbum incarnari, uirginem parere, crucifixum resurgere, & similia, maxime uero Iesum Messiam fore, cuius aduentum omnium prophetarum uaticinia promiserant, quem tota Mosi lex adumbrarat, à quo uno salus esset omnibus speranda; proinde diuino consilio paratus est, qui cœlestem uirginis partum, & ipse mirabiliter natus, præcurreret, qui nobilitate generis, qui inaudita uitæ sanctimoniam, rarisque dotibus, paratam apud omnes auctoritate, Iesu nondum nato primam notitiam ac fidem conciliaret apud incredulos Iudæos. Mox Christus proditis uirtutibus obscurauit Ioannis gloriam: sicut & euangelicæ philosophiæ maiestas mundo prodita, Mosaicæ legis literalem antiquauit auctoritatem. Iacob autem patriarcha mortis uicinus fatidico afflatus spiritu, cum futura prædicans filijs, ad Iudam uenisset, cuius tribu proditurus erat Christus iuxta carnem, uaticinium huiusmodi deprompsit: Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec ueniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Hæc prophetia satis euidenter significabat, tum uenturum Messiam, quum Iudaica natio quæ semper à suæ gentis ductibus iudicibus, regibus, & sacerdotibus, fuerat gubernata, pareret alienigenæ principum: simul & indicans euangelicam gratiam à Iudæis speratam ad gentes demigraturam. Sed primus omnium Herodes Antipatri filius, quum non esset Iudaici

daici generis, & alioqui uir impius non solum in gentis honorē cooptatus est, uerum etiam fauore Cæsaris regnum in Iudæos obtinuit. Proinde uel hoc inditio conijcere poterant scribæ & pharisæi, legis scientiam profitentes, iam adesse tempus quo nasceretur ille, qui regnis terrenis abolitis, inueheret regnum cœlestē, quiq; pro tyrannicis pastores, pro dominis patres faceret. Porro quum Iudaici sacerdotij summa quædam & admirabilis esset apud omnes dignitas, prædixerat spiritus sanctus per prophetas, & hoc abrogandum, posteaquã uenisset ille, qui non oleo corporali unctus ab hominibus, sed oleo cœlesti iuxta spiritum unctus est à deo, unico sed efficacissimo sacrificio tolleret omnia peccata mundi, perq; fidem euangelicam ac diuini spiritus largitatem sanctificaret uniuersa. Prædixerat enim Daniel post hebdomadas annorum à deo præfictas futurum, ut ungeretur sanctus sanctorum, ac deinde cessarent hostiæ & sacrificia ueteris legis. Quum uenerint æterna, cessabunt temporaria: quum uenerint spiritualia, cessabunt carnalia: quum uenerit ueritas, cedent simulachra: quum uenerit lux, euanescent umbræ: quum cœperit loqui Christus, obmutescet crassior uox legis, donec & ipsa palam profiteatur eum, quem antehac typis quibusdam ueluti nutibus innuebat. Hoc igitur tempore, quum Herodes primus alienigena, deinde uir impius, & multis homicidijs & paricidijs funestus, rerum summa potiretur apud Iudæos, non ex autoritate dei, sed fauore Cæsaris Augusti, & apud Iudæorum primores iam extrema regnaret impietas, domini Iesu aduentus his initijs primum cœpit innotescere mundo. Erat sub impio rege sacerdos aliquis pius, nomine Zacharias, quem id temporis iuxta Dauidis ordines, qui uniuersum sacerdotum genus in uigintiquatuor sortes ac uices in orbem recurrentes, ad sacrorum administrationem uocabat, iuxta illud I. Paralip. 24. Dum igitur hic ordo sortibus digeritur inter uigintiquatuor familias, octauus locus obtigit Abiæ, à quo descenderat hic Zacharias, in cuius quoq; uices successerat. Erat autem & uxor Zachariæ Elizabeth, non tam generis nobilitate commendabilis (ducebat enim genus è primo gentis Israeliticæ sacerdote Aaron) quam morum integritate uenerabilis, ne non esset tali marito digna coniunx. Erat enim uere sanctum coniugium, non tam conjunctione corporum quam animorum similitudine, ac pietatis societate confederatum.

Erant autem ambo iusti ante deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus domini sine querela:

Non iustitia pharisæorum iusti erant, sed synceris animis: sic omnia legis dei præcepta seruabāt, ut nec hominibus darent ullam ansam reprehensionis, & quod est difficillimum, oculis etiam dei semet totius uitæ puritate commendarent, procurante nimirum & hoc diuino consilio, ut is qui Christo uenienti commendatus: primum generis paterni simul & materni sacerdotali nobilitate, postremo glorioso morte pro ueritate suscepta. Talis nimirum præco decebat eum qui uenerat uniuersum mūdum odore bonæ opinionis ad se pellecturus. Plena igitur laudatio, quæ genus, mores, officium, factum, iudicium comprehendit: genus in maioribus, mores in æquitate, officium in sacerdotio, factum in mandato, in iustificatione iudicium. Ante deum iustum esse, est bonitati di-

uinae probari ex gratia non meritis tantum. Incedere in omnibus mandatis, est studere cum diligentia timori diuino & ipsius uoluntati, multa diligentia omnia odire quae deo displicere nouit. Iustificaciones dicuntur ceremoniae legis, & iudicia integra, & legi diuinae conformia conseruare, & ab omni impuritate mentis & corporis abhorrere; quale & erat temperantem esse à congressu, dum sacra peragēda essent in templo à sacerdote, tempore administrationis suae. Sine querela additur, ut Paulus uult irreprehensibilem esse episcopum, ita uiuentē, ut iure à nemine reprehendi possit, nimirum non solum à malo, sed etiam ab omni mali specie abstinentem.

& non erat illis filius, eo quod esset Elizabeth sterilis, & ambo processissent in diebus suis.

Natiuitatis nouitas, et ex sterili ac uetula miraculū, excitare debuit animos hominum in admirationē Ioannis, ne plebeium aliquid expectarent ab eo, qui non iuxta uulgarem naturae cursum, sed coelesti beneficio natus esset. Parū felices tunc habebantur quamlibet sancti, qui consenuissent orbi. Vt enim magnifica apud sanctos semper habita est matrimonij fecunditas, ita sterilitas cum primis erat in probro, & inter praecipua uitae mala habebatur sacrum populum locupletare aliqua prole non posse. Ea res grauius discutiabat animos amborum, sed praecipue Elizabeth, quae iam probroso cognomine uulgo sterilis uocabatur. Auxerat prolis desperationem utriusque senectus, sed quod naturae negatum, indulgit diuina bonitas. Saep̄ autem steriles leguntur iuxta foeminae, & iustorum uxores, ut dei gloria ex miraculoso partu tandem inlarefceret magis.

Factum est autem cum sacerdotio fungeretur Zacharias in ordine uicis suae ante deum, secundum consuetudinem sacerdotij, sorte exijt ut incensum poneret, ingressus in templum domini, & omnis multitudo populi erat foris orans hora incensi.

Quum Zacharias sacerdotij sui munere in octauo ordine de uicibus uigintiquatuor sua in sorte & hebdomada ingrederetur, operaturus in sacris, pro suo officio, iamque ex more destinato sibi, sabbatho introiret, non in sancta sanctorum, sed in sancta, hoc est, priorem partem templi, ubi quotidie lucernae adorandae erant, & incensum ponendum quotidie, hora sacrificij iugis. Quod erat sacerdotum omnium suo tempore officium, quibus alius praerat sacerdos summus, qui semel tantum in anno sancta sanctorum ingrediebatur, in festo purificationis, cum sanguine hirci & uituli immolati pro peccato populi: quanquam in secundo templo multa uideantur mutata, non in melius. Alioqui nemo in sancta admittebatur praeter solos sacerdotes. Leuitae in atrio seruiebant, ante quem populus consistens in suis ordinibus orabat foris, seclusus uelis, interim deprecantes, ut quod pro totius populi salute offerebatur in ara holocausti & incensum, deus ratum habere dignaretur, donec sacerdos peracto sacrificio prodiret ad atrium, reliquaque perageret, quae ad sacrificij legitimos ritus pertinebant. Nec orabat solum pro populo, sed ante omnia pro se iuxta legis praescriptum, nimirum mortalitatis et ipse, erroribusque et uitijis humanis obnoxius. Quum igitur Zacharias inter alia olim crebro uotis deum fatigasset pro filio, proque publica populi redemptione, multis iam saeculis expectata sanctis, patris sacerdotis uotum ad deum usque pertrabat, angelis nimirum pferentibus, et responsa nonnumquam referentibus. Interim uero populus, ut dictum est, foris stabat hora sacrificij & orationis pariter & incensum. Apparuit

Apparuit autem illi angelus domini, stans à dextris altaris incensi.
Et Zacharias turbatus est uidens, & timor irruit super eum.

Angelus domini sanctus & minister omnipotentis, qui in tēplo p̄sedeat, in celo missus adstabat ad dextrū latus altaris, in quo odores adolebātur, quod in templo Salomonis positum erat extra ultimum uelum, diuidens inter sancta & sancta sanctorū, & aureum erat: ad dextram autē stat ueluti læta annuncians, quod quæ dextra sunt felicitatis habeāt omen. Hunc ubi cœlesti luce fulgentem subito uidisset Zacharias, nec enim hominū more ingressus est, sed repente sese conspicuū exhibuit, sanē cōturbatus est animo, ac pauore correptus est, nō quod quicquā formidabile p̄ se ferret angelus, sed quod humani corporis infirmitas nō sustinet cœlestiū spirituū maiestātē. Verum ut humanæ imbecillitatis est, ad subitum angeli conspectū inhorrescere, ita illorum benignitatis est, nostrum pauorem blando alloquio tollere. Contra dæmones si quos sua p̄sentia territos senserint, ampliore horrore concutiunt.

Ait autem ad eum angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & uxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & uocabis B nomen eius Ioannem,

Blando uultu & blando alloquio cōpellans Zachariam angelus, ait: Nō est quod expauescas Zacharia, sed est quod gaudeas, nam adfero tibi totiꝑ̄ populo, pro quo intercedis, letum nunciū: annuit deus pijs uotis tuis, uenturus est ille iam olim promissus, multisꝑ̄ iam sæculis expectatus Messias, liberator ac seruator populi sui: nec solum hoc impetratum est quod petisti, uerum etiam illud ad cumulum uotorum adiicit diuina bonitas, quod tu petere non audebas, quoniam fieri posse desperabas: petisti redemptorē, accipies & redemptoris p̄conem, Elizabeth uxoris tuæ diuino consilio dilata foecunditas ingens gaudio rum foenus adferet tibi, ac publica totius populi lætitia, cū priuata tuæ domus gratulatione copulabitur, in hoc proficiet desperata foecunditas, ut omnes intelligant, non esse partum uulgarē, sed authore deo nasci quod nascetur. Pariet quidē uxor tibi, sed nō tibi soli pariet, pariet uniuerso populo, pariet deo, cuius prouidētia totū hoc negotiū temperatur. Hoc mirabilius pariet, quo serius: hoc plausibilius, quod p̄ter sp̄e: hoc felicius, quod filiū nō quemlibet, sed magnū mium munus gratiū ac p̄cursorē, et ueluti anteambulonem. Ad tam excellentes, ut uel hinc admoneatur populus, illū fore deo gratissimū, ac diuinis dotibus affatim cumulātū. Quacunꝑ̄ in re deus electos suos terret, ut in bonū ipsorū id facit, sic ipsos quoꝑ̄ in tēpore cōsolatur promissis, & ad sp̄e erigit meliorē, & erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt: erit enim magnus coram domino,

Quos ad res magnas olim elegit dominus, hos nominibus correspondentibus uoluit nominari, ut Abrahā, Sara, Iacob, & multi. Sic & domino nostro Iesu Ioannis nōmē impositum, et apostolis multis nomina dedit Christus. Sic nunc quoꝑ̄ Iob: Et erit gaudium tibi & exultatio: mœror enim quem hætenus attulit tibi coniugis sterilitas ubere gaudio pensabitur. Nec istud gaudiū intra tuę domus parietes continebitur: gaudebunt tuo gaudio complures amici, qui prius tuo dolore dolebāt; gaudio gestient omnes in natiuitate filij tui, qui sitiunt aduen-

tum Messiae. Hunc ueluti solem, filius tuus ceu lucifer quidam præcurreret, admirabili luce prænunciaturus illius imminentem exortum, qui totius mundi tenebras dispellet. Erit ille quidē incomparabiliter maximus, sed & filius tuus, quemadmodum hoc erit inferior, ita cæteros omnes prophetas, qui hæcenus fuerunt dignitate superabit. Futurus est enim uere magnus, non solum hominum opinione, uerum etiā in oculis domini, cui nemo magnus est nisi donibus, quas ipse largitur. Nec enim opibus aut strepitu uitæ aut regno mundano magnus erit, sed harum potius rerum contemptu, quæ magnos reddunt quosdam in oculis hominum: Et quo minus appetet huius mundi cōmoda, hoc uberius cœlestibus bonis cumulabitur.

*Psal. 131.
Malach. 3.*

& uinū & sicerā non bibet, & spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ, & multos filiorū Israel cōuertet ad dominū deū ipsorū.

Tantū aberit à luxu Ioannes, cæterisq; corporalibus oblectamentis, ut nec uinum nec siceram sit unquam bibiturus, hoc est, quicquid sobrietatem potest adimere homini. Non enim habent locum hæ sordidæ uoluptates in eo, cuius pectus spiritus sanctus occuparit, qui filij tui mentem intra ipsos etiam nū uerit materni sinus latitantis replebit, ut gestu prophetam agat priusquam effarili ceat. Mox ubi cum ætate creuerint diuini spiritus munera, mira perficiet, uel exemplo uitæ sanctissimæ uel admirabili prædicatione. Siquidem iuxta Malachiae uaticiniū, multos ex filijs Israel alienatos à deo, dum freti carnali lege negligunt ea quæ legis figuræ designant, cōuertet ad dominum deum ipsorum, magna libertate prædicans instare regnum cœlorum, ad uitæ prioris penitentiam adhortans, baptismo præludens, abolitioni peccatorū, quæ per Messiam erit uentura. Peculiariter genti Iudaicæ erat propheta destinatus, quare oportuit ipsi nihil ad summam sanctimoniam etiam in externis abesse, ne occasio esset reiiciendi euangelij, quod prædicaturus erat.

Malach. 4. b

& ipse præcedet ante illū in spiritu & uirtute Eliæ, ut conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parare domino plebem perfectam.

Præcessurus erat Ioannes, & cōmonstraturus omnibus eum quem deus in hoc missurus est, ut per unum salus æterna contingat uniuersis. Is Messias priusquam adueniet humilis, ut omnibus sibi fidentibus gratis conferat salutem æternam. Deinde rursus adueniet cum maiestate pro suis cuiq; factis præmiū reddidurus, pijs uitā æternam, incredulis & impijs mortē æternā. Quemadmodū autē iuxta Malachiae uaticiniū, Helias præcursor erit aduentus secundū ac tertiam prædicatione preparaturus animos hominū in diem illum domini magnū ac terrificū: ita Ioannes præcursor erit prioris aduentus, quo deus per Messiam filium suū descendet in terras, per eius prædicationē uniuersos homines ad sui cognitionē & amorē inuitaturus. Et ob id à nonnullis Helias esse creditur, nec immerito, qui spiritu ac uirtute Eliæ præueniet aduentū domini, ut cōuertat corda patrum ad filios, quo Iudæi, qui tantopere degenerarunt à religione maiorū suorum, resipiscant, seseq; referant ad meliorem frugem: & credentes Messiam sermonibus, per quem deus illis loquetur, uere promereantur dici filij Abraham, dum fidem Abraham imitantur: simulq; eos qui cortici legis inhaerentes non intelligunt mentem ac uim legis, conuertat ad prudentiam iustorum, quid dixerunt altius quiddam & sanctius occultari legis testorio, quod breui prædicatione Messiae qui legem absoluet prædicatione proferetur. Huius autem cœlesti prædicationi

dicationi Ioannes praeuius praeprabit animos hominum, ut aduenienti tradat populum non omnino rudem, sed iam agnitione peccatorum suorum, expectatione regni coelestis, ac desiderio uenturi Messiae praepratum atq; instructum. Corda patrum conuertit in filios, dum spirituales antiquorum sanctorum scientiam populis praedicando infudit. Prudentia uero iustorum est, non de legis operibus iustitiam praesumere, sed ex fide salutem quaerere, ut quamuis in lege positi, legis iussa perficiant, gratia tamen dei se saluandos per Christum intelligant.

Et dixit Zacharias ad angelum: Vnde hoc sciam? ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis.

Angelus dum haec loquitur, metum ponit Zacharias. Sed quoniam magnifica promittebat, ac iuxta naturae cursum incredibilia, Iudaeorum more, atq; etiam synagogae typum gerens, postulat signo quopiam pondus astrui promissa angelo. Quo nam argumento praesenti cognoscere queam certum esse quod polliceris in posterum? Nam alioqui reclamatione naturae sensus. Siquidem ipse iam conuenit, & uxor profectioris etatis est quam ut ex ea partus sperari possit uel debeat. Quomodo continget uetulis & effoetis, quod iuuenibus & corpore uigentibus non contigit? Egit ergo & locutus est, contra quam fecerat Abraham, considerans emortuam iam uulnam Elizabeth, igitur de hac sibi licet per angelum exhibita promissione, dubitauit, ideo mutus factus est. Ita si nos ipsos speremus, fide infirmari oportet: si autem dei potentiam & bonitatem, nihil est creditu difficile.

Et respondens angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel qui asto ante deum, & missus sum loqui ad te, & haec tibi euangelizare. Et ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem quo haec fiant, pro eo quod non credidisti uerbis meis, quae implebuntur in tempore suo.

Si haec, inquit angelus, promitteret tibi homo missus ab homine, non iniuria de promisso dubitares. Fateor enim esse supra uires humanas, fateor esse praeter communem naturae ordinem quod promitto, sed nec angelus potest adferre uanum nuncium, neque quicquam est tam incredibile apud homines, quod deus non facile praestet. Ego enim sum angelus ille Gabriel, olim missus ad Danielelem prophetam, qui inter septem, hoc est, innumeros coeli ministros, semper assisto in conspectu dei, paratus ad omne obsequium diuinae uoluntatis. Nunc in hoc peculiariter a deo designatus, ut in hoc negotio, quo non aliud unquam actum est maius aut mirabilius, inter deum & homines internuncium agam. Huius igitur, ne quid diffidas, promissi deus auctor est, ego nuncius ab eo missus, ut haec tibi referam letumque nuncium adferam. Dabitur autem, quando id postulas, quod simul erit & in posterum praestandi promissi argumentum, & praesentis diffidentiae poena: Ecce, subito ab hoc tempore fies mutus, nec poteris quicquam effari, donec filius natus meam fidula synagoga, neque linguam habeant nisi qui prompta credulitate paruerint euangelicae praedicationi. Tot signa credulitatis aderant, ut diffidere de promissis Zachariae sine peccato non potuerit. Apparuit angelus in loco sacro existenti in ministerio dei ueri, iuxta legem purus, orans altissimum: nunciabat quod ad salutem pertinebat omnium hominum, & ad dei gloriam.

Et erat plebs expectans Zachariam, & mirabantur quod tardaret ipse in templo.

Dum hæc sic aguntur in templo inter Zachariam & angelū, populus uniuersus expectabat foris in atrio suo, ut prodiret ex more sacerdos, reliqua peracturus apud aram holocausti in atrio sacerdotum, in conspectu multitudinis. Admirabantur autem quod solito diutius commoraretur in templo. Discamus ut confidenter ita & perseueranter orare, neque dubitare quicquid saluti esse nobis & commodo poterit, suo tempore nos à domino accepturos.

Egressus autem non poterat loqui ad illos: & cognouerunt quod uisionem uidisset in templo. Et ipse erat innuens illis, & permanfit mutus. Et factum est ut impleti sunt dies officij eius, abiit in domum suam.

Tandem Zacharias prodit ad populum, uultu quidem insolitam lætitiæ præ se ferente, sed elinguis. Quibus rebus intellexit populus illi uisum aliquod intus apparuisse. Solet enim numinum ac cœlestium spirituum congressus habitum humani corporis immutare, quemadmodum & olim accidit Moysi. Porro quod lingua proloqui non poterat, nutibus indicabat; nimirum feliciter esset litatum, gratias agerent deo qui uota suorum exaudisset. Permanfit autem Zacharias in templo, fungens officio suo in admirandis sacris usque ad expletum octo dierum numerum. Habebat interim populus Iudaicus mutum sacerdotem cessaturi sacerdotij indicium, eique cessuri qui prolata ueritate rerum in montana regione, qui etiam si intra Ierusalem domum habuisset, non licuisset tamen ei extra ambitum templi per tempus uicis & sortis suæ exire. Erant uero circum templum triclinia pro accubitu & habitatione sacerdotum ministrantiū sacris tempore uicis suæ, donec reditus permetteretur ad propria expletis diebus.

Post hos autem dies concepit Elizabeth uxor eius, & occultabat se mensibus quinque, dicens: Quia sic fecit mihi dominus in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

Expleto legitimo tempore functionis Zacharias recepit se domum suam, ibi fretus angeli promissis, complexus est sterilem ac uetulam suam Elizabeth. Non enim hic libidini uacabatur, sed desyderabatur proles, quæ dei gloriam sua uita & prædicatione illustraret, quiq; præcursor esset futurus, eius qui diu expectatus, tandem perfectam salutem adferret omnibus. Casti coniugum complexus sunt, quos diuina promissio copulat, & donorum desyderia dignorum, non libido. Sanctus est coitus, qui nihil nisi prole ambit. Pius amor prolis, quæ non nobis gignitur, sed publicæ salutis. Porro posteaquam iuxta promissum angeli concepisset Elizabeth, abdidit sese à conspectu populi mensibus quinque, læta quidem de conceptu, sed, ut est uerecunda probitas, suppudescens, quod his qui nondum nouerant hæc auctore deo geri, iam anus adhuc libidini traxisset posset uideri. Nec enim ignorabat quàm sit pronum ad male suspicandū uacasse & male loquendū uulgus hominum. Spectabat & illud prudens mulier, non esse se iactandum dei donum apud populum, donec certum esset, ne si quid sefellisset, sterilitatis probrum, ob frustra speratā anui prolem, conduplicaretur. Verū ubi iā sese certis argumentis cognouisset grauidā, sic suæ felicitati gratulata est, ut hoc

ut hoc totum quicquid esset ad dei bonitatem referret. Hactenus, inquit, sterilis & effœta probro traducta sum apud populū Israeliticum, cui turpior est corporis sterilitas quàm animi improbitas. Sed, ut uideo, dominus in hoc fœcunditatem distulit, quo non solum eximeret me à probro sterilitatis, uerum etiam cumulatius adferret gaudium præter spem nata proles. Nam planè dei munus est, qui quo ipsi uisum est tempore dignatus est ancillā suam respicere, quod posthac unica seraq̄, sed insigni prole, quam deo genui, prædicabor mater felicior multis quæ numerofo partu locupletant suos maritos.

In mense sexto missus est angelus Gabriel à deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad uirginem desponsatam uiro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid: & nomen uirginis Maria.

Præscriptis ita gestis restabat ut sanctior & maior huius mysterij pars per angelum procuraretur: uidelicet, ut quod nunquam ab orbe condito fuisset aut mine uirgine nasceretur homo mortalis. Ergo cum apeteret tempus illud ab æterno præfinitum, ut deus per filium suum mundum uniuersum à mortis ac peccati tyrannide liberaret, misit eundē angelum Gabrielem, ueluti paranymphum ac diuini cum uirgine congressus cōciliatorem. Id factum est mense ab Elizabeth conceptu sexto. Erat ad hoc cœleste negotium delecta uirguncula, non opibus, non nominis claritate, nec uitæ strepitu, non alijs rebus quas hic mundus admirari solet commendata, sed eximijs animi dotibus prædita, quæ commendant hominem oculis dei, puritate, modestia, pietate. Ea habitabat in humili ciuitatula Galilææ gentis apud Iudæos contemptæ. Erat autem uirgo desponsa uiro nulla re nobili iuxta mundi æstimationem, sed animi uirtutibus deo commendabilis, arte faber, cui nomen erat Ioseph, genus ducens è stirpe Dauid, è qua genus traxerat & sponsa, ne res non congrueret prophetiæ quæ Messiam promiserat ex genere Dauid regis. Porrò nomen uirginis Maria, Hu miles delegerat deus, ne quid in hoc cœlesti negotio sibi mundus uindicaret; moribus inculpatissimis ac purissimis delegerat, ne quid in hos criminis possit impingi: casto coniugio iunctos delegerat, ut uirginei partus arcanū in suum usq̄ tempus celaretur. Diuino autem factum est consiliò ut dominum pareret, quæ erat desponsata uiro. Cur autem non antequàm desponsaretur impleta est? Fortasse ne diceretur quod conceperit ex fornicatione. Et bene utrūq̄ posuit scriptura, ut desponsata esset & uirgo. Virgo ut expers uirilī consortij uideretur: desponsata, ne temeratę uirginitatis adureretur infamia, cui grauis alius corruptelæ uideretur insigne præferre. Maluit autem dominus aliquos de sui ortu quàm de matris pudore dubitare, sciebat enim tenerā esse uirginitatis uelut recundiam, & lubricam famā pudoris, nec putauit ortus sui fidem matris iniurijs astruendā. Seruatur itaq̄ sanctæ Mariæ, sicut pudore integra, ita inuiolabilis opinione uirginitas. Nec decuit sinistra uirginibus opinione uiuentibus uelamen excusationis relinqui, quòd infamata mater quoq̄ domini uideretur. Quid autem Herodī, quid Iudæis posset ascribi, si natum uiderentur ex adulterio persequi? Quem in modum & ipse diceret: Non ueni legem soluere sed adimplere, si uideretur cœpisse à legis iniuria, cum partus innuptæ lege damnelere iniuriam & uindicare opprobrium si non agnosceret sacramentum. Quid quod etiam fides Mariæ uerbis maior: asciscitur & mēdacijs causa remouetur?

Videretur enim culpā obumbrare uoluisse mendacio innupta pręgnans. Causam autē mentiendi indesponsata habuit, desponsata non habuit, cum coniugij præmium & gratia nuptiarum partus sit foeminarum.

Et ingressus angelus ad eam, dixit: Aue gratia plena, dominus tecū, benedicta tu in mulieribus.

Cum in suo conclauī Mariā uirgo uacaret rerum coelestium contemplationi, quemadmodum uirginitas amat secretum, Gabriel angelus multa luce conspicuus ingressus est ad eam, nouo genere salutationis, illā affatus est: Aue, inquit, & gaude uirgo gratiosa & fauorabilis, dominum habes tibi fatuentem ac propitiū, & ob hoc eris unice celebris ac laudatissimi nominis inter omnes mulieres. Siquidem omnis proles domini benedictio est, filium dei uice proles accepisse, tanto maior existit benedictio quanto ipse præstat filijs hominum uel tantum, præstat autem infinito. Ex hac salutatione discendum nobis nemini uel tantum boni adesse posse, nisi per domini benedictionem. Eam uero sola ipsius gratia nulloq; nostro merito contingere cuiuscunq; contigerit. Male autem istiusmodi superstitiosi magis quam religiosi, interim docuerunt his uerbis salutationis angelicę multoties repetitis contexere ferta, coronas, quasi non sit blasphemia potius sine mente synceroq; pietatis studio uerba ista recitare inaniter, meritorum quoq; sibi & alijs cumulos congerere, & decies repetere inaniter, dominica oratione nonies neglecta. Qui Christi matrem grato officio salutare uoluerit, angelus sit oportet spiritu dei præditus, nihil nisi dei gloriā querens. Amat ipsa super omnia deum, unde nemo ei gratificabitur nisi qui in primis fide de uera deo gratificari studuerit & eum solum colere, quam ista deo plena sancte profudit.

Quæ cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutio.

Sacratissima uirgo ad subitum aspectum angeli simulq; ad nouam & inauditam salutationis formam auditā, quum ipsa nihil de se magnifice sentiret, non nihil animo conturbata est. Nam quod expauit ad inexpectatum ingressum, uere uirginei cuiusdam ac teneri pudoris erat quod nō ilico respondit, sed secum in animo uersabat quid uellet tam noua tamq; magnifica salutio, partim erat prudentiæ partim modestiæ. De qua Ambrosius: Disce uirginem moribus, uere recundia, oraculo, mysterio. Trepidare uirginum est, ad omnes uiri ingressus pauere, omnes uiri affatus uereri. Discant mulieres propositum pudoris imitari. Sola in penetralibus uersatur, sola reperitur ab angelo. Disce uirgo uirare uerborum lasciuiam. Mariā etiam salutationem angelicam uerebatur, qualis nusquam lecta est, nusquam ante comperta, soli Mariæ seruata. Bene autem sola gratia plena dicitur, quæ sola gratiam quam nulla alia meruerat consequuta est, ut gratiæ repletetur authore.

Et ait angelus ei: Ne timeas Mariā, inuenisti enim gratiā apud deū: Ecce concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum;

Quum non lateret angelum quid illa secum agitaret in corde, sollicita de salutationis insolita forma, non passus est eam diutius animo fluctuare, sed & pauorem blando ademit alloquio, & nouæ huius salutationis causam exposuit. Non est, inquit, quod metuas Mariā, in tuto est tibi quem unice diligis uirginis tatis thesaurus, nec uana salutatione demulceo, & lætissimæ rei & maxime tibi nuncius

nuncijs affum; noli expendere merita tua, diuini fauoris est quod offertur, nō meriti tui, hoc ipso places domino quod tibi non places; sit illud tibi satis, quod nacta es gratiam ac fauorem apud deum, quod ab eo super omnes diligenter mueres, quod te super omnes benedixit, fauorem eius assequuta es, quo te elegit præ cunctis ad mysterium sacrosanctum expediendum, quod erat ab exordio sæculi patribus & prophetis promissum. Non hic dicitur Maria inuenisse gratiam dei pro toto mūdo, ut illam fidelibus ipsa largiatur, Christus ipse solus est, qui gratiam inuenit, tam pro ea sua matre, qua nunquam caruit electa dei magnitudine tam illa quam pro saluandis omnibus, de cuius solius plenitudine tam illa quam nos omnes accipimus. Maria ergo inuenit gratiam, facta est deo grata, non ex se, sed per Christum, nō meritis suis nacta est gratiam, ne gratia nō sit gratia: soli deo honor reddendus pro omnibus. Accipe, inquit, angelus, rem inauditam, sed ueram & sanctam; concipies foetum in utero tuo, ex tua ipsius substantia, pariesq; filium, qui tuus erit filius, de tua substantia generandus: & uocabis nomen eius Iesum, quoniam salutem adfert toti mundo: tu quidem illud iucundissimum toti mundo nomen uocabis, quod os domini nominauit prius & ante secula, filioq; tuo imposuit; ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum, siue ex præputio siue ex circūcissione in unum ouile sub uno pastore rege Messia congregandum.

Hic erit magnus, & filius altissimi uocabitur, & dabit illi dominus deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.

Quantum autem ex humili loco, ex humili puella natus, tamen diuinis uirtutibus erit modis omnibus maximus, adeo ut posteaquam innotuerit mundo, uocandus sit non propheta quispiam uel maximus, sed & reuera erit & dicitur filius altissimi. Cognomen erit maius humano modo, quia quod nascetur erit humana quin & angelica omni cōditiōe sublimius: is solus magnus erit, qui solus iustus & sanctus. Miseri & deiecti sunt homines per protoplastum, & humiliati in terram, unde desumpti sumus. Is Christus magnus erit pro se & omnibus, sicut & sapiens & iustus. Filius uero altissimi, non ut ceteri fideles & sancti per adoptionem, sed & per naturam & æternam à patre & cum patre generaturam, quum sit uerbum æternum deus ipse mūdi conditor, ex gratia & promissa incarnatum in utero uirginis. Uocabitur autem dei filius, hoc est, reuera erit, digne ueraciterq; dicitur; quāquam sit & uerus homo, in una hypostasi, duas naturas includente. Fuit enim ante secula filius altissimi uerbum, sed nō uocabatur, neq; cognoscebatur: postquam autem incarnatum est, & in carne apparuit, tunc & uocatus est filius altissimi, qui apparebat, & miracula faciebat. Audiens autem thronum uel sedem Dauid, ne putes sensibile quoddā regnū, sed diuinum, spirituale, æternum, uniuersale & cœleste, quo regnabit super omnes gētes, per spiritum sanctum, Euangelij gratiā, & ad salutem animarum. Dominus etiam Iacob sunt hi, qui ex Hebræis crediderunt, & ex gentibus fidentur, sed propter fidem magis proprie, quia magis sancte ueri Israelitæ dicuntur. Hoc ergo sibi regnum nobilissimum non occupabit sibi mundi præsidij, quibus regna mundi temporaria rapiuntur, sed pater cœlestis dabit illi regnū Dauid, sacrum, æternum, perfectum & cœleste: ac sic regnaturus est super ueros Israelitas omnes fideles & electos in æternum. Nec huius regni uenturus

Infr. 2. c
Dan. 7. d
Mich. 4. c

est ullus finis, quemadmodum uaticinatus est Esaias propheta, Regnat ergo in sanctis Christus, & ipsi quoque in eo regnant, quorum ipse pax est, iustitia, salus, & gloria, & omnia in eis. Hoc est ergo regnum gratiae, pacis, quod regnum mundi, & carnis robur, potenter dissipat & conterit: aduersus quod inferorum potestas praualere impossibile est, cui tota corruptibilis regni qualiscumque monarchia comparari nullatenus potest.

D Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam uirum non cognosco? Et respondens angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, uocabitur filius dei.

Ex his tam magnificis angeli promissis nihilo factus est insolentior uirginis animus, nec ex rerum sublimitate concepit diffidentiam, non praesumebat animo se quoque cum filio regnante regnaturam, nec ignorabat nihil esse tam arduum quod solo nutu non posset deus: tantum de uirginitatis casta & puritate adamato thesauro sollicita est. Proinde non postulat ab angelo signum, quem admodum fecerat Zacharias, tantum modum rei gerendae uerecunde simul & prudenter quaerit ex angelo cognoscere, respondens hunc in modum: Quanam, inquit, ratione fiet, ut pariam filium, quandoquidem ita desponsa sum uirgini, quo cum nunc uiuo, ut mihi tamen cum eo non sit consuetudo connubialis? Placet enim utriusque castitas, & hanc felicitatem nobis si liceret, cuperemus esse perpetuam: id uero secundum hos dicitur quo ad Ioseph, qui studio uirginitatis laudandae, contendunt Ioseph fuisse uirginem, quod multis ueteribus non probatur, qui ex alia uxore prius filios genuisse eum tradunt, & hos quoque apostolos & fratres Christi dictos: sed omnia incertis argumentis, quando de his nihil solidi scriptura tradit uel clari. Docet igitur modum angelus, & de uirginitate scrupulum eximit uirgini. Nihil hic, inquit, o uirgo geretur iuxta communem naturae cursum, coelestis erit partus, ac coelesti peragetur opifice, castum sponsum tuum amore casto perges prosequi, continget tibi felicissima fecunditas, absque ullo uirginitatis detrimento: non enim tibi in hoc additus est sponsus, ut is te matrem faciat, aut tu illum patrem, sed hac ratione diuina praesentia tuae incolumitati, tuae famae ac uirginitati debita quoque tranquillitati consulsum esse uoluit. Voluit adesse certissimum testem noui partus: noluit deesse, qui casto conuictu, qui fidei obsequiis tibi pueroque qui nascetur inseruiret. Denique hoc consilio uoluit hoc mysterium caelatum esse incredulis, caelatum etiam impijs spiritibus, Sanctus hic diuinae naturae cum humana coitus non uiolabit fiduciam tuam, sed consecrabit. Decreuit pater coelestis nouo modo uiri mortalis semine, sed spiritus sanctus coelitus illabatur in te, in quo tuo uero in officina coelesti sacri foetus mirabile opificium peraget, ac pro mariti corporali complexu obumbrabit tibi altissimus: sic immensam uirtutem suam ad humanam naturam modum attemperans, ut congressum sustinere possit. Vbi libido intercedit in coitu, ibi quod nascitur, immundum nascitur, & peccato obnoxium. Caeterum quod ex te nascetur, quoniam ex spiritali sanctissimoque complexu concipietur altissimi, quoniam ex opificio sancti spiritus, qui sanctificat omnia, quoniam est purissima uirgine, quam unam in hoc deus delegit immunem ab omnium labe uitiorum, mox sanctum erit ut conceptum fuerit, ac propter corpus humanum de tui corporis substantia desumptum, recte dicetur filius uirginis ac filius

ac filius hominis. Cæterum post celebratum & plenius intellectum huius natiuitatis mysterium non dicetur filius Ioseph, sed filius dei, non quidem uulgariter quo iusti purgati à peccatis ac per gratiam dei iustificati, per adoptionem dicuntur filij dei, sed singulari ratione uocabitur filius dei, ex quo uere bis natus sit, semel ab initio, ab æterno æternus, à patre deo consubstantialis & naturalis filius iuxta diuinitatem: nunc in tempore ex matre mortali mortalis, homo ex homine, & uere quoque filius hominis iuxta humanitatem: sicut autem in hoc congressu diuina natura cum humana conglutinabitur, ita partus utriusque uel ab angelis percipi queat: tibi satis est mentem credulam, & ad obsequium promptam exhibere: cætera pro suo arbitratu peraget is qui quicquid uult potest. Quanquam autem uirgo pepererit sine uirili semine, uerus tamen homo ex ipsa natus est uirgine, habens secundum carnem & ratione matris patres ex hominibus, & secundum maiores uirginis filius est uerus Davidis et Abrahamæ, quos mater habuit progenitores, naturaliter nata ex semine patris sui, unde & filium hominis, id est, uerum hominem ubique sese in euangelijis appellauit, Hostia pro peccatis hominum futurus, qua electi omnes penitus expiantur, ideo absque peccato nasci illum oportuit, & nasci non ex uirili semine & corrupto, sed ex spiritu sancto.

Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua: & hic mensis sextus est illi quæ uocatur sterilis, quia non erit impossibile apud deum omne uerbum.

Ad tantæ rei confirmationem adiecit exemplum Elizabeth, in qua simul deus dignationis suæ miraculum ostenderit: sic copiose deus suos docet, confortatur, fideque confirmat. Ut, inquit angelus, gaudium tuum cumulatius sit, & certior fiducia, ecce Elizabeth cognata tua, ob tribum Leuiticum quæ familiæ Dauidicæ iungi in matrimonio consueta fuit, anus illa iam diu deplorata sterilis, præter omnem spem, præter naturæ uires, me quoque nuncio, concepit filium, cui partus præconem futurum: iam dudum certus conceptus est, tumet uterus, uiuit & mouetur infans: nam hic mensis illi sextus est, ex quo concepit illa, uulgo dicta sterilis, etiam antequam senesceret, nunc etiam proejectioris ætatis existens quam ut sperari soboles possit, etiam si interea sterilis non fuisset. Hoc ita uisum est deo, ut intelligant omnes, nihil esse tam incredibile apud homines, quod non præstet diuina uirtus, si uoluerit. Tam facile dabit conceptum præterea quod dedit sterili, nisi quod tuum exemplum singulare uoluit esse, pro quo peperit, nec ulla post te paritura est, quia non nisi semel nascetur, qui diuinitatem & humanam naturam unus in se complectatur.

Dixit autem Maria: Ecce ancilla domini, fiat mihi secundum uerbum tuum. Et discessit ab illa angelus.

Non se extollit de meriti tanti singularitate, sed suæ conditionis & diuinæ dignationis per omnia memor, se ancillam illius esse fatetur, cuius mater eligatur, & cum magna deuotione promissionem angeli adimpleri exoptat. Paucis suis uerbis uirgo summam animi modestiam cum summa fiducia pietateque con-

iuncta testatur. Scio, inquit, promissum esse per os Isaia, ut uirgo conciperet, & pareret filium: nec dubito quin deus omnia possit quae uelit, nec faller in promissis suis, quod si ita illi uisum est, me puellam omnium infimam, ad huius ministerij deligere ministerium, nihil est quod hic mihi uendicem uel meriti uel gratiae, totum erit diuinæ bonitatis, totum erit diuinæ uirtutis, me tantum offero ancillam domino, cui semel dicata sum, paratam ad omne obsequium: credo quod promittis, & opto ut quam primum mihi contingat quemadmodum promittis. Simulq; cum dicto peractus est insensibiliter coelestis ille conceptus: habebat in utero filium dei, repleta est spiritu sancto, ac mox reliquit illam angelus. Ab hoc sancto uirginis cum angelo colloquio, deus auspiciari uoluit relictuendi generis humani negotium, quando primum illud pestiferum Euae cum serpente colloquium, exitij seminarium inuexerat mundo. Euae perfidia mortem induxit, sic Mariae fides & credulitas cum modestia uitam reuulit mundo.

Exurgens autem Maria in diebus illis, abiit in montana cum festinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariae, & salutauit Elizabeth. Et factum est ut audiuit salutationem Mariae Elizabeth, exultauit infans in utero eius,

Paucis post diebus Maria ex tanto diuinæ gratiae munere facta adhuc modestior & officiosior, quoniam ex angeli sermone didicerat Elizabeth cognatam suam sextum iam mensem esse grauidam, relictis ædibus suis profecta est in montana, nempe Iudææ, in eam urbem in qua habitabat & suburbana possidebat Zacharias sacerdos: ad quam domum magna celeritate uirgo à sponse minime zelotypo permessa, cui de tanto miraculo impregnatae cognatae sceleris & uetulae reuelauerat mysterium, suo adhuc mysterio minime reuelato, sed diuinæ dispensationi aliquando reuelandum permisso. Perueniens ergo uirgo ubi habitabat Zacharias, ingressa domum illius, salutem & gratulationem deuotissimam obtulit cognatae. Siquidem uera pietas potius gaudet de felicitate aliena, quam ut studeat iactare propriam. Amat secretum uirginis, non euocatur ab ædium intimis nisi prouocet officium, in publico properat, in officio prolixior est, neminem in itinere toto salutasse dicitur, donec ueniam reuulatione felicitas, exuberauit uis spiritus diuini. Maria iam tota spiritalium dotium secum ferebat in utero, suiq; foetus afflatu iam tota spirabat deum, sacris imprecationibus alloquebatur amicam, & tanto beneficio agnito gratulabatur dilectæ. Itaque factum est, ut simulatque uirginis salutatio tetigisset aures Elizabeth, infans quem anus gestabat in utero, uelut gaudio gestiens exiliret. Sensit enim Ioannes nondum natus, domini sui modo concepti in uirginis utero uirtutem diuinam, & intra materni sinus, gestu quo potest miraculose prædicat eum, quem olim erat sua uoce prædicaturus præcursor & amicus. Apparuit ergo uel tunc, quod angelus de Ioanne prædixerat: Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ: quia enim lingua non poterat, animo exultante salutari. Hæc autem per miraculum facta esse uerisimile est, quanquam & naturale contingat matribus grauidis, subito gaudio affectis, infantes dum mentem quintum excesserint sese in utero mouere, ac uelut exilire præ gaudio, tamen simul indicium quoddam gratiae orbi per Christum

& repleta est spiritu sancto Elizabeth, & exclamauit uoce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui.

Non sine fructu sensit sanctum infantis sui tripudium Elizabeth: per foetum diuinitus afflatur & mater, & felici contagio corripiuntur omnia: per Mariae uocem coelestis uirtus penetrat in foetum Elizabeth: per foetum afflatu correptum afflatur & mater, sic ut & ipsa repleta spiritu sancto, non iam continuerit animi sui gaudia, quae prius tacita latitauerat, conceptum pudore dissimulans, sed ingenti uoce, quam ingens affectus suppeditabat, exclamauerit ea promens afflatu spiritus, quae nec ex uteri tumore suspicari poterat, nec ex homine didicerat, & perinde quasi angelum audisset cum Maria loquentem, ita uerbis angelicis suam gratulationem auspicatur. O felix, inquit, uirgo, tu primam laudem obtinebis inter omnes laudatas mulieres, simulque salcer fructus uirginei uentris tui gentium omnium uoce praedicabitur per uniuersum orbem, de quo iam olim uaticinati sunt prophetae: unde prodibit flos illis mirabilis ac sacer, & primam laudem obtinebit inter omnia quae in caelis sunt & quae in terris: agnosco maius esse homine, quod uteri tui thalamo claudis.

Et unde hoc mihi, ut ueniat mater domini mei ad me? Ecce enim ut facta est uox salutationis tuae in auribus meis, exultauit in gaudio in fans in utero meo. Et beata quae credidisti, quonia perficientur ea quae dicta sunt tibi a domino.

Si tantum in nobis duabus aestimetur aetas, non est incongruum puellam uenire ad anum, sin aestimetur foetuum dignitas, & praerogatiuae gratiarum coelestium, meum erat ad te properare: ego quidem satis etiam felix diuino beneficio, quod prolem gesto, magnum quiddam olim futurum, Sed quonam meo merito tanta felicitas mihi contigit, ut mater futura domini mei ultro ueniat ad me? Siquidem argumento indubitato sensi domini mei aduentum: ecce enim simulatque uox salutationis tuae personuit aures meas, sensi infantem subulstantem in utero meo, uelut occurrere gestientem domino suo, ac debentum honoris beneficium exhibere. Nimirum respondens mater tuo foetui. Ille dominus dignatur inuisere famulum suum, ut sanctificet impleatque spiritu sancto: tu tanto maior dignitate, non grauaris adire minorem, hoc submissius te gerens, quo magis praecellis diuinis dotibus, quas recte facis, dum non ascribis tuis meritis, quum sint gratuita dei beneficentiae. Hoc certe nomine felix es, Zacharias sacerdos: concepisti citra uirilem operam, nec dubium est, quin eadem fide sint tibi praestanda caetera, quae domini nomine pollicitus est angelus.

Et ait Maria: Magnificat anima mea dominum: & exultauit spiritus meus in deo salutari meo:

Cum haec praescripta afflatu prophetico dicta essent ab Elizabeth, Maria quoque quae haftenus uirginali pudore texerat animi sui gaudia, spiritu sacro correpta, quo iam dudum erat plena, non sibi temperat, quin hymno gratulabundo prorumpat in laudem dei, cuius bonitati tribuendum est quicquid praecelari contingit hominibus. Merito, inquit, mihi gratularis Elizabeth, sed hoc totum diuini gratuitique muneris est, unde nihil est quod meis arrogem me-

ritis, & ideo non lingua tantum, sed & ex intimis præcordijs anima mea suæ imbecillitatis sibi conscia, dominum extollit laudibus, tanto uehementius admirans diuini beneficij magnitudinem, quanto minus agnoscit in se meritum. Est de quo illi gratias agam, est de quo illius benignitatem prædicem: non est de quo mihi plaudam, & tamen gaudio ineffabili gessit & exultat spiritus meus, cœlesti afflatus spiritu, non in sese, sed in deo, qui mihi cunctisq; totius salutis est author.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quum essem ego omnium abiectissima, & nullius meriti, tamen ille pro sua bonitate respexit me humilem ancillam suam, tantoq; dignatus est munere, ut posthac iuxta tuum & angeli sermonem, me felicissimam sint prædicaturi, non solum huius ætatis Iudæi, uerumetiam sæculis omnibus, omnes totius orbis nationes quibus contigerit ex me seruator & rex Messias, & mundi reuouator ac redemptor. Siquidem hoc uere felices dici possumus, quod nobis non nostra industria, non nostris meritis, sed gratuito fauore numinis collatum sit. Tota igitur huius felicitatis laus in illius laudem redundabit, qui gratis conlatis. Satis iam pridem explosus est error eorum, qui sic per humilitatem uirtutem illam modestiam intelligere maluerunt. Dignationem dei de prædicata abiectam & non parem tantis dei beneficijs, neque meruisse se huiusmodi laudem, unde omnes gentes eam sint laudaturæ. Vere autem Mariam beatam prædicant, qui totius beatitudinis authorem Christum credunt, quem ipsa magnifica dei gratia genuit. Nec quisquam putet eam canere de eo solo, quod carnalis mater Iesu facta sit, sed potius quod fide insita ei fuerit, quem mundi totius redemptorem per se deus pater mundo transmisit, & compos facta sic per ipsum æternæ salutis perficiendæ. Quin & mysterij totius regni Christi credatur conscia facta fuisse, ut certò intellexerit, filij sui regnum propagandum in orbem uniuersum, & à cunctis gentibus adorandum: unde & suspensus gloriam ex sola dei gratia impetratam, & nullis suis meritis, non potuit ignorare, multo tu sancto, absque omni uanitatis delicto, sed cum beata latitia, ut soror quondam Aaronis, Maria & Mosis.

Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius: Quid autem de me prædicabunt nationes mundi posteris sæculis? Nomen illius, quod in me humilima puella rem miram & inauditam perfecit, is, qui immensa uirtute sua nihil non potest. Et ideo meum nomen inter felices nomen sese flectet omne genu cœlestium, terrestrium & inferorum, ad quod contingeret salus uniuerso mundo. Huius enim nominis professio salutem & sanctimoniam conferet uniuersis. Ad hoc nomen inuocatum pellentur moribiosum & augustum erit semper, nec ullo sæculo misericordia & bonitas eius timentibus ipsum desyderabitur, sed erit perennis.

Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.

Gratum

Gratuitum illud in Christo donum, non debitum, misericordiae erit nō me-
 rum expectauit, non solum genti Iudaicae, quae peculiariter illa-
 nem, usque ad extremos orbis fines, à saeculo in saeculum usque ad ultimum
 huius mundi diem. Soli quidem Israelitae salutem hanc expectarant à prophe-
 tis promissam, sed quisquis in quacunque gente relictis uitijs timere deum cœ-
 displentes per fidem sese submitunt domino, siue Graeci sint siue Barbari:
 contra, qui suis fidentes factis sese erexerint aduersus magnitudinem dei, re-
 pellentur ab huius beneficii consortio, etiamsi ex ipso Abraham aut Dauide
 fuerint prognati. Non enim hoc diuinum munus confertur, aut ex opum cen-
 su, aut ex generis aestimatione, aut ex operibus legalibus alijsue meritis &
 praesidijs humanis, sed ex commendatione cordis modesti, siue poenitentis,
 contriti & humiliati, atque ex dei infinita misericordia per fidem synceram
 pendenti.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis
 sui.

Dominus deus deicere uolens supercilium sapientiae potentiaeque munda-
 nae, per filium suum factum humilem, exeruit robur sui brachij, ac stultam fe-
 cie huius saeculi sapientiam, deiecit & fregit huius mundi potentiam: declarans
 se etiam quum maxime sese demittit, tamen esse potentiolem totius humanae
 potentiae fastigio, & quod in illo stultum uidetur, sapientius est quamlibet ad-
 mirabili huius mundi sapientia. Caeterum qui freti sua sapientia, qui confisi
 suis uiribus, ceruices suas erexerunt aduersus deum, hos mirabiliter dissipauit
 suis ipsorum consilijs, quemadmodum olim promiserat per prophetam: Com-
 prehendam sapientes in sapientia sua. Dum enim astutia humana pugnat ad-
 uersum consilium diuinum, & suam prodiderunt stultitiam, & diuinam sapi-
 entiam imprudentes illustrarunt. Dumque huius mundi praesidijs conantur op-
 rimere institutum dei, declararunt quam nihil possit hic mundus aduersus uita-
 tutem diuinam, quam sua rebellione confirmarunt.

Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.

Uersis ita rerum uicibus, qui prius sublimes sedebant in thronis, humana
 sapientia turgidi, humana potentia & autoritate formidabiles, hos detraxit à
 rerum fastigio: & qui iuxta mundum erant humiles, hos diuina benignitas su-
 stulit in sublime: qui religionis arcem habere uidebantur, deprehensi sunt im-
 pij: qui uidebantur esse alieni à deo, subito facti sunt filij dei. Paulus qui & Saur-
 lus, pro superbia de sede legalis doctrinae depositus, ob humilitatem ad euan-
 gelicam fidem sublimatur. Sic omnis qui se exalrat humiliabitur: & qui se hu-
 militat exaltabitur. Sic facit perpetuo, ut primi nouissimi, & nouissimi primi fi-
 ant, quo ubique potentia simul & bonitas eius magnifice effulgeat. Similia ceci-
 nit Anna mater Samuelis. Cogitauit fortassis & maiorum suorum splendorem
 & regiam potentiam, quae cum illi impij fuissent, in nihilum adeo est redacta,
 quae nunc per suam tam humilis & abiectae matris prolem praestantius erat,
 quam unquam illa maioribus suis contigisset, restituenda.

Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.

Qui suam agnoscentes iniustitiam esuriebat iustitiam dei, hos deus explevit suis bonis: contra, qui sibi uidebantur prædiuites, ac bonis operibus abundare, & ideo non esuriebant gratiam euangelicam, hos reiecit à se famelicos. Circumcisio uersa est in præputium, præputium successit in gloriam circumcisionis. Qui æterna toto studio desyderant, saturabuntur cum Christus apparuerit in gloria: sed qui terrenis gaudent, in ultimo inanes totius beatitudinis dimituntur. In præsentem etiam uidemus humiles diuina gratia impleri, superbos animo lumine ueritatis priuari.

Isa. 41. b
Isa. 30. d. 54. b
Ierc. 31. d. d
Psal. 131. c
Gene. 22. c

Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiam suam. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in sæcula.

Qui se gloriabantur esse filios Abraham, hos declarauit esse filios diaboli, qui nihil habebant cognationis cum Abraham iuxta carnem, hos per fidem euangelicam reddidit ueros Abraham filios. Qui se iactabant glorioso nomine Israel, hos repudiavit ab hæreditate promissorum Israeli. Cæterum quicumque quacunque ex gente siue seruus siue liber sese offerret ad cultum spiritualem dei, hunc ad se recepit deus, & in eo præstitit suam diu dilatam misericordiam, quam prophetarum oraculis promiserat Israelitico populo, quem ut peculiarius adamat, in sacris literis appellat puerum ac dilectum, sedulumque seruum suum. Non erat oblitus sui promissi, sed ob longam moram perinde quæ si fuisset oblitus obrepserat desperatio, nunc declarauit se nequaquam immemorem sui populi. Hæc est enim illa uera posteritas Abraham, quæ deo commendatur, non propinquitate sanguinis, sed fidei sinceritate, qua deus commendatur. Non hæc fortuito casu geruntur, sed hoc nunc exhibitum est, quod olim deus promiserat patribus nostris Abraham & posteris eius. Dicitur enim Abraham, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Dicitur est ad Dauid, De fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Hæc olim promissa, à patribus Abraham, quorum genus non deficiet usque ad finem mundi. Hæc fatidico spiritu Maria proloquuta est, perinde quasi facta essent quæ erant futura.

Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.

Apud suam cognatam Elizabeth mansit Maria ferme tribus mensibus, sanctis colloquijs & amicis obsequijs subleuans animum. Sub instantem autem cognatæ partum, Maria repetijt domum suam. Non enim conuenit uirginibus obstetricandi officium, & mox affuturam turbam fugiebat. Nec sola familiaritatis est causa, cur tam diu manserit, sed etiam tanti uatis profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus extitit, quantum putamus usu tanti temporis sanctæ Mariæ addidisse præsentiam: Vngebatur itaque, et quasi bonus athleta exercebatur in utero matris propheta. Amplissimo enim uirtus eius certaminibus parabatur.

F Elizabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt uicini & cognati eius, quia magnificauit dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei.

Aderat iam legitimum tempus, quo foetum æderet Elizabeth; ac natus filius certam fidem fecit promissis diuinis. Res rumore sparsa est per uicinos & cognatos,

cognatos, quibus ut ante doluerat sterilitas, ita uoluptati fuit, quod ex ingenti misericordia diuina ædita prole mascula, contigisset anui deplorata sterilitatis nomen matris, cui felix fuerat futurum genuisse puellam, sed multo felicius erat genuisse filium. Et hic apparuit angeli promissum, qui dixerat fore, ut in natiuitate pueri multi gauderent. Accurrerunt enim quàm plures ac gratulabantur puerperæ. Aequum autem erat ut multi gauderent in illius natiuitate, qui plurimorum bono natus fuerat. Habet sanctorum æditio lætitiã plurimorum, quia commune est bonum; iustitia enim communis est uirtus. Proxi-
 mis congaudendum discimus pro illustratione diuina in uerbo dei, pro ueritatis cognitione, pro misericordia impensa, pro periculis ablati, pro salute recepta.

Et factum est, in die octauo uenerunt circumcidere puerum, & uocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam, sed uocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua qui uocetur hoc nomine.

Venerat iam dies à partu octauus, quo iuxta legis præscriptum circumcidendus erat puer, & indendum nomen. Venerunt itaque cognati, qui propinquitate officio curarent puerum rite circumcidendum: quoniam pater erat e-
 linguis, qui solet esse author imponendi nominis. Cognati suspicantes id patrem uelle, quod uulgo solet esse gratissimum, appellarunt eum patris nomine Zachariam; mater contra, quod à marito mutò discere non poterat, spiritus afflatu docta, contendit non esse uocandum Zachariam, sed Ioannem. Nimirum quæ ueterum traditiones abrogaret, & carnalem cultum uerteret in gratiam spiritalem, Zacharias enim Hebræis sonat idem quod memor domini. Ioannes à gratia dictus est. Legis iustitia constabat operibus præscriptis, Euangelij iustitia gratia constat ex fide. Non cesserunt authoritati matris cognati, sed e regione contendebant potius appellandum Zachariam, eo quod nullus esset in tota gente Zachariæ qui dictus sit Ioannes. Et solet in prole per inditum nomen, uel patris uel aui uel patruï uel alicuius cognati memoria renouari. Et adhuc hodie sunt, quibus magis arridet nomen Zachariæ quàm Ioannis. Nimirum hi qui nondum patiuntur aboleri circumcisionem, neomenias, lotiones, dies festos, ieiunia, delectum ciborum, sacrificia, hoc est, ceremonias Iudaicas in Christianismum introductas, re uidelicet clamantes, Nomen Ioannis nolumus, ueterem Zachariam uolumus.

Innuebant autem patri eius, quem uellet uocari eum. Et postulans pugillarem, scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt uniuersi.

Cum non contineret inter puerperam & cognatos, opus erat autoritate patris, quæ contentionem finiret: is nondum habebat linguam, quum iam sermone esset opus, nutibus igitur utcumq; significatum est illi, quod nomen placeret indi filio. Ille re intellecta, poposcit tabellas pugillares, ut mutis literis indicaret quod uiua uoce proloqui non poterat. Allatis pugillaribus scripsit hunc in modum, Ioannes est nomen eius. Significans hoc nomen illi indicatum ab angelo, priusquam conciperetur. Id equidem admirati sunt omnes, & quod placeret nomen nouum, & quod inter patrem & matrem mutuum de-

nomine conueniret. Nostri homines uaria respicere solent, indendo pueris nomina: diuini nomen quo colitur eo die imponi posset, si non tutelaris deus conseruatur, sed exemplum iustitiæ operum & fidei, eorum qui certo sancti habentur. Sic ex significato nominis admonitio uirtutis intendi potest: & maior uia memoria nepotibus non indigne imponitur, si absit superstitio uel uanitas, aut Ethnica ambitio.

Apertum est autem ilico os eius & lingua eius, & loquebatur, benedicens deum.

Iam appetebat tempus ut inciperet loqui lex Mosaica, quæ hæcenus signaturis ac mutis elementis euangelij gratiam utcumq; designarat. Tempus aderat, ut os quod iuxta promissum Gabrielis clauserat incredulitas, aperiret credulitas. Protinus igitur ut scripserat, solutum est & linguæ uinculum, nec aliunde redditi sermonis facultatem auspicatus est, quàm à laudibus dei, cuius gratuita munificentia tantus gaudiorum cumulus contigisset. Nisi siluerit Iudæica lingua, carnalium obseruationum prædicatrix, & humanæ iustitiæ uindicatrix, non potest lingua euangelica loqui, quæ gratiâ prædicat, quæ fidem, quæ charitatem, non legis opera, quæ non hominum iustitiæ laudem uendicat eius factis, sed dei iustitiam prædicat ex innocentia gratis collata per fidem.

Et factus est timor super omnes uicinos eorum: & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia uerba hæc, & posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: Quis putas puer iste erit: Etenim manus domini erat cum illo.

Hæc omnia de anu puerpera, de nouitate nominis, de filio per angeli promissionem nato, de patre prius ex loquente facto muto, rursus ex eloquio factum do in laudem dei, rumore sparsa sunt, non iam per cognatos tantum et uicinos, uerum etiam per uniuersam illam Iudææ regionem, quæ montana dicitur, iuxta Hierosolymam, adeo, ut non solum admiratio, sed stupor quidam & horror ex tot insolitis miraculis conceptus occuparet animos omnium. Siquidem ex his præludijs colligebant, natum puerum olim magna & inaudita patris eius cuius conceptus et natiuitas iam tum prodigijs insigniretur. Videbant patris ætatem ademptam & redditam miraculum, audierant Gabrielis intercessisse ministerium, cuius præsentia à Danielis prophetia nota non fuerat, sentiebant in utroque parente spiritus cœlestis afflatum, nihil non esse præter morem communem, nihil non præ se ferre uirtutem diuinam. Hæc in suo quicq; corde communitate prodigiose natus est, siquidem ipsa rerum miracula declarant hæc geri uirtute dei, quæ puero adsit ad res summas delecto. Neq; uero hæc temere ratiocinantur, nam uere manus dei uirtutem suam cœlestem exerebat in puero, & per puerum in parentes mirabiliora suo tempora proditura, ideo ueluti ob præsentiam dei maiestatem timebant.

Et Zacharias pater eius impletus est spiritu sancto, & prophetauit, dicens: Benedictus dominus deus Israel, quia uisitauit & fecit redemptionem plebi suæ.

Ne non omnia redundarent miraculis, & gaudijs sacris affluerent, Zacharias quoque pater Ioannis totus afflatus diuino spiritu, quod est impleri, erupit in hunc euangelicissimum hymnum, qui aliud non est, quam gratiarum actio & laus dei, qui iuxta promissiones suas sanctis factas, Christum suum tandem miserit, per quem electi malis omnibus liberati, pie & sancte atque feliciter uiuant. Deinde pueri illius officium praedicatur, qui Christum docere deberet. Praedicanda est, inquit, & omni laudis genere uehenda dei bonitas, qui cum sit deus omnium, tamen peculiariter dici uoluit deus Israel, non quod non esset aliarum quoque gentium dominus, sed quia sese deum Israeli semper exhibuit, ab illo agnitus adoratusque fuerat & praedicatus, iuxta foedus quod cum Abraham pactus fuerat. Ab his quoque quae sub caelo degunt, quacumque de gentes nati sunt, laudandus est deus, qui tandem dignatus est nouo more inuisere populum suum, iam miserae diutinaeque seruitutis taedio laborantem, ac desperationis nec spes esset in pharisaeis, nec in philosophis, nec in Mosaicae legis ceremonijs. Respexit ille propitius, & ab his omnibus malis redemit gratuito populum suum. Visitauit aliquoties Israelem suum dominus, nulla autem praesentis quam Zacharias praedicat uisitatio dei conferri potest, qua in filio suo, quo nihil praestabilius est, populum suum inuisit, rationemque eius habere clare testatus est, redemptione perfecta ab omnibus malis.

Et erexit cornu salutis nobis, in domo Dauid pueri sui, Sicut locus **G**
 tus est per os sanctorum qui a saeculo sunt prophetarum eius. Salutem **Psal. 37. c. 13. d**
 ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos: **Iere. 23. a. 30. b**

Potens erat tyrannus qui multo satellitio stipatus regnabat per omne genus humanum, a quo uiribus humanis non poterat uindicari libertas Israelitarum fidelium. Solus deus hoc hoste potentior, addidit infirmis robur, misso duce inuiso, qui cornu diuinae uirtutis deieceret aduersariorum opes, quique de uicta morte gratis conferret per fidem salutem aeternam omnibus. Hoc salutis praesidium erexit nobis in gente Dauid cultoris sui, cui promiserat hoc beneficium peruenturum hinc ad omnes, quicumque iuxta spiritum promerentur esse filij Dauid, non degenerantes a pietate patris. Ille fortiter ac feliciter pugnauit aduersus alienigenas & hostes Israelitici populi. Hoc duce pugnandum est aduersus perniciosiores hostes, qui perimunt animas: hi sunt satanas cum spirituum impiorum copijs: hi sunt affectus prauis, sollicitantes ad ea quae deo sunt inuisa: hi sunt homines magis amantes ea quae sunt huius mundi, quam ea quae ueniunt, per quos uelut organa uim suam exerit diabolus. Neque haec casu sic erexit, sed quod nunc praestat, iam olim promiserat deus per omnium prophetarum ora, quos suo spiritu afflauerat, qui ab orbe condito uaticinati sunt. Promiserat enim deus, ut aliquando misso potenti duce, seruariemur ab hostibus nostris, & erueremur e manibus omnium qui nobis pessime uolebant, conantes pertrahere in perditionem & mortem aeternam.

Ad faciendum misericordiam cum patribus nostris, & memorari **Iere. 31. f**
 testamenti sui sancti. Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem **Gene. 22. c**
 nostrum, daturum se nobis:

Non erat hoc meriti nostri quibus praestitit hoc tantum beneficium, neque patrum,

quibus promiserat quod nobis exhibuit. Sic illius est bonitati uisum, ut rē tantam largiretur immerentibus: sic illius iustitiæ uisum est, ut quod promiserat præstaret suo tempore, ut ab omnibus intelligeretur, non modo misericors ac beneficus, uerumetiam uerax ac promissi tenax. Non enim promisit solum, uerumetiam fœdus & iusurandum pepigit cum patribus nostris. Iurauit per se metipsum patriarchæ nostro Abrahamæ, uidelicet illius admirabili erga se fiducia delectatus, quod fretus promisso diuino non dubitaret immolare filium suum unicum Isaac, dicens: Per memetipsum iurauit, quoniam fecisti rem istam, nec pepercisti filio tuo unigenito mea causa, benedicam tibi, & multiplicabo posteritatem tuam, sicut stellas cœli, & arenam quæ in littore maris: possidebit semen tuum portas inimicorum suorum, & benedicentur super semen tuum omnes gentes terræ, propterea quod obedisti uoci meæ. Nimirum hæc est uera posteritas Abrahamæ, quæ non per ceremonias legis, sed per iustitiam fidei obedientiæ præceptorum dei deum colit, adorat, credit, & sperat, totum orbem impleturam, cum euangelicam audierit tubam & susceperit.

Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiamus illi in sanctitate & iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.

His uere Israelitis & posteris, fidei & iustitiæ Abrahamæ, præstatur promissa de inimicis uictoria, quibus à peccati tyrannide liberatis, & à cunctis erroribus, & à satanæ iugo, contigit renuciare uitæ pristinæ, ut posthac securi, nostri dicitur, præsidio seruiamus uni, cui debemus omnia, qui prius seruiamus ambitioni, libidini, auaritiæ, seruiamus idolis, diuis, diabolo. Seruiamus autem non sabbatistis, neomenijs, ciborum abstinentiæ, & delectu, immolatione pecudum, lotionibus, & purgationibus corporis, quæ speciem quidem religionis habent apud homines, quemadmodum hæcenus fecere maiores nostri, sed puritate conscientiæ, sed fidei iustitiâ, synceritate uitæ, qui cultus est gratissimus in conspectu dei, qui non respicit carnales uictimas, sed animi pietatem, amans sibi de suis donis sacrificari. Nec hic cultus præscriptis diebus exhibendus est deo, quemadmodum hæcenus factum, sed per omnem uitam nostram. Non enim est unquam ab his sacrificijs cessandum, sed semel gratis data fidei iustitiæ et pietas uera, sanctis studijs semper in maius est prouehenda.

Et tu puer, propheta altissimi uocaberis: præbis enim ante faciem domini parare uias eius: Ad dandam scientiam salutis plebi eius, in remissionem peccatorum eorum.

Nos quidem felices diuino munere, quibus iuxta prophetarum oracula datus est redemptor potens, ac seruator inuincibilis: sed eiusdem dei munere, ut quoque felix o puer, qui tanti ducis præcursor delectus es. Quemadmodum enim Hesperus antecedit solis exortum, mortales somno torpentes ad lucis aduentum, per unicum filium suum decreuit orbem nostrum inuisere domini aduentum, qui paraturus animos hominum ad tantæ salutis susceptionem, ne si aduentus illum mentes hominum oscitantes & auersas offenderit, oblata salus uertatur in contumelium exitij. Efficies enim tuo baptismo tuaque prædicatione, ut intelligant se ut sunt peccatores, ut sciant sibi opus esse medico, ut cognoscant iam adesse eum, qui solus omnium omnibus per fidem euangelicam largiturus sit salutem mentibus nostris, & gratis collata nobis sua iustitiâ.

Per uiscera misericordiae dei nostri, in quibus uisitauit nos oriens ex alto. Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis.

Gratuita haec condonata peccata, & conferenda gratis iustitia continget omnibus credentibus, nullis omnino meritis hominum, sed propter exuberantem dei nostri misericordiam, qui quos condiderat perire noluit. Ab omnipotente conditi sumus, a misericordissimo restituti: perieramus, nisi ille pro sua gratuita bonitate misertus esset nostri: nisi ille ueluti sol quidaem coelitus nobis exortus, dispulisset tenebras ignorantiae nostrae, profligasset peccatorum caliginem, ac frigida corda suae charitatis igni accendisset. Iacebamus in tenebris, non poteramus ad illum oculos attollere, ille se demisit ad nos, suisque radijs in animos nostros ad illum salutis uelut in umbra mortis sedebamus, idololatrijs excitati, mundanis cupiditatibus obtenebrati, currebamus ab impietate ad impietatem, palpitantes in densissima caligine, pro caelestibus amplectentes terrenam, pro ueris umbras, pro spiritualibus carnalia, pro salutaribus pestifera. Et ecce, in altissima nocte desperationis exortus est nobis ille sol aeternus, ut animi nostri pedes dirigat in uiam euangelicam, quae est uia pacis, quae per fidem & charitatem humana diuinis conciliat, dirimens inimicitiam, quae erat inter deum & homines, omnes orbis nationes, in unius nominis, in unius fidei professionem conglutinans: denique sedatis tumultuosis affectibus, unumquemque hominem concilians sibi. Haec pius senex fatidico pectore promens exemplo prophetarum, sic futura praecinebat, quasi iam essent peracta, quando quidem iam intelligebat incepta.

Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, & erat in desertis usque in diem ostensionis suae ad Israel.

Tam miris istarum rerum exordijs progressus probe respondebat. Puer enim prodigiose natus, quemadmodum per aetatem adolescebat corpore, ita per afflatum diuini numinis semper in maius proficiebat firmitate roboreque spiritus. Nec diu sese continebat in parentum adibus, sed ab ipsa statim pueritia subduxit sese ab hominum frequentia, ne uel minimum labis contrahere posset ex uulgi commercio qui fuerat in utero matris sanctificatus. Vinum & simceram nunquam biberat, nihil humanae uoluptatis, nihil honoris gustarat unquam, neglectis omnibus humanis affectibus inter feras uictitabat locustis ac melle syluestri, pilis camelorum uestiebatur, non holosericis, pellicea zona scin- gebatur: erat illi perpetuum cum deo colloquium. Talis nimirum uita decebat eum, qui praedicandae poenitentiae destinatus erat: & locus delectus congruebat prophetiae, quae uocat illum uocem clamantis in deserto. Hic latitabat ad multos annos, hic silebat, ut suo tempore cum maiore authoritate prodiret ac loqueretur: non se ingessit ad munus praeconis, sed cum spiritus impulisset animum ipsius, ut suam lucem proferret, & ostenderet populo Israelitico quantus esset, tum magna cum authoritate coepit agere praecursorem.

CAPVT II.

Actum est autem in diebus illis, Exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur uniuersus orbis. Haec descriptio prima facta est a praeside Syriae Cyrino. Et ibant omnes ut profiterentur.

rentur singuli in suam ciuitatem.

Habes admirabilē ortum præcursoris, nunc accipe mirabiliorē Iesu Christi, qui totius mundi unus princeps futurus erat, & uniuersas totius orbis nationes ad sui nominis professionem, non minis aut terroribus, sed beneficijs salutiferāq; doctrina prouocaturus. Proinde diuino consilio procuratum est, ut sub Augusto Cæsare, qui plerasq; mundi regiones, & ipsam quoq; Iudæam & Ierusalem obtinebat, ac latissime rebus undiq; pacatis Romanorū imperiū administrabat, censerentur omnes prouinciæ, quæ Romanum imperiū agnoscebant, ut appareret quanto latius pateret ditio Christi quàm Cæsaris, quanto placidius sit eius regnū, qui nihil aufert, sed largitur etiā cœlestia, regno Cæsaris, qui cum non possit largiri cœlestia, tamē arripit terrena, & ut cogit ad professionem, quum cœlestis imperator beneficijs alliciat. Qui Cæsari dant nomē, quid aliud quàm seruitutem profitentur, & rem familiarē comperiunt arctiorē æternæ. Deniq; Cæsar Octauius quanq; esset in rebus gerēdis omninō dexterrimus, tamen multas regiones non poterat armis subigere, quū noster dux sine uis sine præsidij huius mundi uniuersum terrarū orbē tot linguas, tot ritus, tot religiones, tot Barbaras ac retrusas nationes in unam ecclesiam uelut in unum regnū congregarit. Ad eam igitur professionē in Syria peragendam missus est ex autoritate Cæsaris Augusti, & senatus consulto Quirinus, eius prouinciæ præses. Hic autē erat primus census, qui sub præside fuit actus in Syria, nā sub eodem post acti sunt & alij. Ad Cæsaris igitur edictū non iniquum, uel contra deum, nec contemnendū quod Quirinus promulgarat, proficiscuntur omnes in suam quisq; tribū ac ciuitatē, ut ex more profiterentur, censum præstantes, ut putant dimidiā sicili partem, nempe binas drachmas, quantum olim Iudæi tabernaculo domini ex lege obtulerant numerandi.

Ascendit autē & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth, in Iudæam, ciuitatem Dauid, quæ uocatur Bethlehem, eo quod esset de domo & familia Dauid, ut profiteretur cū Maria desponsata sibi uxore prægnante.

Ioseph sponsus uirginis, quū esset tribus Iudæ, cuius erat & coniunx illius, habitabat tamen in ciuitatula Nazareth: iam enim hereditates confusa erant à tempore persecutionum & bellorū. Is igitur relicta domo à Galilæa profectus est in Iudæam, in ciuitatulam quam patriam habuit, & exornauerat ad tribū Iudæ, nomine Bethlehem, eo quod Ioseph & uirgo non solū pertinerent ad tribū Iudæ, uerumetiam de familia & genere stirpeq; essent Dauid, e cuius semine promissus fuerat Christus. Nihil autē horū fortuito contigit, sed omnia diuino cōsilio sunt procurata, ut rerū exitus prophetarū oraculis congruerent, quod tantæ rei gloriā inter duas ciuitates partiebatur, uidelicet, ut in Nazareth cōciperetur & educaretur rex orbis, in Bethlehem iuxta prophetiam nasceretur. Huc igitur occasione census nō fortuito comitata est sponsum suum uirgo prægnans, uirga grauida, iamq; uicina partui: non detrectauit hoc laboris uirgo prægnans, non fugitat oculos hominū, sibi bene conscia, nō fastidit obsequiū mariti, mex paritura deum, nō dedignatur haberi uxor fabri, quæ tota fuerat deo dicata. Et non nisi sponsa, & ipse semper sponsus solum, quia & ipsa erat de familia Dauid, alioqui alibi fuisset professura, & illuc non uenisset tam uicina partui. Ad hoc ergo uenit ut profiteretur, tum ut indubitato cognosceretur esse de domo & familia Dauid, tū ut Christus qui dicit filius Dauid in Bethlehe nasciturus. Factum

Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret, & peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.

Hac occasione diuinitus ordinata, quum dies aliquot commorarentur in ciuitate Bethlehem, factum est ut euolutis legitimis mensibus quo magis constaret uerum hominē esse qui nasceretur, adesset tempus pariendi. Oppidulū humile sibi delegerat, in quo tamen domum nullam habebat, cœli terræq; dominus; parentes humiles, ut nos puderet nostræ superbîæ simul & auaritiæ, ac uel huius exemplo disceremus, felicitatem hominis non esse metiendam istis ternis bonis æstimandam, & in illam patriam recondendos thesauros, quibus uulgaribus bonis, quæ si nobis non subducuntur, nos illis subducimur, sed æppetuo simus fruituri. Etenim si ueris iudicijs æstimare uelimus, plus erit sublimitatis, plus potentîæ, plus maiestatis in hac humilima Christi natiuitate, q̄ in omnibus omnium Cæsarium pompis ac triumphis. In Bethlehem igitur, quæ dicitur domus panis, sacra uirguncula protulit nobis panem illum cœlestem, unde qui ederit non moritur in æternum. Atq; sic erat partus ille uirginis unicæ, cui nec antecesserat ullum exemplū, nec sequutum est. Matri erat unicæ filius, nobis erat primogenitus, quos sibi spiritu iunctos fratres reddidit & hæros fratres consortes, ne solus ueniret ad patrē, sed ipse ueluti primogenitus multum primogenitus adduceret in societatem æternæ salutis. Et iuxta legis quoque stylum primogenitus dicitur, ante quem nullū habuerat, etiamsi similiter post eum genuerit nullum, ut domino fuerit iure consecrandus. Aeditum infantulum mater non tradidit nutricibus, quas ob pietatem nolebat, ob paupertatem non habebat, sed ipsa fascioli inuoluit. Et quoniam in publico diuersorio propter hospitium frequentiam non erat alius recenti puerperæ locus, reclinauit puerum in præsepe. Audi superbe diues, qui latifundia latifundijs accumulas, qui nusquam non substruis domos, prædia, palatia, qui cœli terræq; dominus est, & opifex, cuiq; tu in baptismo nomen dedisti, peregre nascitur, nec habet locum in diuersorio. Si principem agnoscis tuum, in cuius uerba iurasti, ne pigeat illius exemplum imitari, & pudeat te tuæ mentis. Discant hic diuites sæculi, ne ob diuitias sæculi sibi placeant; & pauperes, ne sibi ob tenuitatē displiceant. Ethac præstat expendere, quàm de ratione pariendi, qua Iesum uirgo Maria enixa est, anxie disputare, & nostris commentis ueritatē dei obscurare. Verus homo fuit, ueram matrem habuit, supernaturaliter quidem conceptus est, naturaliter ratione eam mater peperit, in quo quanto magis sese ad creaturam nostræ infirma demisit, tanto maiorem erga nos dilectionem declarauit.

Et pastores erant in regione eadem uigilantes, & custodientes uigilias noctis super gregē suum. Et ecce, angelus domini stetit iuxta illos, & claritas dei circumfulsit illos, & timuerunt timore magno.

Audi nunc quàm tota hæc natiuitatis humilitas plena sit magnificentîæ. Erant in ea regione pastores, qui nocturnas excubias agebant pro gregibus suis, uidelicet ipsa re docentes, quid exemplo principis pastorum facere debeant pastores Episcopi pro salute populi sibi cōcrediti. Et noctu natus est ille Sol iustitiæ, discussurus mundi tenebras; humilibus humilis, pastoribus pastor, primum innotescere maluit quàm Cæsaribus, regibus, præsidibus, pharisæis, scribis, pontificibus, excelsiore enim sunt animo, quàm ut Christi humilitatē despici

cere possint & appreciari. Et ecce subito Gabriel angelus è sublimi imminēbat illorum uerticibus, simulq; noua quædā lux, quæ nec solis esset, nec lunæ, nec lucernæ, repente circūfulsit pastores. Hoc cum esset læti ominis, tamen ob insolitū ac subitū prodigium magno pauore correpti sunt pastores. Hic in nobis alat modestiam, quod pastoribus primus hic partus diuinus reuelatus fuit, & per angelos declarata eius diuinitas, dum regē cœlorū cœlestes nūcī celebrāt.

Et dixit illis angelus: Nolite timere. Ecce enim euangelizo uobis hodie gaudium magnū, quod erit omni populo, quia natus est uobis hodie saluator, qui est Christus dominus in ciuitate Dauid.

Timorem hunc angelus mox adimit blando alloquio. Ponite, inquit, paurem, nihil est quod formidetis, lætissimæ rei nuncius adsum, & hæcenus inauditum gaudium adfero, non solum uobis, uerumetiam toti populo Israelitico. Iam olim promiserant uobis seruatorem prophetarum oracula, iam olim expectatus est Messias, is hac nocte natus est, & uobis omnibus natus est & datus. Hic est Messias, ille princeps ac dominus omnium, rex & idem sacerdos, unctus diuinitus, natus est autem iuxta prophetarum oracula in ciuitate Dauid, in Bethlehemi, cui alio nomine Bethlehem, hac ipsa nocte. Gaudium autem magnum renūciare sese affirmat, quod futurum sit toti populo, nempe non nisi electorum, non omnium qui secundum carnem Israelitæ erant: nam multis in Israel positus fuit in ruina. Natus est, inquit angelus, uobis saluator, licet & hominum restauratio cedit in lætitiā & restitutionem angelorum, & cōmune gaudium angelis est, quicquid ad gloriam pertinet diuinæ maiestatis. Hodie addit, tum quia nox pars est diē naturalis, tum quia nox illa pro claritate diuina ita illuminata erat, ac diē clarissima, iuxta illud: Et nox sicut diē illuminabit, Psal. 138. Natus est autē in Bethlehem, unde & natus Dauid erat, unde & Christus prædictus fuerat nasciturus.

Et hoc uobis signum: Inuenietis infantē pannis inuolutum, & positum in præsepio.

Euntibus & inquisituris dabo signū quo possit agnosci: Adire diuersorū, & inuenietis infantulum obuolutum fascijs, non purpura, nō auro, gemmisq; ornatum, non in molli lecto iacentem, sed reclinatum in præsepio, qui uenit ut principem superbix calcaret, qui est princeps huius mundi, & terrenos principes confunderet & doceret. In tali humilitate ostendere uoluit aduentus sui exordium. In signum, ait Bernhardus, positi sunt panni tui domine Iesu, sed in signum cui à multis usq; hodie contradicitur: multi quippe uocati, sed non multi electi, & ideo nec signati. Exemplum dedit nobis, ut & nos eadē ubiq; pallijs quam multa hodie gemmis & auro fulgent altaria, ait idem, quanti ubiq; pallijs parietes adornantur: Putas ad hæc diuertent angeli & panno sos homines declinabunt: Si ita est, cur pastoribus ouium magis apparuerit angelus quam terrarum regibus, quam sacerdotibus templi: Cur & ipse saluator, cuius est aurum, pariter & argentum, sacram in corpore suo dedicat paupertatem? Aut certe rationem mysterij pannis saluator obuoluitur, & ponitur in præsepio, quando id manifeste in signum nobis commendatur ab angelo, Hoc inquit uobis signum, & festum, & in terra pax hominibus.

Et subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium deum, & dicentium: Gloria in altissimis deo, & in terra pax hominibus.

minibus bonæ uoluntatis.

Hæc ubi prædicasset Gabriel, simul audita est ingens multitudo cœlestis militia, nimirum angelorū, qui ministri sunt domini, fortes in prælio, quicq̃ pro nobis bellant aduersus principes huius mundi. Hi modulatione quadam cœlesti & ineffabili canebant laudes deo, prædicantes illius inenarrabilem erga genus humanum charitatem, & humano generi gratulantes, quibus fauore nuntius tanta felicitas contigisset. Hymnus autē quem angelicus ille chorus concinebat, hic erat: Gloria in excelsis deo, & in terra pax, in hominibus bona uoluntatis. Nimirū hoc significat nobis angelica cantio, Nihil ex hoc negotio gloriæ deberi, nec angelis nec hominibus, sed uniuersam gloriam deberi bonitati diuinæ, quæ nobis quos condidit miro cōsilio prospicit e cœlo, ut intelligamus illinc nobis proficisci, quicquid magnificum aut salutiferum obtigerit, in terris nihil aliud optandum quàm pacem, quæ peccatis abolitis nos deo cōciliet, quæ nos mutua charitate conglutinet. Hæc est enim pax non mundi, sed dei, quæ exuperat omnem sensum, quæq̃ præponderat uniuersis mundi felicitatibus. Ea gratis per conciliationem dei & hominum offertur, non nostris intercedentibus meritis, sed ex propensa in nos beneficentiā diuinā, cui uisum est hac mirabili ratione consulere salutem generis humani. Gloria quoq̃ dei mirifice illustrata est, ubi spiritu Christi tam multi ipsum deum agnouerunt & adorauerunt. Pax in terra beata confecta est, dum plurimis à deo per Iesum Christum, ad patrem contigit; de cuius gratia, qui securi sunt, ita pacatis & tranquillitas animis existunt, ut boni omnia consulant, & pacem quantū in ipsis est, cum omnibus hominibus habeant. Est enim pax filia bonæ uoluntatis, cum & deus nobis bene uult, & p̃is hominibus omnia quæ deus agit probantur.

Et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in cœlum, pastores loquebantur ad inuicem: Transeamus usq̃ ad Bethlehem, & uideamus hoc uerbum quod factum est, quod fecit dominus & ostendit nobis.

Consilium inter se confert simplex turba pastorum, non dubitans de dictis angelorum, sed plenius desyderans cognoscere quod audierant. Loquuti sunt igitur inter sese: Sequamur angeli monita, proficiscamur hinc usq̃ ad Bethlehem, ut quod auribus accepimus factum, coram oculis intueamur, quo plenius reside prædicemus alijs, quod dominus nobis per angelos suos nunciare dignatus est. Sic fides trahit ad opera, & efficit, ut totis uiribus eò propendeamus, ubi opera esse quæ deo probantur, adeoq̃ Christum agnouerimus. Vbi enim uera fides Christi adglutinabit, ea nos inuicem & minimis eius faciet adesse quàm officiosissime; neq̃ plus offendent ipsorum sordes, quàm hosce pastores offenderunt sordes Christi, quem mundi seruatorem in præsepio positū inuenerunt. Verbo enim fides nititur, non eo quod uidetur.

Et uenerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepio.

Pastores properant, extimulabat animos pietas, peruentum est Bethlehē, uentum in diuersorium. Illic iuxta promissum angeli reperiunt Mariam puerperam, & Ioseph uirginem partus testem sanctum, nec non puerum fascijs obuiatum, ac repositum in præsepio. Nihil offendit pios pastores uirginis tenuitas, nihil sponsus iuxta mundum humilis, nihil puellus ob inopiam loci commodioris reclinatus in præsepio, quæ superbos Phariseos & scribas ilico alie-

nassent; sed his omnibus magis confirmantur ad firmiorem credulitatem, potestaequam oculis testibus compererunt non esse uana quæ nunciarat angelus. Non cum desidia Christus quærendus docetur hoc factis pastoribus, qui non ficta fide currunt uidere de quo audierant. Horum exemplo ecclesie pastores, & fideles cuncti, fide & uirtute proficiant, cœlestisq; oraculo eiectionis præcedentium patrum uitam, in qua panis uitæ semper & seruetur & reficit, quasi Bethlehemi portas contemplando subeant, &c.

Videntes autem cognouerunt de uerbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierant, mirati sunt, & de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos.

Habet & pietas in hominibus quamlibet humilibus suam prudentiam. Non enim protinus euulgarunt quod audierant, sed ubi rem certam cognouissent, tum non ueriti sunt & apud alios quod audierant prædicare. Ab huiusmodi præconibus primum amauit prædicari Christus, in quorum simplicitate nulla cadebat uanitatis aut fuci suspicio. Non nouerant aliquid ex se commisit, nesciebant affingere uisis, sed quod audierant ac uiderant, ut audierant ac uiderant bona fide nunciabant, bonæ mentis hominibus. Et inuenit pastorum uox apud multos fidem, quæ multos excitauit ad uidendi pueri cupiditatem. Nullos tamen interim legimus ob id puerum cum matre magnopere honorasse, præter Magos alienigenas, qui à longinquo adeo per stellam adducti uentum homines fuere, quæ à pastoribus audierant. Multis enim sine dubio deliramenta uisa sunt. Sic se habet ad diuina ingenium humanum, ubi a beati spiritus dei.

María autem conseruabat omnia uerba hæc, conferens in corde suo.

Hic sanctæ uirginis prudentem modestiam consydera. Discit à pastoribus quid nunciarit angelus, quid cecinerit cœlestis militiæ chorus, ipsa sola tacet, hæc omnia quæ prius quæ nunc acciderant conseruans in animo, ac diligenti reputatione conferens in corde suo. Silet in suum tempus uirginis conceptus mysterium, non iactat apud alios suam felicitatem. Ancillam promiserat officio diuino, ancillam exhibet. Contemplatur tacita secum rationem diuini consilij, consyderat omnia plena esse nouis miraculis, uidet ubique summam humilitatem cum summa sublimitate misceri. Infans in utero concipitur, sed angelo internuncio, spiritu sancto opifrice; puer nascitur, sed è uirgine matre; reclinetur in præsepe, sed angeli gratulabundi canunt è cœlis: latitat in obscuro loco, sed cœlum nati sublimitatem adorat. Ita pij solent uirginis exemplo in operibus dei cogitandis immorari, unde & pietas mira percipit incrementa.

Et reuersi sunt pastores glorificantes & laudantes deum in omnibus quæ audierant & uiderant, sicut dictum est ad illos.

His hunc in modum peractis pastores repetunt gregem suum, glorificant deum, quia quemadmodum audierant comperissent. Sic spirituales & uerari pastores solliciti de grege domini sui, cæteris dormientibus & uacantibus suis ad cœlestia subuehuntur, aliquando castra fidelium lustrant, aliquando sanctitatis exempla quærendo circumferunt, aliquando ad publicas functiones

ctiones pastoralis officij docendo redeunt, ut quod in priuato gustarunt de uerbo uitæ, publice prædicando eructent.

Et postquam consummati sunt dies octo ut circuncideretur puer, uocatum est nomen eius Iesus, quod uocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur.

Leuit. 12. 4

Supra 1. c

Math. 1. 6

Postquam uenisset dies à partu octauus, quo lex Mosaica iubet infantem masculum circuncidi, amputata summa preputij pellicula (Nam id primum ab Abraham profectum deus uoluit esse suæ gentis signaculum) satisfactum est & hac in re legi, quando non uenerat soluturus legem, sed adimpleturus. Nec dedignatus est ueluti peccatis parentum obnoxius accipere remedium, qui solus ab omni peccati contagio immunis, ablaturus erat omnia peccata mundi, sibiq; nouum populum adiuncturus, cui cor esset ab omnibus carnis cupiditatibus repurgatum, idq; non cultris petrinis, sed gladio sermonis euangelici, per fidem omnia purgantis. Voluit & haberi & ostendere se esse filium Abraham, naturali carne & corpore amictum, adimere Iudæis impijs occasionem conatus, quasi non Israeliticus esset si non circumcisionem gestaret. Onus legis ferre decreuit, ut nos à legis maledictis non obseruantes eximeret. Nomen quoque ex more inditum est puero die octauo. Dicitur enim, Iesus, quod Hebræis sonat Seruatorem. Non hoc autem fortuito aut uoluntate humana, sed diuina, per Gabrielem annunciatum est, traditum antequam in utero uirginis conciperetur: ut uel ex ipso statim uocabulo mortales admonerentur hunc esse qui ueram salutem conferret omnibus, uerum fidelium ducem Iosue referret, qui suos ad promissam hæreditatem perduceret, & ab omni uitiorum inquinamento purgatos suos perduceret in terram sanctam, & in Ierusalē cœlestem, æternis gaudijs affluentem. Hactenus ergo typis quibusdam prælusum est euangelio, primum populo Iudæorum prædicando, dum angelus pastores Christum annunciat. Ad sunt autem post breue & incertum tempus Magi ex Oriente sapientes, stellæ indicio procul exciti ad uisendum puerum; adorant nouum orbis principem, ac mysticis donarijs honorarunt, quadam rerum imagine significantes, gentes amplexuras euangelij gratiam, ab homicidijs Iudæis & sola carnis iactatione Israelitis repudiatam.

Et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, ut sifterent eum domino, sicut scriptum est in lege domini: Quia omne masculinum adaperiens uulnam, sanctum domino uocabitur: & ut darent hostiam secundum quod dictum est in lege domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

Leuit. 12. 4

Exod. 13. 4

Num. 9. c

Leuit. 12. 6

Quum adesset dies quadragesimus à partu, quo lex iubet masculinum foetum exhiberi domino, proq; purgatione puerperæ simul & pueri nati, quod uulgaris mulierum partus nõ absq; sordibus corporis constet, offerri munus, nec hic modestissima uirgo refugit speciem uulgarium matrum, quum in hoc partu nihil esset inquinatum, nihil non cœlesti puritate sanctimoniaq; plenum. Quid enim haberet impuri puerpera quæ citra uirilẽ contactum, ex amplexu uirginitatis cœlestis per opificium spiritus sancti conceperat? An uero quicquam sordidum poterat esse in foetu, qui cœlitus conceptus, in hoc natus uenerat, ut solus omne genus humanum purgaret à cunctis uitiorum sordibus? Sed his tam insigni

bus modestiæ exemplis, deus humanam superbiam frangere uoluit: simulq;
 conueniebat, ut qui uenerat utrumq; parietem, hoc est, Iudeorum ac Gentium
 populum in eandem Euangelij professionem compacturus, per omnia satisfacere
 ceret legi Mosaicæ, unde prima fides & autoritas erat euangelio profectura.
 Mater igitur ac Ioseph, qui certo dei consilio pater adhuc credebatur in conspe-
 ctu domini, cui dicatus erat, & consecratus. Non quod non omnia sunt domi-
 ni, sed ut mystico typo doceremur, eos demū animos esse domino gratissimos,
 qui masculo spiritus robore deuictis carnis uelut effœminatæ cupiditatibus,
 grassantur ad ea quæ cœlestia sunt & æterna. Hoc innuens lex Mosaica, præ-
 scribat ut omne masculinum simulatq; uulua matris adaperita prodiret in lu-
 cem, haberetur domino sacrum, siue natum esset ex hominibus, siue ex brutis
 animalibus, ut hinc quoq; primitiæ cederent sacerdotibus: sic tamen, ut homi-
 nis primogenitum à sacerdotibus redimeretur, nisi puer esset tribus Leuitica.
 Atqui lex ipsa palàm liberat hanc sacram puerperam ab obligatione sua, quæ
 ait in libro Leuitico, Mulier si suscepto semine uel seminauerit masculum: si qui-
 dem hæc nec mulier erat, quæ uirum nesciebat, nec semine suscepto aliunde
 pepererat. Rursum cum ait, Omne masculinum adaperiens uulua, satis indi-
 cat se de uulgarī matrum partu sentire, quæ prius fractio per uirum uirginica-
 tis signaculo, non sine sordibus libidine uel pudore cōcipiunt. Hic autē fetus
 cœlestis, nec ingrediens nec egrediens, uirginalis uteri claustra uiolauit, sed
 consecrauit potius, & consignauit, ne in posterum etiam, uel corpus illius uel
 tēplum semel deo dedicatum, uel animus myrothecium sancti spiritus, uel
 lis humanis inquinamentis pateret. Exhibitus est igitur uelut legi obnoxius in
 templo, qui dominus erat omnium cœlestium ac terrestrium. Redemptus est
 exiguo pretio, qui sui sanguinis pretio redempturus erat uniuersum mundū.
 Lex enim præscripserat, ut parentes primogenitum masculinum agno annicu-
 lo redimerent, qui dabatur in holocaustum: deinde adderetur columbus aut
 turtur, pro expiatione peccati, si quid labis in coitu aut post esset contractum.
 Debet enim undequaque purum esse, quod domino sit offerendum. Quod rei
 familiaris angustia non patiebatur dari agnum, agni uice dabatur turtur, aut
 pullus columbæ, pro redemptione pueri. Altera auis offerebatur pro expiatio-
 ne peccati. Obtulerunt igitur pauperum munus, non dubiū est quin uberius
 fuerint largituri, nisi tenuitas obstetisset. Reuera autem & agnum obtulerunt,
 non iam mysticum, sed uerum, tollentem peccata mundi, sacrificium nobis
 lissimum, sanctissimum & perfectum. Aderat pietate diues animus, sed ad
 exemplum nobis parandum utilior erat professio paupertatis. Atque hæc
 omnia diuini consilij dispensatione sic peracta sunt, quum multis alijs de causis,
 tum ob hanc præcipue, ut tot argumentis declararetur in puero ueritas hu-
 manæ naturæ. Vteroque tumente conspecta est in diuersorio, mox enixa suble-
 dit corporis tumor. Infantem recens natum comperere pastores, adoraue-
 runt Magi, circumcisus est solenni ritu. Rursum idem in templum delatus est
 ac palàm exhibitus sacerdotibus. His rebus factum est, ut nec de partu quisi-
 quam possit dubitare, & paulatim pluribus innotesceret, sed humilibus ac
 pijs duntaxat. Conueniebat enim, ut nec paucis nec uulgaribus argumentis
 confirmaretur, quod creditum omnibus sæculis esset allaturum salutem æter-
 nam: nō creditum, mortem æternā. Angelus nūciat, testis adhibetur spiritus
 Ioseph, Elizabeth sterilis parit, mutus Zacharias loquitur, uterque spiritu
 prophætico

propheticò corripitur, exultat Ioannes in utero matris, uirgo generat, hospites Magi accurrunt & adorant, pastores predicant. Tot argumentis, tot prodigijs, commendata est recens pueri natiuitas.

Erecede homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israel, & spiritus sanctus erat cum eo. Et responsum acceperat à spiritu sancto, non uisurum se mortem, nisi prius uideret Christum domini.

Oportebat ab omni sexu omniq; ætate, statu & professione quosdam esse qui testimonium ferrent Christi aduentui, quæ adhuc hodie infelices Iudæi expectant futurum. Erat autem id temporis Hierosolymis uir quidam, nomine Simeon, senecta iam frigidus, ætate marcidus. Erat enim ex probatissimis discipulis Hillelis, de quo multa Iosephus memorat præclara, non ignobilis. Qui Hillel cum floruerit ante destructionem templi factam à Romanis anno centesimo, huncq; habuerit Simeonem probatissimum discipulum, quo tempore & sub eodem magistro floruit Ionathas Vzielis filius, translator Syrius celeberrimus Bibliorum apud Hebræos. Vt satis manifestum sit, Simeonem huic contemporeaneum, iam Christi natiuitatis tempore senem fuisse. Et ut de Iudæicis traditionibus, quæ non omnes falsæ sunt, aliquid cõmemoretur, etiam Iohannes Zachari filius, quem Iudæi Raban Iohannem Benzaccam uocant, huic Simeoni contempore & discipulus fuisse à Thalmudicis scriptis. Quin & huius Simeonis auditor & discipulus fuisse à Iudæis tradit Gamaliel ille magnus doctor Christi tempore, ad cuius pedes Paulus Apostolus legem didicit. Vt sic Pauli magistrum ac præceptorem probare contra Iudæos possimus Gamaliel fuisse, celebrẽ ac nominatum magistrum apud Thalmudicos authores. Eundem quoq; Gamaliel fuisse discipulum Simeonis cognomento iusti, tam apud Euangelistas q; Thalmudistas, qui Simeon discipulus & auditor fuerit Hillelis & Samei, hæc contra Iudæos proferri possunt, ut intelligant nos non ignorare ipsorum mysteria, & uerum non cõtradicere, sed consonare. Nostris autem & nobis sufficit, Euangelistæ autoritas, qui hic uerissime narrat, Simeonem quendam uisite Herodis temporibus cum nasceretur Christus, senem, iustum, dei timentem, qui uita innocentia floruerit, etiam ueteranus & decrepita ætate, uere pius & religiosus, qui & non fuerit secutus exempla Pharisaorum, ut gloriam & quæstum uoluptas in hac uita remorabatur, sed magno desiderio ferebatur uidentis oculis suis eum, quem in hoc prophetarum oracula promiserant uenturum, ut consolaretur Israeliticum populum, multis modis afflictum. Is Simeon iustus, Hillelis discipulus, Gamalielis magister, inuitis Iudæis, erat uir bonus, et afflatu sancti spiritus cognouerit eum diem iam adesse. Quicq; uotis ardentissimis rogasset dominum, ut sibi cõtingeret uiuere eum diem, quo uidere posset corporalibus oculis suis tot iam sæculis expectatum Messiam, responsum acceperat in adyto pectoris à spiritu sancto, fore, ut non emigraret ex hac uita, nisi prius oculis corporeis uidisset, quem oculis fidei iam pridem perspexerat, ut testari possit ueritate, quem uenturum non dubitabat, felicem illum puerum, quem deus ungenitum supra mortales omnes, ut æterno regno, nec unquam abrogando sacerdotio potiretur. De Iudæorum schola ueteri uide Petrum Galatinum.

Et uenit in spiritu in templum. Et cum induceret puerum Iesum pa-

rentes eius, ut facerent secundum cōsuetudinē legis pro eo, & ipse accepit eum in ulnas suas, & benedixit deum, & dixit:

Quum futurū esset, ut puer Iesus isto tempore adferretur in templū, quem admodum diximus, beatus ille senex submonitus afflatu sancti spiritus, sub ipsum tempus uenit in templū, quumq; Maria mater & Ioseph, qui tum credebatur adhuc pueri pater, quia nutritius, infantem deferrēt in templum, ut peragerēt, quæ ad solennes ritus purificationis pertinebant iuxta legem Moïsis, posteaquam sacerdos oblatum puerum amplexus esset, eiq; benedixisset, non se continuit pietas senilis, quin ipse quoq; desideratum infantulum complectere tur ulnis suis, simulq; erupit mox defectura uox in laudē dei, ueluti cygnam quandam cantionem promens, ac dicens:

Ece: Quia uiderunt oculi mei salutare tuum: Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriā plebis tuæ Israel.

Nunc, ait Simeon iustus, satisfactū est domine uotis meis, nunc lubens ac lætus moriar, quia dimittis seruū tuum animo quieto placidoq; neq; quicq; præterea desiderantem in hac uita, sed cupidum etiam ex hoc senili corporeculo demigrandi ad felix consortium piorum hominum, qui diem hunc expectarant, nec uidere contigit nisi spiritalibus oculis fidei. Meis uotis abundantius satisfactum est, cui corporeis etiam oculis uidere contigit, cui datum est ulnis senilibus amplecti filiū tuum unicum, per quem tibi uisum est ueram salutem conferre, non solum Israelitico populo, uerum etiam uniuersis mundi nationibus. Agnosco in humili corporeculo uirtutem tuam: agnosco hunc esse lumen mundi, prophetarum oraculis promissam, hunc esse solem, quem exoriri uoluisti, ut dispelleret tenebras omnium gentium, & haberet populus tuus Israel de quo merito gloriatur: populus, inquam, uere tuus, non iuxta carnem tantum, unde prodijt salutis exordiū, sed iuxta spiritalē cognationem, quæ fide euangelica conciliatur. Israel enim est, quisquis in hanc lucem pios intenderit oculos. Antehac populus Iudæorum gloriatus est de Abraham, Isaac & Iacob, gloriatus est de Moïse, de tēplo, de prophetis: posthac spiritalis Israel, qui per totum orbem diffusus est, gloriabitur de tuo filio, quē post omnes, quæ maiorem mittere dignatus es. Nunc quidē latitat paucis agnitus, sed post emicabit illius lux suis radijs, cunctas mundi plagas illustratura. Ex huius autē Simeonis expectatione liquet in idipsum tempus, quo natus Christus est, non autē prius fuisse omnibus expectatum. Nam pleræq; prophetiæ, ut de sceptro non auctore, deq; hebdomadis Danielis, atq; aliæ ad hoc ipsum tempus designant. Vtq; loquuntur quicumq; credunt, nec possunt sibi retinere quæ saluti queant esse multis: ita dubiū non est, multos tunc sanctiores & Simeoni similes, de instanti Christi aduentu populū admonuisse. Sed quia carnalia querentibus Christus nullius æstimatur: ita surdis de Christi aduentu iusti prædicarunt inuisibiles, inter quos nimirum rarissimi erant, qui deum uere agnoscerent: uergebat namq; res ipsorum ad obcæcationem & excidium. Laudatur autē hic Simeon ab eximia uirtute, quod expectarit consolationem Israelis, quo nomine legitur datum & Ioseph ab Arimathea.

Et erat pater eius & mater mirantes super his quæ dicebantur de illo.

illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruina, & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

Mater infantis & Ioseph uidentes hæc afflatu diuini spiritus à sene dici, con-ferentes interim cum his quæ præcesserant, taciti secum admirabantur, quid si-
bi uellet senis oratio. Ceterū ubi puero simul & parentibus bene precatus esset
Simeon, uersus ad Mariam, dixit: Filius hic tuus, quanquam in hoc datus est à
deo, ut salutem conferat omnibus, tamen hominum uitio fiet, ut quemadmo-
dum multos donum dei amplectentes erecturus est ad spem salutis æternæ: ita
multi gentis Israeliticæ respicientibus obuiam dei beneficentiam, deiciantur in
exitium æternum, ueritate per hunc prodita, cadent qui prius stare uidebatur,
exurgent qui uidebantur iacere. Ab omnibus Israelitis expectatus est, sed non
ab omnibus recipietur: proponetur enim omnibus, ueluti signum, quale nun-
quam propositum fuit ab initio mundi, sed obnoxium multorum contradic-
ti, ostrepent illi pharisæi, scribæ, & pontifices: reclamabunt increduli & hære-
tici, tantusq; tumultus concitabit undiq; ut ne tu quidem sis à malorum con-
silio futura immunitis. Nam non ad eos tantum perueniet eorum crudelitas,
gladius. Tale signum uisum est deo proferre sub oculos omnium, ut clara ueri-
tatis luce prolata, retergerentur cogitationes hominum quæ latebant in corde,
ac uersis rerum uicibus, res ipsa declararet eos abuisse procul à uera iustitia,
qui apud homines uidebantur arcem tenere iustitiæ, deprehenderentur impij,
qui sibi uindictarant doctrinam pietatis: contra, qui prius habebantur alieni à
religione, declararentur multo fuisse propiores ueræ religioni: qui uidebantur
esse reiecti ac deplorati, hos simplex credulitas primos admittet in regnū celo-
rum. Scribæ & pharisæi semper Messiam habent in ore, legem & iustitiam, fre-
quentes uersantur in templo, orant prolixè, ieiunant crebro, latis phylacterijs
insignes obambulant, sed longe aliud calant in corde, quam præ se ferunt specie-
rum. Publicani, meretrices, & peccatores ab his religionis hypocritis submouen-
tur à sacris, sed hos omnium primos deus recipiet conuersos in regnum celo-
rum. Gentes idololatriæ deditæ, subito mutata uita, studijs auidis amplectentur
doctrinam ueræ pietatis, Pharisæi & pontifices, penes quos erat legis & religio-
nis fastidium, legis authorē insectabuntur, ueræq; religioni pertinacissimis studijs
aduersabuntur. Nox certū iudiciū non habet, ac frequenter pro rebus umbras
& inania rerū simulachra obijcit oculis. Sol exortus discutit omnes præstigias,
ac suam cuiq; faciem, suum cuiq; colorem reddit. Hæc pius ille senex, afflato
numine pectore gaudens ac gestiens deprompsit.

Erat Anna prophetissa, filia Phanuel de tribu Aser: hæc processer-
at in diebus multis, & uixerat cum uiro suo annis septem à uirginitate
sua. Et hæc uidua usq; ad annos octogintaquatuor, quæ non discede-
bat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte & die.

Iam acceperat dominus Iesus testimoniū ab angelis, à uirgine, à sponso ca-
sto, à sacerdote Zacharia, ab infante nondū nato Ioanne, ab Elizabeth nupta,

à pastoribus, à Magis, à scribis, à prophetia pronunciantibus ubi Christus esset nasciturus, ab herode sibi metuente, à Simeone, qui nec sacerdos erat nec Leuita, sed nihil aliud quam iustus, restabat ut à uidua quoque ferretur testimonium. Tanta uis erat infantis, nondum exerentis iustas uires, ut omnia corripere dicitur uino spiritu, afflans humiles, superbos perturbans ac territans, ut ex his praeludijs non difficile colligi posset quæ foret rerum futura mutatio, quum iam adultus uocem illam cœlestē palam depromeret, quū miraculis inclaresceret, quum moreretur ac resurgeret, quum spiritum sanctum affatim e cœlis in omnes credentes effunderet. Ergo seni cœliti succedit anus uidua. Erat enim Anna quædam, ex re nomen habens, nimirum à gratia, quippe spiritu prophético prædita, filia Phanuelis, uiri laudati, de tribu Aser: ut uideas de omnibus tribubus Iudæos habitasse in Iudæa & Ierusalem. Hæc cum esset admodum proeclatæ ætatis, non in aliud uidebatur dilata, nisi ut quod ardentissimis operatur uoluntatis, anus uideret promissum infantem, qui salutem esset allaturus populo Israelitico. Suggesterat enim hoc ei spiritus sanctus, iam esse natum, & eiusdem spiritus admonitu quo fuerat afflatus Simeon, superuenit, quum hæc quæ narramus agerentur in templo. Hæc cum nondum esset gloriosa apud Iudæos uirginitas, uixerat cum marito septem annos à uirginitate sua, datum est hoc tempus marito & soboli. Cæterum quod reliquum erat uitæ, pietati soli consecratum est. Perseuerauit enim in uiduitate annos circiter octoginta quatuor, semel experta coniugium, quamuis esset adhuc ætate uigente, non cogitauit de repetendo matrimonio, sed ueluti mundo mortua, ac deo iam dicata, non discedebat à templo, uictimis euangelicis illi sacrificiis assidue, non interdum solum, uerum etiam noctu, se totam immolans domino hostiam uiuam, ac rationabilem & acceptam. Nam corpus immolabat crebris ieiunijs, animum pijs uocibus & obsecrationibus offerebat.

F Et hæc ipsa hora superueniens, confitebatur domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Israel.

Dum purificationis ritus peraguntur in templo, dum uaticinatur Simeon, dum sacris gratulationibus redundant omnia, commodum et hæc superuenit, ut & ipsa testis esset nati pueri, suique pectoris affectus cum aliorum gaudijs coniungeret, laudibus efferens diuinam benignitatem, quæ respexisset populum suum. Nec tacuit apud alios, quod oculis uiderat, quod afflatu didicerat, sed de puero loquebatur omnibus, qui Hierosolymis expectabant redemptionem Israeliticæ gentis. Satis erat hoc uiduæ, tantum in templo prædicare uenisse Christum, & paucis auidis hoc indicare. Nondum enim uenerat hoc tempus, quod seruatum erat apostolis, cœlesti plenis spiritu, de quibus dictum est: In omnem terram exiuit sonus eorum, &c. De templis uisitandis non est quod Christiani solliciti sint, in omni siquidem loco adorandus est dominus, sed in spiritu & ueritate. Vera quoque ieiunia & preces utinam habemus frequentissima, sed ueracera, & factitijs superstitiosisque batologis interpolatisque tantum cupedijs & gula irritamentis uicissim exquisitis plebi nemo imponeret, prætextuque eorum uoluptates malas aleret. Nequid hic monachi sibi patrocinarum putent, cum quibus frustra ages, qui ueræ pietatis rationem ignorant.

Et ut perfecerunt omnia secundum legem domini, reuersi sunt in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth.

Cunctis tandem rite peractis quæ ad purificationem præscripserat lex dei, reuersi

reuerſi ſunt quidem primo in Bethlehem, ubi natus erat puer, Cæterū cum Herodes rex à Magis admonitus natum eſſe nouum regem Iſraeliticæ gentis, iuſſiſſet interfici omnes infantes, qui intra biennium nati fuiſſent in Bethlehem, atque in toto eius oppidi territorio, Ioseph admonitus ab angelo per ſomnum, puerperam ac puerum abduxit in Aegyptum, atq; illic cōmorati ſunt uſq; ad mortem impij regis. Eo facto, ruruſus admonitū angeli reuerſi ſunt, non iam in Bethlehem, ne daretur occaſio ſauendi Herodis filio in ſuſpectam ætatē Chriſti, ſed in Galilæam abiit, in ciuitatem Nazareth, ubi conceptus fuerat infans. Volebat enim ad tempus latere. Atq; illic habitans facile fallere poterat crudelitatem eorum, qui noui regis exortum metuebant. Atque hæcenus cœleſtis ille princeps noſter, qui ſe noſtra cauſa uſq; ad faſcias, cunas, uagitus, & imbecillitæ corporis infantiam deiecerat, alienæ uocis teſtimonio prædicatus eſt.

Puer autem creſcebat, & confortabatur, plenus ſapientia: & gratia dei erat in illo.

Ætas paulatim accreſcens augebat corporis modum ac uires, in quo uelut in domicilio relucebat indoles quædam admirabilis, aliquid præ ſe ferens hominis, uultu, inceſſu, ſermone, factis, in quibus nihil erat quod non ſpiraret moderate, caſtitate, ſuauiſſimam, pietatem. Non enim erat obnoxius his uitijs quæ ſapientia qua repletus erat, non expectatis annis, iam tum ſeſe proferebat, ſic ut qui prius alieno teſtimonio fuerat cōmendatus, nunc raris dotibus ſuis redderetur omnibus & admirabilis & amabilis. Sapientia, ſanctitas, integritas, maturitas, quantum in nullo ſene reperias, reddebat eum omnibus admirabilem. Porro morū ſuauiſſimam, comitas, modeſtia, reddebat illum omnibus amabilem. Non erat fauor uulgaris aut temporarius, quæ ſibi nonnunquæ ætas illa dotibus humanis colligit, puta, formæ gratia, aut alioqui præcoci docilitate: ſed affuſit in eo diuina quædam & admirabilis gratia, pertrahens omnes in amorē uirtutis.

Et ibant parentes eius per omnes annos in Ieruſalem, in die ſolenni paſchæ.

Quamquam Nazareth longius abeſſet ab Hieroſolymis, tamen religioſi pariter leſu quorannis eò ſe conferebant ſecundum legem & conſuetudinem, idq; ad diem feſtum paſchæ, qui apud Hebræos religioſiſſime colebatur. Atq; is erat, quo deſtinatus erat immolari ſuo tempore agnus ille, omnis maculæ neſcius. Porro puer ſub matris & nutritij ductu, iam tum ad noſtrum exemplum aſueſcebat religioni: parentes omnes admonens officij ſui, quos oportet ex ſeſe prognatos ſtatim & ab ipſis, ut aiunt, incunabilis arcere ab omni laſciuia, ſed ſanctis moribus, ueraciq; pietatis ſtudijs aſueſcere, dum adhuc tenera eſt ætas, dum adhuc molle & ad omnem uirtutē ſequax ingenium. Nō egebat puer Ieruſolymæ, & omnibus liberis oſtenſa forma eſt, quomodo ſeſe debeant præbere morigeros parentibus, ad ea quæ ſancta ſunt hortantibus.

Et cum factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Hieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatisq; diebus cum redirent, remanſit puer Ieſus in Ieruſalem, & non cognouerunt parentes eius.

Cum iam accedētibz annis firmior esset pueritia, ad ephēbiam accedens, annos nato duodecim, ac parentes ex more adissent Hierosolymā ad diem paschæ, comite puero, perfectis quæ ad religionē eius festi pertinebant, peractisq; diebus, quibus rei diuinæ dabant opera, matre & Ioseph domum reuersis, puer Iesus remansit Hierosolymæ, iam tum uelut prægestiens ad patris sui mandata peragenda, ob quæ missus erat in mundum. Ea res latebat parentes. De præcepto maribus dato, ut ter in anno Hierosolymam ascenderent, festa domino celebraturi, habetur Exod. 33. nimirum ut legē dei populus certius disceret, & amicitiam ex conuentibus illic magis ad religionē coalescerent, & ad mutuam familiaritatem & charitatē. Virgo autē Mariā piissimā comitē se sponso præbebat ad locum dei. Dispensabatur tamen cum his, qui remotiores erant à Ierusalē, de festis Pentecostes & Tabernaculorum. Erat autē ista peregrinatio non uoluptatis, non curiositatis, sed pietatis, reuerentiæ & deuotionis, honorisq; diuini gratia: unde & ab otiosis cauētes garrulationibus, de lege domini & sanctimonia, deq; timore dei & legis obseruantia sermo erat, cū decantationibus Psalmorum in uia, deq; quæstionibus legis, quas proposituri essent doctioribus & Leuitici ordinis doctis in Ierusalem. Illic autē perseverabant & sex alijs sequentibus diebus, qui & suo modo celebres erant, & uerbo dei, orationibusq; & sacrificijs celebrandis dicati. Quomodo autē ignorare potuerint remansisse puerum sui parētes rationē adsignant, quia moris fuerit, seorsum uiros & seorsum mulieres incedere tunc solitos. Pueri autem cum quolibet parēte incedere poterant, ideo utriq; de puero cogitare poterant eum comitatum alteri.

Existimantes autem illum esse in comitatu, uenerunt iter dici, & requirebant eum inter cognatos & notos, Et non inuenientes, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum.

Vbi non rediret puer cū cæteris comitantibus & reuertentibus ad propria, uulgarī parentum sollicitudine demirati sunt quid accidisset, suspicabantur autem eum in æqualium & cognatorū comitatu hæsisse, & ob hoc uenire Ierusalem. Proinde remensi sunt uia ad iter diei unius, quærentes eum inter notos & amicos, inter quos solet ætas illa nonnunq; libenter cessare, uidelicet, remorante illos propinquorum affectu. Verum hic non est inuentus Iesus, qui iam tum docuit esse renunciandum parentum & cognatorum affectibus, ei qui uelit uelēstis doctrinæ professionem suscipere. Hic igitur frustrata spe, quæ magis etiam parentum animos sollicitudo scrutiaret, reuersi sunt Hierosolymā, suspicantes fieri potuisse, ut illic apud amicum aut notum aliquem hæsisset.

G Et factum est, post triduum inuenerunt illum in templo, sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius. Quum frustra quæsitus esset puer inter cognatos & notos, post triduum accidit ut parentes inuenirent eum in templo, non otiosum aut lustrantē, sed sedentem in medio doctorum, quos puer uicissim & audiebat docentes, & interrogabat, ac uicissim ab illis interrogatus respondebat, non quod illi necessitas fuerit sciscitari ab hominibus quod disceret, sed ut prudenter interrogando doceret eos, qui legis scientiam profitebantur, quum legis uim ignorarent: similes interim ad discendū studium accendens, docensq; nullam ætatem esse præperam ad discendum ea quæ faciunt ad pietatem. Sunt autem artes quibus discendis

scendis non quæuis ætas sit idonea, sola pietas statim discenda, nec huius studi-
 um unquam est remittendum usq; ad extremum uitæ diem, semper enim est
 quo proficias, quoad uixeris. Iesus autem quanquam esset ignotus doctoribus
 & circumstanti populo, tamen omnes uertit in admirationem sui, quod tantil-
 lus puer dictis & responsis suis admirabilem quandam & plus quàm senilem sa-
 pientiam declararet. Videbant ætatem corporis imbecillem & immaturam sa-
 pientiam, audiebant autem puerum singulari modestia ea promentem, quæ do-
 ctorem profectæ ætatis, quiq; iam sapientiæ fastigium assequuti uidebantur nõ
 pigeret discere. Et tamen interim aberat fastus, aberat procacitas, aberat iactan-
 di cupidus, interrogatus modestissime simul & prudentissime respondebat,
 atq; ita docebat citra speciem arrogantiam. His rebus factum est, ut & doctores
 quibus cum disputabat, & ij qui circumstabant, testes eius disputationis, uehe-
 menter obstupescerent, non solum ob inauditam pueri sapientiã, quam inter-
 rogans & respondens declarabat, uerum etiam ob raram uultus ac gestus lin-
 guæq; modestiam, quæ gratiam addebat intelligentiæ. Nec hoc interim omni-
 no uacat utili mysterio, quod qui non potuit inueniri inter notos secundũ car-
 nis, Hierosolymis in templo repertus est: quæ ciuitas religionis opinione cele-
 lis. Ubique igitur res agitur humanis affectibus, ubicunq; studetur his re-
 bus quæ pereunt cum hoc mundo, ibi nec Ierusalem est, nec templum domino
 sacratum. Proinde nec ibi est quærendus Iesus, qui totus cœlestis est. Verum
 ubicunq; pectus est, neglectis his quæ sunt carnis & sanguinis, anhelans ad
 felicem illam tranquillitatem animi, quam hic per fidem euangelicam præstat
 est, quo delectatur Iesus, ibi uicissim proponitur ac respondetur, non de qua-
 dratura circuli, non de prima materia aut primo mobili, quæ citra dispendiũ sa-
 lutis nesciuntur, sed de cognitione sacrarũ literarũ, per quas deus nobis uitam
 gratissimã, libido, liuor, ira, ambitio, auaritiã, ibi pijs uotis ac puris precibus
 accenditur suffitus domino gratissimus. Curandum est igitur unicuiq; ut Ieru-
 sum mereatur habere hospitem.

Et uidentes admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid se-
 cisti nobis sic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebatuſ te.

Dum his rudimentis puer ille mirabilis præludit, ad peragendum cœleste
 negotium, restituendæ salutis humanæ, cuius gratia descenderat de cœlo, su-
 perueniunt pater & mater, quibus nondum ad plenum erat cognitum diuini
 consilij mysterium, ideo uidentes admirantur. Resederat in illis adhuc aliquid
 affectus humani, quanquam pia sollicitudine quæsierant puerum. Tacet Io-
 seph, qui sibi conscius erat, se nihil habere iuris in partum sponsæ suæ. Mater
 uero auctoritate sua ex postulat, quando & matrum est peculiare, curam habe-
 re filiorum, docere, formare, absterere, & custodire, ut patris est nutrire & de-
 fendere. Filij, inquit, cur ad istum modum nos tractas? cur te clam subduxi-
 sti à nobis? Ecce, pater tuus & ego iam dies aliquot anxij te quæsiuimus, omnia
 metuentes tibi, quæ parentum pietas solet amatis liberis metuere.

Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatuſ? nesciebatuſ quia in his

quæ patris mei sunt, oportet me esse: Et ipsi non intellexerunt uerbum quod locutus est ad eos.

Ad hunc matris sermonem, à pio quidem affectu profectum, sed humano, ob quem non oportebat interpellare rem diuinam quæ tum agebatur, Iesus subdure respondit, non quod indignaretur parentibus, sed ut ostenderet in Evangelico negotio ad quod missus erat à patre cœlesti, nō oportere locum esse cuiquam authoritati humanæ. Habet parentum authoritas limites suos, cui renūciandum est, quoties agitur negotium salutis æternæ. Par est enim, ut humana cedant diuinis, & prior sit ratio dei, cui debemus & corpus & animam, & à cuius benignitate expectamus hæreditatem uitæ immortalis, quam horū à quibus iuxta carnem progeniti sumus & educati, successuri in portione aliam quam facultatum terrenarum. Debemus & his sanè plurimū, sed longe plus debemus deo, cui debemus & ipsos parentes. Sic & post parum blande respondit matri, quum in nuptiis interpellaret de uino, ac materna quadam authoritate miraculum exigeret, quod non nisi in gloriam dei erat promendum. Sic durius etiam respondit ihs, qui ipsum à concione euangelica matris & cognatorum uerbis euocarant. Respondit autem hunc in modum: Quid erat cause cur me tam anxie solliciti quæreretis? An non ueniebat uobis in mentem, quod in negotio patris mei oportet me esse, quoties ille uocat ad munus delegatū? Hæc oratio Iesu quid sibi uellet, non satis intellectum est à parentibus, præ se ferebat enim quiddam homine maius, præsertim in ætate tam tenera, quanquã autem ex his quæ præcesserant nihil uulgare aut mediocre expectarent à puero, nondum tamen ad plenum intelligebant sublimitatem diuinæ uirtutis, nondum cognouerant quam admirabili consilio decreuisset deus per filium suum redimere genus humanum. Audiunt nomen patris, quem sciebant non habere patrem in terris, audiunt negotium patris, de quo nihil adhuc illis meminerat, obice sciunt tamen parentes, & reuerentur sermonem non intellectum.

Et descendit cum eis, & uenit Nazareth, & erat subditus illis.

Demisit se Iesus, morigerumque se matri præbuit, & Ioseph nutritio suo, non quod illis deberet obedientiam, sed ex sua bonitate obsequutus est ad tempus illorum imbecillitati: simulque pueris omnibus formam & exemplum exhibuit, quanto studio, quantaque reuerentia debeant obsequi parentibus suis, quum puer Iesus, qui nulli debebat obsequium, nisi patri cœlesti, sic obtemperauit simulato patri ac matri, quæ ipsum citra uiolati pudoris iniuriam genuerat. Inuisum est domino Iesu, sic omnia dicta factaque sua temperare, ut nunc diuinæ uirtutis suæ ueluti scintillas quasdam promeret, nunc rursus ad humanam humilitatem, & naturæ fragilis ueritatem sese demitteret. Nimirum illud nobis exemplum dedit, ut omnibus modis persuasum esset generi mortalium, diuinæ simul & humanæ naturæ ueritatem in uno coniunctam esse. Ad amorem conciliandum faciebat naturæ communis societas. Vehementius ac felicius amamus cognata & familiaria, iuxta uetus etiam prouerbium, quo dicunt, Simile semper adiungi simili. Cæterum deo tutius fidimus, qui quum mentiri nesciat, nihil non possit, in dubium uocari non potest, quin præstaturus sit quicquid postulare. Fuit ergo humanæ naturæ consortium in Christo, uelut illecebra ad concipiendum amorem erga dominum Iesum, sed hinc ad amorem diuinæ uirtutis proficimus. Siue igitur demittit sese ad nostram imbecillitatem, siue sustollit sese ad suam

ad suam sublimitatem, nostræ salutis negotiū agit. Relinquit igit̃ Iesus templū ac Hierosolimam, ac morem gerens parentibus, reuersus est Nazareth. Erubescant pueri & adolescentes, qui negligunt monita parentum ad honesta uocantium, quum Iesus ad tempus reliquerit patris negotium, ne quam præberet speciem filij immorigeri. Erubescant idiotæ, rebelles aduersus sacrosanctos doctores & episcopos suos, uidelicet patres spirituales, quum Iesus maior obsequandaret minoribus, deus hominibus.

Et mater eius conseruabat omnia uerba hæc in corde suo.

Mater uicissim obsequundauit filio suo, sentiens in eo promicare uim quamdam diuinam, ac prudentis suæ modestiæ memor, nihil adhuc effutiebatur muliebri loquacitate, nec pronunciabat de his quæ mirabatur potius quàm assereretur fieretue, simul collectum recondebat in pectore suo, ex admirandis inuisitiorum exitus coniectans, nec quicquam sinebat non obseruatum, quo post maiore cum fide narraret omnia discipulis, per uniuersum orbem Iesu uitam & uerba prædicaturis.

Et Iesus proficiebat sapientia & ætate & gratia apud deū & homines. Interea Iesus adhuc paucis notus uersabatur in ciuitatula Nazareth, ueluti sub imperio parentum uiuens, donec ueniret tempus à patre præfinitum, quo sese miraculis ac prædicatione mundo proferret. Nos interim admonens exemplo suo, ne quis ad euangelicum munus temere & importune semet inuocatione docendi sibi colligat auctoritatem. Iesus enim usq; ad annum ferme trigessimum, nihil admodum insigne gessit, nisi quod supra modum humanū, quemadmodū proficiebat corporis statura, uiribus ætatis accessu, ita uberius in eo sese promebat celestis illa sapientia, reliquæq; dotes diuinæ, quibus ut exemplat commendatissimus deo, ita quotidie magis ac magis cōmendabatur hominibus, uidelicet dissimilis scribis & pharisæis, qui falsa specie sanctimoniam sapientiaq; sese commendabant oculis hominum, quum in oculis dei scaterent omni spurcitiæ uitiorum. Neq; solum hoc conducebat ad salutem humani generis, nouo & inaudito consilio redimendi, uerumetiam ad institutionem uitæ nostræ, ut Iesus diuinis dotes suas, quibus erat plenus, paulatim & gradibus quibusdam proferret in notitiam hominum, uidelicet ut nos doceret à primis illis iustitiæ rudimentis, quam oportet ab ipsa prima infantia imbibere, perpetuo progressu conuerti ad perfectiora. Quemadmodum enim corpus habet auctus suos usq; ad iustum staturæ modum, iustasq; uires, ab infantia proficiens ad adolescentiam, à qua ad iuuentutem & uirilem ætatem: ita & pietas habet suos accessus in plenitudinem Christi. Sic qui semel induerunt Iesum Christū, hos oportet ad illius exemplum semper ad meliora conuerti, quo simul & animi puritate sese commendent oculis dei, & uitæ synceritate famam honestam sibi parent apud homines.

CAPVT III.

Anno autē quintodecimo imperij Tiberij Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autē fratre eius tetrarcha Iturææ & Traconitidis regionis, & Lysania Abilinæ tetrarcha, sub principibus sacerdotum An-

Matth. 3. 4
Marc. 1. 4

na & Caipha, factum est uerbum domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto.

Aderat iam tempus ut prodito regno cœlesti decrederet regnum terrenū, prodito spiritali sacerdotio, euanesceret sacerdotium umbraticum, quo se ad id usq; temporis iactarant Iudæi. Iam obierat diem suum Cæsar Augustus, ad cuius edictum facta fuerat descriptio totius orbis, sub quo natus est Iesus Christus. Iam decesserat impius Herodes, qui infantē quæsierat ad necem, & huius filius Archelaus, ob mores nimium paternos in exiliū relegatus erat. Augusto successerat Tyberius Cæsar, is cum annū iam decimumquintum rerū summa potiretur, Pontius Pilatus Romanus præses erat Iudææ, Herodes autē Archelai frater ex designatione Cæsaris Galilæam sortitus est, Philippus eam Syriæ partem administrandam susceperat, quæ Iturea dicitur ac Trachonitis, nimirū ab asperitate montiū. Hæc enim à Libano & montibus Idumææ porrigitur ad plagam occidentalem Syriæ. Porro Lyfanîæ cesserat ea quæ dicitur Lyfanias nomen sortita ab Abila præcipua eius regionis ciuitate, cui postea Lyfanion nomen uertit Lyfanion. Nam Augustus, quo regni eius uires frangeret, in quatuor fratres diduxerat, Herodem, Philippum, Antipatrum, Lyfaniam, qui ob hoc tetrarchæ dicti sunt nomine regis abolito. Et hoc iudiciū erat regni Iudææ ci mox perituri, iuxta uaticiniū. Sanctissimam uero Iudææ partem, in qua Hierosolyma & templum, & ex qua prognatus est dominus omnium, in qua Romanus administrabat, re ipsa designans, Gentes in regnum ab Iudæis reiectum irrupturas; similiter et sacerdotium, ueluti mox cessaturum, uagum erat & mercenariū, cuius principatus tum erat penes duos insigniter impios Antinam & Caipham. Ad hunc modum rebus apud Iudæos dissectis ac turbatis, exortum est regnum cœlorum, ac nouum sacerdotium, cuius præco delectus erat Ioannes Zachariæ filius.

Isaie 40. 4
Ioann. 1. 6

Et uenit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptismum penitentiae in remissionem peccatorum: sicut scriptum est in libro sermonum Isaie prophetae: Vox clamantis in deserto, Parate uiam domini, rectas facite semitas eius: omnis uallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aspera in uias planas: & uidebit omnis caro salutare dei.

Quum hæcenus latitasset Ioannes inter feras, & in desertis exegisset uitam inaudita austeritatis, opertus ueste contexta ex camelorum pilis, cinctus zona pellicea, melle syluestri uictitans & locustis, uinum ac siceram ne attingens quidem, ut idoneus esse posset prædicator penitentiae, ac prius uita doceret quam sermone, ac uacaret omni crimine qui magna libertate reprehenderet aliorum peccata: afflatus & admonitus spiritu diuino, prodijt è latebris heremi, se seq; contulit non in templum, qui locus datus est Christo, sed in omnem eam regionem, quæ finitima est fluuio Iordanis, quo paratior esset baptizandis a qua copia. Prædicabat autem instare regnum cœlorum, adhortans ut sese uenturæ salutis, penitentia uitæ prioris prepararent, & aquæ baptismi, quem ipse ueluti præcursor dabat, sese redderent idoneos baptismi spiritus, quem datus rus esset, cuius aduentus imminebat. Hæc tum agebantur afflatu diuini spiritus, qui iam olim hoc per os Isaie prophetae futurum prædixerat. Sic enim loquitur

quitur de Ioannis prædicatione cap. quadragesimo: Vox clamantis in deserto, aduentat dominus, præparate uias illius, ac rectas facite semitas eius, ne offensus prauitate morum uestrorum, resiliat à uobis. Venit ad omnes, occurrentes & collis deprimetur. Qui sublimes erant apud homines opinione iustitiæ aut sapientiæ, deponent supercilium, ut capaces sint iustitiæ ac sapientiæ diuinæ: qui uelut idiotæ ac peccatores, contempti facebant apud homines, subito per obedientiam Euangelicam erigentur ad consortium regni cœlorum: quæquæ prius distorta praua fuerant, ad regulam Euangelicam reuertentur: quæquæ uitiorum ac malarum cupiditatum sentibus asperata, uertentur in uias leues ac planas. Tales enim mentes amat Dominus, per quas obambulet: adeo rerum uices ad huius aduentum inuertentur, quæ desperabant erigentur in spem: qui sibi fidebant, irreparabiliter reijcientur: qui prius habebantur sapientes, fient stulti: qui stulti, cœlesti sapientiâ donabuntur: qui prius idololatræ, fient cultores Dei uiui: qui cultores Dei uidebantur, reperientur fuisse idololatræ: qui prius iracundi, placidi fient & benefici: qui prius seruebant libidini, nunc amplectentur castimoniam: qui prius rapiebant aliena, nunc sua largientur. Huic igitur rerum nouatori præparate uos, mox aderit Dominus, & uidebunt eum non solum Iudæi, uerumetiam omnes totius orbis nationes cernent oculis fidei communem salutis authorem, per quem Deus gratuitam felicitatem offert omnibus, qui pia credulitate, qui correctione uitæ prioris, uenientem exceperint. Hæc tot retro sæculis de regno cœlorum, & rege Christo, illiusquæ præcone Ioanne uaticinatus fuerat Isaias, & uaticinio per omnia respondet euentus.

Dicebat ergo ad turbas quæ exhibant ut baptizarentur ab ipso: *Ge* *Matth. 3. b. 6.*
 nimina uiperarum, quis ostendit uobis fugere à uentura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ,

Ad prædicationem Ioannis ingens hominum turba, relictis ædibus, ac re ipsa loquens, relinquendos affectus domesticos ei qui aspiraret ad salutem, confluebat ad ripam Iordanis, ut ab eo tingerentur aqua: non quod Ioannes præpareret peccata, sed quod his præludijs animos hominum futuræ salutis præpareret. Siquidem magna sanitatis pars est morbum agnoscere, & uiciam gradus à timore dei nascitur, ut primum à iusto uindice timeatur supplicium, deinde benefici liberalitas ametur, magna libertate clamabat Ioannes aduersus elatos Pharisæos & Scribas, qui hæcenus impiorum parentum uestigijs inhæserant, falsa iustitiæ persuasione turgidi, ueræ religionis iuxta carnem genus ducerent ex Abraham, quasi Deus homines æstimaret ex genere, & non magis ex animi uirtutibus. Progenies, inquit, uiperarum, nocentissimorum parentum nocentissimi filij, unde sensistis imminere uindictam Dei, nisi mature resipuissetis? Quis uos submonuit ut fugeretis ab instanti seuera dei ultione, quæ nulli, nec ætati nec genti nec conditioni parcat? Quemadmodum remedium offertur omnibus qui ob commissa scelera pœnitentes se præbent sanandos: ita pœna manet omnes absque discrimine

qui nolunt à pristinis moribus resipiscere: quin huc attraxit uos charitas erga deum, quò nunc pertrahit metus supplicij: Nondùm mutata mens est: proinde si uere uos poenitet superioris uitæ, sumite mores alios, & factis ipsis declarete uos correctos. Haecenus ut syluestres arbores produxistis malorùm operùm acerbos & exitiales fructus, superbiam, iracundiam, auaritiam, inuidiam, hypocrisim, contentionem: nunc si uere conuersi estis in bonas arbores, adite fructus bonos, testes mutati in diuersum animi. Nihil opus est mutare uestem, aut cibi genus, mutandæ sunt prauæ cupiditates animorùm. Hæc est radix arboris, quæ si succum habet amarum ac pestiferum, nascuntur in ramis mali fructus: sin contra, radix succum suauem ac salutare suffundat in ramis, nascuntur illi deo digni fructus spiritus, pro odio charitas, pro amarulentia gaudium, pro discordia pax, pro ferocia tolerantia, pro rapacitate beneficentia, pro impudicitia castitas, pro fraudulencia simplicitas, pro arrogantia modestia, pro superstitione pietas. Hæc declarant ueros & germanos Iudæos, hæc uere circuncisos ac filios Abrahamæ.

& ne coeperitis dicere: Patrem habemus Abraham. Dico enim uobis, quia potens est deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahamæ.

Iudæus erit posthac quisquis confitebitur & agnoscet hunc qui mox uenturus est: circuncisus erit quisquis habebit animum fide purgatum à prauis cupiditatibus. Proinde ne uobis ueniat in mentem, Nos sumus filij Abrahamæ, nobis promissa est hæreditas salutis, non deseret dominus populum suum: imò quem admodum uobis ad meliora resipiscetibus nihil officiet malorum impietas, ita nihil profuerit Abrahamæ progenitoris sanctitas, si uos perstiteritis in malitia pristina. Reiciemini, abdicabimini, funditus peribitis, nisi prorsus mutati, fructus attuleritis euangelio dignos. Nec deerunt Abrahamæ posteris sine uobis, nec deerit deo suus populus à quo colatur, cui promissam hæreditatem præferet, etiam si uos desciscatis ab eo. Hoc enim confirmo uobis, Deus potest uel de his lapidibus suscitare filios amico suo Abrahamæ, cui promissam hæreditatem præferet, arenæ maris & stellis cœli. Posthac non cognatione sanguinis, sed amulatione fidei æstimabuntur filij Abrahamæ. Agnoscet Abrahamæ pro filijs, Scythas, Gothos, Germanos, Britannos, Messiam amplectentes: uos nisi credideritis, habebit pro alienigenis & Barbaris.

Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.

Haecenus tolerauit uos deus utcumque legis fructum afferentes, uicissimas, in superficie dumtaxat speciem habebant religionis, hæc folia sunt arboris, excrabilia deo, nisi adsint fructus spiritus. Nunc autem ex ueris animi bonis aut malis æstimabitur unusquisque. Adest exactius dei iudicium, adest ille qui perispicit & intimos cordium sinus. Iam enim securis admota est ad radicem arboris diu toleratæ: succidetur à stirpe populus Abrahamæ, & inserentur Gentibus Abraham credulitatem referentes. Non est auditus Moses, non sunt auditi propheta, quorum plerosque etiam interfecistis, obsurdulistis ad uocem legis. Nunc adest quo nemo maior mitti potest, & post quem non alius expectandus est. Imminet toti genti Israeliticæ exitium, nisi mature receperitis uos ad meliorem frugem. Omnis enim arbor quæ nunc non produxerit fructum fidei bonum, exciditur, & in ignem conijcitur. Nihil medium est, nulla mora est, aut

aut uera pietate properandum est ad æternam salutem, aut nisi id fiat, irreparabiliter ac funditus pereundum.

Et interrogabant eum turbæ, dicentes: Quid ergo faciemus? Respondens autem, dicebat illis: Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.

Hac Ioannis oratione tam sæua minaciq; territa promiscua multitudo Iudeorum, dixit: Si res sic habet, quid igitur censes nobis faciendum, quo possimus iram dei effugere, & assequi salutem? Iam sanabiles esse cœperat qui morbum agnoscunt, & remedium expetunt. Ostendit igitur Ioannes remedium piæ efficacis. Non enim uocat eos ad uictimas pecudum, aliasq; Iudaicas exprobrationes, sed ad opera charitatis. Nulla uictima citius placatur deus, quam beneficentia in proximū. Deus nostro beneficio non eget, sed sibi patitur imputari quicquid in proximū egentem ipsius respectu fuerit collatum. Qui habet, inquit, duas tunicas, altera uestiat fratrem suum: & qui habet cibum qui duobus sufficiat, impertiat dimidiū esurienti. His duobus exemplis Ioannes crasse multum, siue uelut, siue cibi, siue potus, siue hospitij, siue subsidij, siue solatiij, siue doctrinæ, siue exhortationis. Nec solum de his quæ nobis supersunt subleuandum, quoties opem præsentem flagitat proximi necessitas. Hoc igitur remedium exemplariter in duobus explicitum, intelligendum autē generaliter de similibus omnibus, datum est promiscuæ multitudinī.

Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad illum: Magister, quid faciemus? At ille dixit ad eos: Nihil amplius quam quod constitutum est uobis, faciatis.

Publicani quoq; territi Ioannis prædicatione, genus alioqui deditum rapiens, & ex publicis incommodis sua comparans comoda, religionis negligens, ac magis obsequens iussis principum quam dei præceptis, qui quum apud omnes nationes uulgo male audiant, apud Iudæos peculiariter habebantur abominabiles, & tamen tantum terroris incusserat omnibus Ioannis seuera prædicatione, ut hi quoq; uenirent ad Ioannem, flagitantes doceri de salute sua, & peccatorum signum baptismum recipere, discere cupientes quo pacto placare possent diuinam iram. Ioannes autem uerus præcursor illius, qui nullum quamlibet magnis peccatis inquinatum reiecturus erat, etiā publicanis leniter ac placide respondet. Si nondum potestis uestra largiri, certe sit ille primus gradus ad meliorem uitam, ut abstineatis à rapiendis alienis, habetis salarium à Cæsare, præscriptum est quid debeatis exigere à populo. Ne quid ergo extorqueatis in uestrum usum uel lucrum ultra id quod præscriptum est. Sic & eos qui huius mundi lucra per negotia sectantur, unumquēq; in suo gradu ab agēda iniuria coercet, ut dum primo ab alienorum se temperat appetitu, tandem ad propria cum proximis communicanda pertingerent.

Interrogabant autē eum & milites, dicentes: Quid faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neq; calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs uestris.

Milites quoque ueniunt post publicanos, uiolentū & impium hominum genus, legum negligens, & ad legum quamlibet iniustarum obseruantiam alios cogens, ad uim præceptis, uenalem habens animam, raptō gaudent ad Ioannem, rox, & insolens. Et hos ceperat ultionis diuinæ terror, ueniunt ad Ioannem, agnoscunt malitiam suam, expetunt baptismum, rogant quibus modis possint placatiorem habere deum. Nimirum magnus in hoc hominum genere profectus erat, suum agnoscere morbum, ac uitæ melioris desyderio tangi. Nec ab his igitur Ioannes audet beneficentiam in proximum exigere, satis magnum primi profectus gradum esse ducens, si temperarent à malefaciendo. Solet autem hoc hominum genus tribus potissimum modis esse noxium, uiolentia, calumnia & rapinis. Frequenter enim arma quæ princeps dedit ad defensionem publicæ tranquillitatis aduersus hostes, uertunt in ipsos ciues, & quibus publica salus defendi debuerat his ulciscuntur iram priuatam; prædantur itaque frequenter, incendunt, abigunt, ui constuprant foeminas, perumpunt fores, exiunt & pulsant hospitem, id quoniam plerūque faciunt impune, credunt licet: rursus alij falso deferunt apud principes aut duces innoxios, quo pars facultatum confiscatarum ad ipsos redeat calumniæ pretium. Ad quæ facinora conuenient nonnunquam principes, dum suis militibus gratificari student. Plerique dum quod à principe nomine salarij datur, scortis, alea, temulentiaque prodigunt, raptō furtisque rei iacturam faciunt, & non solum non resoluunt quod debent, sed ultro extorquent ab agricolis quod non debetur, ac sibi quiduis licere credunt belli nomine, quum bellum habeat & suas leges, non omnino dannandum, si iusta de causa suscipiatur, hoc est, si pro defensione publicæ tranquillitatis, si sic, ut uitari non possit, si per pios principes, si cum assensu eorum quorum interest bellum suscipi, si legitimis ritibus indictum, si iustus ac moderatis rationibus geratur, hoc est, quam minima sanguinis humani profusione, si quam minima iactura eorum qui bello causam non dederunt, si per duces coerceatur militum temeritas, si non conferantur manus, nisi per milites iuratos, si non nisi iussu ducum dato congregandi signo, si mox abstinetur à pugna simulatque receptui cecinerint tubæ, si cum primum licuerit bellum finiatur. Huic igitur hominum generi Ioannes ostendit quid facere soleant, & quid posthac uitare debeant, si uelint effugere uindictam dei. Ne quem, inquit, concutiatis, ne quem falso deferatis lucri causa, sed estote contenti stipendijs uestris. Non dubium est autem Ioannem in hunc modum consuluisse ceteris quoque hominum statibus, salutaribus institutionibus & doctrinis, ut nihil obmiserit eorum quæ fidelissimum dei seruum, & populi reformatorem decebat, quin peculiariter consuluit & priuatim singulis hominibus, in priuatis consuetudinibus, ut decuit prophetam sanctissimum. Ea autem hic ab Euangelista descripta sunt exempli tantum causa, more sacrarum historiarum & prophetarum quoque qui non integros prophetarum sermones, sed capita tantum doctrinæ conscripserunt, id quod & de Christi Euangelio sentiendum est. Non fuit enim otiosus Ioannes, nec ea tantum dixit quæ scripta sunt, sed multo plura, & de multis argumentis, ad uarias personas & causas, status & officia.

Existimante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne forte ipse esset Christus, respondit Ioannes, dicens omnibus: Ego quidem aqua baptizo uos; ueniet autem fortior me post me,

Math. 3. c

Marc. 1. b

Ioann. 1. d

Act. 1. d. 2. d. 14.

6. 19. d

me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calciamentorum eius, ipse D
uos baptizabit in spiritu sancto & igni:

Hæc tanta autoritate gesta sunt à Ioanne, ut populus apud se suspicari cœperit ipsum esse Messiam, idq; pleriq; tacitis cogitationibus uersabant in corde suo, licet ipse Ioannes ob eximiam animi modestiam dissimularet magnitudinem suam. Hæc est enim uulgi leuitas, ut his quos admiratur plus tribuat quam par est: quos odit, in his omnia calumniatur. Sed hoc populi studium declarauit absolutam sanctissimi uiri modestiam, qui à deo non sibi uendicari alienæ laudis usuram, ut ultro delatam fortiter reiecerit: & in hoc profecit error multiplici cogitatione, loquutus est hunc in modum: Vos me aestimatis ex rebus uisibilibus, ex cibo, uestitu, & baptismo uel doctrina fidei ac solida, sed longe sunt efficaciora quæ non uidentur: quemadmodum in homine multo præstantior uis est animi qui non uidetur, quam corporis quod oculis conspiciunt. Ego quam & uitæ emendationem in melius, tamen non remitto peccata, sed tantum præparo uos efficaciori doctrinæ & baptismo, quem accipietis ab eo, cuius aduentum uobis prædico: tempore quidē maior sum ei, & prædicationis ordine prior, sed potentia & uirtute, sanctitate & iustitia longe inferior. Is enim qui me sequitur, tanto me præstantior est, ut ego, quem magnum aliquem esse creditis, indignus sim qui soluiam corrigiam calciamentorum eius: famulus illius sum, non collega: præcursor sum, sed ut lucifer præcedit solem, mox obscurandus maior diluta est, si ad illius doctrinam cōferatur: meus baptisus inefficax est, si cum baptismo quem ille præstat, qui est illius, componatur. Siquidē ille cœlestis docebit cœlestia, ego terrenus terrena loquor & humilia: ego corpus aqua tingo, iste uestros animos tinget spiritu sancto & igni: quanto est spiritus aqua præstantior, quāto est ignis efficacior aqua, tātō potētior erit illius baptisus meo.

cuius uentilabrum in manu eius, & purgabit aream suam, & cōgre- Matth. 3, b
gabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo.

Latuit hæcenus qui nam ueri essent cultores pietatis. Facile est abluī aqua, facile mactare uictimam, facile non uesci carne suilla, nunc ea proferetur doctrina, ea instant tempora, ut latere non queant qui uere boni sint, qui secus. Veniet enim ille facturus quod toties minatus est in prophetis, exacto iudicio discrimen æditurus inter pios & impios: habebit enim uentilabrum in manu sua, nam tradita est huic omnis potestas in cœlo et in terra. Hoc ineuitabili uentilabro purgabit aream suam, uentilans omnes, & examinans crucis & afflictionum uento: qui fuerint paleæ, specie religionis nitidæ, caterum intus inanes à uera religione, dissiliant quocumq; feret illos humana cupiditas. Cæterū, qui fuerint triticū, solidam ac uerā pietatem intus habentes, non dissipabuntur uento, sed reddet impios, sed patefaciet quid fuerint etiam quum non uiderentur: ueluti lux orta non efficit cæcos aut deformes, sed indicat qui fuerint deformes & cæci. Euangelica ueritas lux est, hanc non ferent, qui falsa specie sancti-

monia se prius uenditabant, quum apud deum essent impij: amplectentur, qui cum haberentur abiecti iuxta mundum, tamen affectum pietatis habebant in pectore. Qui uero ad auditum doctrinae coelestis, ad maleficium ac caedem prouocabuntur, non tum primum fient impij, sed quales ante fuerint, data occasione, patefiet: siquidem occasio non facit impios, sed prodit. Qui posita factura bonorum, qui ostenso crucis & mortis periculo, descisser a ueritatis professione, non tum primum incipiet impius esse, sed qualis ante fuerit declarabit. Non statim quisquis aqua tinctus fuerit perdurabit in hac examinatione, sed qui spiritum coelestem hauserit, qui charitatis inuicta ignem conuenerit, is nulla malorum procella commouebitur, sed magis purgator rededetur ac firmior, quemadmodum uentilatione spiritus purgatur triticum, & ignis ui purgatur aurum. Ad hanc igitur rigidam exactamque discriminationem, nihil quisque praeparat, nihil fidens generis nobilitati, nihil maiorum sanctimoniam, nihil carnalibus Mosaicae legis ceremonijs, sed solidioribus praesidijs animi muniens. Magni refert qualis quisque reperiatur. Aeterna salus & aeternum purgatum recondet in horreum uitae coelestis, paleas autem exuret igni nunquam extinguendo. Proferetur hic aliqua ex parte iudicium, sed post hanc uitam perna aeterna infligitur impijs. His alijsque copulibus sermonibus Ioannes exhortabatur populum ad poenitentiam uitae prioris, & ad desiderium popularis regni Messiae, periculo territans, praemijs excitans, ac laeto nuncio salutis popularis libertatem ob insignem uiri sanctimoniam tulit turba promiscua, tulerunt publicani, tulerunt & milites, reprehensi morbum suum agnouerunt, territi quae fierunt remedium: uerum non tulit Herodes rex.

Math. 14. 4
Mar. 6. c

Herodes autem tetrarcha cum corriperetur ab illo de Herodiade uxore fratris sui, & de omnibus malis quae fecit Herodes, adiecit & hoc supra omnia, & inclusit Ioannem in carcerem.

Regio animo Herodes inductus, uoluit sibi licere quicquid liberet, quasi hoc regium sit, & non potius exemplum uirtutis exhibere eis quos regere iussus est a domino, cuius se seruum nunquam obliuisci, sed semper cogitare oportebat, & patrem subditorum ac defensorem. Amabat tamen Ioannem, perspiciebat ac probabat raram uitae integritatem, atque in multis obtemperabat hominis consilio. Caeterum in eo in quo potissimum oportebat auscultare dictis illius, non solum non obtemperauit, uerum etiam bene monentem coniecit in carcerem, & ab exitio reuocantem dedit exitio. Huiusmodi sunt plerumque principum animi, quos euangelica sapientia non uindicauit ab imperio turpium cupiditatum: imperant alijs qui ipsi seruiunt uiolentis affectibus suis, & hoc ipso se reges putant, quod impune mancipia sunt turpitudinis. Asciscunt nonnunquam ad se uiros uitae sanctimoniam spectatos, cum his colloquuntur nonnunquam, ex horum consilio faciunt nonnulla, non quod illis cordi sit uera pietas, sed ut hoc furo sibi conciliant opinionem integritatis, et inuidiam malefactorum leniant, ueluti quum expilant populum, quum impia bella mouent, quum fauunt in eos qui reipublicae bene uolunt, uideantur & haec ex probatissimorum uirorum consilio facere. Sic Herodes pilis camelorum, quibus uestiebatur Ioannes, sic auctoritate qua ualebat apud populum, ad suam his omnibus abutebatur tyrannidem.

nidem. Vnde & post, uulpem illum appellat dominus Iesus. Hæc est enim astu-
 tia principū huius mundi, ad quos si quando continget euangelicos uiros ascen-
 sci, aut fugiendus erit illorum conuictus, apud quos citius corrūpendi sint ipsi
 quam eos ad meliora flexuri, aut animos suos præparent ad tale præmium, nō
 dissimulata ueritatis, quale contigit Ioanni. Quum enim Herodes non dege-
 nerans à moribus paternis & auitis, multa patraret impie, tyranniceq; populū
 expilans, libertatem opprimens, in alijs puniens quod ipse committeret, uena-
 les habens magistratus, uenale sacerdotium, ac palam domi habens Herodia-
 den, uxorem Philippi fratris, quam ille uiuo præripuerat, unā cum filia Philip-
 pi. Vir sanctus non ferens tam incestas nuptias, in domo regia, unde conuenie-
 bat exemplum seruandarum legum potissimum proficisci, admonuit eum, ut
 abstineret à tam impio flagitio. Sed apud impium regem plus habuit momenti
 puellæ saltatrici impia postulatio, & impia mulieris suggestus, quam tam in-
 corrupti uiri salutaris admonitio, qua tantum abfuit ut emendaretur, ut supe-
 rioribus flagitijs facinus adiecerit omnium impijssimum, Ioannem coniciens
 in uincula, eò demū progressus uesaniæ, ut amputatum innocentissimi uiri ca-
 put obscenæ saltationis præmiū daret puellæ diffamatissimæ & pestilētissimæ.
 Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, & Iesu bapti-
 zato & orante, apertum est cœlum, & descendit spiritus sanctus corpo-
 rali specie sicut columba in ipsum, & uox de cœlo facta est: Tu es filius
 meus dilectus, in te complacui mihi.

E
 Matih. 3. d
 Marc. 1. b
 Ioann. 1. e

Priusquam dominus Iesus aggredereetur prædicandi negotium, quod erat
 intra breue tempus absoluturus, ut omnes numeros modestiæ iustitiæq; imple-
 ret, non dedignatus est uenire cum cæteris ad baptismum, non ille quidem pu-
 rificandus, sed nobis æternæ salutis lauacrum suo baptismo consecraturus. De-
 iecit ipse sese, sed Ioannis uoce ac patris æterni cœlestisq; clarissimo testimonio
 commendatus est palam omnibus, ut de facie quoq; cognoscerent eum, de quo
 baptizati fuerant propheta, de quo testificatus fuerat Ioannes. Quum igitur
 è multis adueniens Iesus Christus, à Ioanne uelut peccatis obnoxius baptismū
 flagitasset, recusauit Ioannes, agnoscens authorē puritatis, à quo debuerat ipse
 potius baptizari. Hoc primum à Ioanne testimonium Iesu præsentis dignitati
 redditum est apud multitudinem, sed euidentiore signo pater discreuit filium
 suum à cæteris qui baptizabantur. Cæteris enim baptizatis nullum signum ap-
 paruit: uerum ubi baptizatus est dominus Iesus, iamq; deprecaretur (nos inte-
 rim erudiens, ut restituta per baptismum innocētia, protinus uertamus nos ad
 ea studia quæ sunt spiritus, inter quæ primum locum habet deprecatio) aper-
 tum est cœlum, quod hætenus clausum baptismus illius nobis patefecit: atque
 inde descendit spiritus sanctus, per se quidem inuisibilis, sed tum circundatus
 uisibili specie, quo conspicuus est oculis hominum. Species autem erat colum-
 bæ, quod hæc auis innocentia symbolum, olim ramum oliuæ detulerit in arcā,
 iræ diuinæ placatæ signum, ac finiendi diluuij pignus. Hac igitur specie spiri-
 tus sanctus descendit in sacrum uerticem domini Iesu, palam designans illum
 esse, quem pater affatim omnibus cœlestibus dotibus unxisset, quas in omnes
 sibi fidentes, ac per omnes baptismum in corporis sui consortium insitos esset
 effusus. Accessit huic paternæ uocis euidentis testimonium, non iam per pro-
 phetas, non per Moysen, nō per angelos proditum, sed ab ipso patre publicatū:

EE

non quod pater ut est, uel audiri possit uel conspici, uel ullo corporis sensu percipi, sed quemadmodū spiritus inuisibilis uisibili signo sese patefecit oculis hominum, ita pater adita per elementa superna uoce, perculit aures charus, in Vox autem ē sublimi his uerbis intonuit: Tu es filius meus unice charus, in quo ipse mihi complaceo. Nulli ueterum sanctorum tale perhibitum est testimonium. Columba præcedēs, designabat ad quem uox ista pertineret, ne quis suspicari posset Ioannem hoc elogio fuisse laudatum, de quo pleriq; tam magnifice sentiebant, ut eum crederent esse Messiam. Tot testimonijs Christus orbi commendatus esse uoluit priusquam ad euangelij prædicandi negotium accingeretur: nos interim admonens suo exemplo, ne quis sese tanto muneri repente & illotis pedibus ingerat.

Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorū triginta, ut putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Matthat, qui fuit Leui, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph, qui fuit Mathathia, qui fuit Amos, qui fuit Naum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, qui fuit Mahath, qui fuit Mathathia, qui fuit Semei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda, qui fuit Iohanna, qui fuit Resa.

Quum ueniret Iesus ad baptismum Ioannis, accedebat ad annum trigentesimum, non quod ætas æstimeretur apud deum, sed quod cōueniret, ut is qui pertracturus esset omnes ad se, satisfaceret omnibus per omnia, nec quicquam esset in eo quod quisquam probabiliter posset calumniari. Proinde ætas matura delecta est & expectata, quod adolescentiæ desit autoritas, propter publicam opinionem imperitiæ: senectus minus habeat ponderis, ob uires ingenij defectas, ac suspicionem delirationis, unde & ætas illa in Ioanne, in Ioseph, & alijs magis obseruata fuit. Quoniam uero & generis uitium apud uulgus multum abrogat autoritatis, curatum est hoc, ut Iesus tam diu crederetur esse filius Ioseph, donec miraculis & prædicatione satis inclaruisset euangelij. Erat hoc dignitatis Christi, ut de uirgine nasceretur, sed quoniam id nō referebat statim innotescere, & persuasum fuisse difficillimū, abusus est errore populari, ne qua res interim imminueret autoritatem prædicantis, si probabiliter dictus fuisset ex adulterio natus. Voluit ex humili domo prodire, sed quam nulla famæ labes aspersisset. Siquidem euangelico doctori uitanda est nō solum culpa, sed omnia culpæ species, & cōmendatus esse debet non modo suis uirtutibus, uerumetiam ab his rebus alienus, ē quibus uulgus concipere solet mali suspensionē. Siquidē hæc est communis hominū opinio, uix unquā ē malis parentibus nasci bonos liberos: ergo qui paupertatis probrum, qui domus humilitatem non refugit, uitauit ætatis & generis calumniam. Quanquam autem Ioseph non fuerit pater Iesu iuxta naturam, sed secundum legem tantum, quia sponsus erat matris, tamen quia ex eadem tribu familia & domo duxerat uxorem, à qua domo Matris expectabatur, & cuius genealogiæ diligentior habebatur ratio, & connubiorum studium, ab hoc Ioseph sponso Mariæ uisum est domini recensere genealogiam, quo magis constet illum uere fuisse hominē iuxta corpus progenerum. Nam iuxta naturam sublimiorem, pater ipse cœlestis agnouit & professus est filium suum.

Qui fuit Heli, &c. ut supra. Matthæus in genealogia hac Christi uir uerbo genuit,

bo genuit, quia carnis successionem enumerare instituit. Lucas autem non genuit, sed qui fuit, in quo designauit se etiã legalem procreationem fuisse sectatum, qua alicuius filius dicitur, qui à fratre patris, & sic de eadem consanguinitate, & ex eisdem maioribus generatus ostenditur. Vnde & Ioseph hic cõiunx Maria uirginis, quæ genuit Iesum, iuxta legem dicebatur filius Heli, qui Heli fuit frater Iacob, quia frater suus Heli absq; liberis decesserat, ex reliq; uxore genuit filium Ioseph, ideoq; Ioseph iuxta naturã & generationẽ fuit filius Iacob, sed iuxta legem & agnominationẽ fuit filius Heli. Texit ergo Matthæus Iosephi genealogiam à Dauid ad Iacob & Ioseph per Salomonẽ: Lucas uero colligit propagationẽ Ioseph per Heli usq; ad Dauid per Nathan, qui fuit alius filius Dauid per Bersabee natus, non Nathan ille propheta coetaneus Dauidis, sed longe senior Salomone, & non filius Uriæ, sed Dauidis. Huius autẽ Iacob naturalis pater Iosephi pater naturalis fuit Mathan, auus autẽ Eleazar, & Zorobabel iuxta Philonis uerisimilem assignationem fuerunt, Iesaja, qui fuit pater Abiud, alio nomine Obedias uel Obedia, uel Obadias, quæ idem sunt. Cuius Iesajæ pater fuit Hananias, qui fuit filius Zorobabel. Sic enim accipiendæ sunt hæc nomina, ut plurimum irariare inueniantur, ut diximus & ostendimus in tertio libro Esdre. Sed & in genealogijs consueuerunt nomina ignobiliorum patrum aliquando breuitatis gratia obmitti, & tantum nobiliorum nomina recenseri, ut patet per totam scripturam ueterem. Sed & Lucas, qui proficitur Iosephi maiores per Heli legalẽ patrem, cuius Heli naturalis pater fuit Ma that, & sic ascendendo usq; ad Zorobabel plures ponit generationes quàm Matthæus, quia cum per alias personas huiusmodi texatur generatio, potest fieri ut præter aliquorum obmissionem factam à Matthæo, aliqui longæuam, alij breuiorem trãsegerint uitam: cum uideamus plures senes cum suis nepotibus uiuere, multos statim susceptis filijs naturæ concedere & obire. Colliguntur autem à Zorobabel redeunte de captiuitate, ad Christi prædicationem annis circiter 490. quanto in tempore huiusmodi successio scripta per Lucam commode & rationabiliter continuari potuit, quibus in annis præfuerunt pontifices Iudæorum, Iesus filius Iosedec, Ioiakin, Eliasib, Ioadæ, Iotham, Iaddua, Onias priscus, Simon priscus, Eleazarus, Manasses, Simon iustus, Onias, Iudas Asmonai Machabæus, Ionathas, Simon, Ioannes Hircanus, Aristobulus, Iannæus Alexander, Hircanus ultimus, & Herodes, cuius anno tricesimo regni natus est Christus dominus, quorum tempora uide in Iosepho.

qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Chosam, qui fuit Helmada, qui fuit Her, qui fuit Iesu, qui fuit Eliezer, qui fuit Iorim, qui fuit Matthat, qui fuit Leui, qui fuit Simeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Heliam, qui fuit Melcha, qui fuit Menna, qui fuit Mattatha, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid,

Primi Paralipomenon tertio colligitur Zorobabel plures habuisse filios, unum quidem & primum, dictum Mosollam, Hananiam quoq; dictũ & Resa. Sic multis nominibus appellati uiri, sicut & loca, confusionẽ huiusmodi rebus intulerunt. Fieri ergo potuit, ut qui hic Resa dictus est, idẽ fuerit qui & Hananias & Iohanna, quando & hæc duo nomina synonyma habeantur. Huius autem

tem Zorobabelis filius Mesollam uel Hananias, genuit Sachaniam, is Sachanias genuit Samaiam, qui genuit filium Naariam, is genuit Eliocnai filium cum Anani; qui Anani ultimus nominatur, à quo glossa Hebraica testibus Iudaeis dicit, suo tempore & gradu generationum, Messiam nasciturum. Zorobabel autem filius fuit Salathiel, qui filius fuit ipsius Ioiachin, qui alio nomine dicitur Ner; de quo scribit Philo, Euilmerodach regnare incipiens, eductum de carcere honorauit, eumque populus captiuitatis cognominauit Ner, hoc est lucerna, Dauidis scilicet, quae timebatur extincta, tunc autem denuo illuxisse uidebatur. Sed & in 1. Esdre 3. scribitur Zorobabel esse filius Salathiel, quamquam in Paralip. 3. dicatur filius Phadia fratris Salathiel. Traditio quoque Iudaeica est, omnes reges Iuda ab Ochosia usque ad Ioachin translatum in Babylonem, qui & Neri, fuisse binomios uel trinomios. Satis id constat de quibusdam, ut de Sedechia, Ioachas, Osa, Ioas, unde & de ceteris simile credi possit, quandoquidem in libris Paralipomenon, Esdre primo & tertio, & Neemiae, liquido constat ostendimus, quo facilius hic quoque credi possit Philoni & alijs dicentibus à Neri usque ad Simeonem, qui dicitur dicitur Ioas, Eli, Eliakim, & Ioakin, qui Ioas primus fuit ex posteritate Nathan rex Iuda, quia per crudelitatem Athaliae matris Ochosiae, uniuersum semen regium quod descenderat à Salomone & à Nathan occisum fuit & deletum, praeter unicum Ioas, qui fuerat per sororem Ochosiae, uxorem Ioiaeg seruatus, qui fuit de stirpe Nathan, cuius posterii dicitur erant fratres regis, quia expectationem regni habebant, in casu si semen Salomonicum expirasset, quod contigit in Ochosia occiso. Dicebantur autem & isti expectatores Ahisarim, id est, fratres principum, & Matthatim, hoc est donati, scilicet ad succedendum in regno: propter quod & Matthat commune nomen esse potest in hoc catalogo, ubi unum & alterum nomen abundat, quamquam & non raro duo scribantur pro uno, ut uidetur de Iohanna & Resa, si capiantur pro Mossa, ut dictum est. De his multa scripsit Annius Viterbiensis nostro saeculo, in commentarijs antiquitatum suarum, ibi si libet lege, & iudica diligenter. In summa multum obscuritatis continet genealogia Christi, bifariam dei natiuitate ex gelistis, ut ferme idem de ea dici possit, quod de aeterna uerbi fidei Christi patre, de qua dicitur, Generationem eius quis enarrabit: Sed id nihil fidei Christianae praedudicat, quando nominum uariatio in omni gente communis est & fuit Israelitis, qui tamen diligenter annotauerunt catalogos suarum genealogiarum, usque ad destructionem gentis ultimam factam per Romanos, ideoque etiam Christi temporibus & apostolorum, indubitata fuit traditio, Iesum esse de posteritate Dauid, id quod quamlibet iniuriosi Iudaei nunquam falso dici impropereauerunt alicui, sed nec ipsi Christo, qui palam se filium Dauid & dixit, & probauit cani à pueris in templo.

G qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naafon, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Elfron, qui fuit Phares, qui fuit Iudae, qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abraham, qui fuit Tharæ, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Chainan, qui fuit Arphaxat, qui fuit Sem, qui fuit Noe, qui fuit Lamech, qui fuit Matufala, qui fuit Enoch, qui fuit Jared, qui fuit Malaleel, qui fuit Chainan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

Nulla

Nulla hic difficultas relinquatur, quæ non in sacris uoluminibus ueteris instrumenti sit explicata, & facile discuti possit ex locis communibus & proprijs, quos collegimus statim post expositionem nostram in uetus testamentum, antequam hoc nouum aggredi cogitemus. Genuit autem Adam filium suum Seth, posteaquam uixerat centum triginta annos, cum iam ut uerisimile est, auanda in diluuium tantum, & duratura per Abraham & Dauid, usque ad ipsum Christum dominum nostrum. Erat ergo Adam princeps humani generis, non alium habens generis authorem quam deum, à quo cõditus est è limo terre uel è matre. Quoniam autem per huius terreni parentis peccatum uitiatum erat omne genus humanum, & genitoris sui referens ingenium, in omne uitiorum genus fuerat prolapsum: missus est collapsi generis instaurator ac redemptor dominus Iesus, ut quod unius inobedientia corruisset, per unius obedientiam reconciliaretur: & quemadmodum omnes qui terreni parentis uestigijs ingressi fuerant, redditi sunt obnoxij mortis: ita qui per baptismum exempti à cognitione peccatoris, inferentur Adæ cœlesti, qui est Iesus Christus, illius uestigijs inherentes, uitam æternam assequantur in cœlis.

CAPVT III.

Iesus autem plenus spiritu sancto, regressus est à Iordane, & agebatur in spiritu in deserto diebus quadraginta, & tentabatur à diabolo. Et nihil manducauit in diebus illis: & consummatis illis postea esuriit. A
Math. 4. 4
Marci 1. 6

Iesus Christus cuius uertici columba infederat, non inane signum, iam plenus spiritu sancto, priusquam aggredieretur munus euangelicę prædicationis, non per omnia probatus accederet, reliquit Iordanem, docens à baptismo cõnitendum ad sublimiora studia pietatis, subduxit sese à turba, cuius conuictus & frequenter inquinat, & auctoritatem eleuat doctoris, ac per spiritum quocumque uocaturus hostem humani generis, ut artes ac machinas suas expediret, nimis totus rapiebatur actus est in desertum, unde prodierat & Ioannes, ueluti promissum quo nobis ostenderet illum, qui genus humanum hæcenus uicerat, uinciposse, simulq; nobis uincendi rationem indicaret. Locus captatus est tentatoris commodus, præbita est per esuritionem occasio. Iesus enim, ut Moysen hac imagine referret, nouam & euangelicam legem mundo proditurus, ieiunauit & ipse quadraginta diebus, nec in his quicquam attigit cibi, sed totum hoc tempus sanctis ad deum precibus, laudibus diuinis, & gratiarum actionibus transegit. Erat autem hoc rara cuiusdam uirtutis specimen, nec ignorabat artes satanę nusquam magis admouentis omnes laqueos suos, quam ubi cõspexerit humanam mentem insigni conatu tendere ad uitam cœlestem. Audierat uenturum illum, qui fracturus esset ipsius uires, & an iam uenisset dubitabat, quis autem is esset ignorabat. Hic enim fallendus erat arte diuina, qui prius suis dolis se felerat genus humanum. Audierat Ioannem palam profitentem, Non sum ego Christus. Proinde cum multa cõspexisset in Christo, quæ uirtutis humanæ modum excederent: rursus quum uideret esurientem, & affligi corpus inedia, quum nihil aliud esse Iesum q̄ hominem, & hominem qui possit arte corrumpi. Erat autem hoc callidum tentatoris consiliū, ut aut uinceret, aut certe expiscaretur, an hic esset ille filius dei promissus à prophetis, quod si cõperisset iam eò neruos

omnes ac fraudes intenderet, ut impediretur aliqua uia redemptio generis humani. Sed nulla ualet astutia humana aduersus diuinam sapientiam, quæ sic temerariæ perauit omnia sua, ut callidissimū illum hostem nostrū non solum uinceret, uerum etiam eluderet; infirmitate carnis elusit, fortitudine spiritus ac diuinæ scripturæ præsidio uicit, sic ut turpiter uictus abigeretur, & nihilo certior abiret de filio dei quam antequam uenerat.

Deute. 9. 4

Dixit autem illi diabolus: Si filius dei es, dic lapidi huic ut panis fiat. Et respondit ad illum Iesus: Scriptum est: Quia non in pane solo uiuit homo, sed in omni uerbo dei.

Admouit satanas primum illud & efficax telum, quo principes humani generis deiecerat, quando illos tantum sollicitabat illecebra pomi blandientis: hic fames etiam intolerabile malum adiuuabat tentatoris conatū. Esau fame compulsus pulte uendidit ius primogeniti. Poterat autem dominus Iesus diuinæ uirtute famem corporis uel arcere uel propellere, sed escam obijcere uoluit captatori, quo caperet ipse. Obiecta est uelut esca corporis humani humanum factum sed tentator impegit in unicum diuinæ uirtutis. Videbat corpus humanum fame siccescens scrutari, & ad uitæ periculum tendere: negant autem illum mortis genus esse cruciabilis: uidebat eum in deserto procul semotum à uicis & oppidis, unde cibi copia præberi poterat. His rebus fretus aggreditur impius spiritus dominum Iesum, spiritu sancto plenum: lacessit à quo uincendus erat, prouocat fortiorem, captat prudentiorem. Quid opus est, inquit, te fame cruciari? si tu es ille filius dei, iube ut hic lapis tibi uertatur in panem, isthoc arguemento declarabis te filium dei. Non enim erit pater surdus filio, fame periclitanti, quum ille condiderit ex nihilo cuncta, nihil magni fuerit, si filius dei lapidem uertat in panem. Iesus autem non ignarus quid uenaretur satanas, sic temperat responsum suum, ut nec obsequatur consilio illius, nec diuinam naturam hosti prodat, qui noua ratione per infirmitatem corporis & fallendus erat & uincendus. Non negat filio dei potestatem esse uertendi lapides in panes, non improbat famem corporis cibo sedare, sed ex autoritate scripturæ diuinæ demonstrat esse uitam animæ, quæ pluris sit facienda quam uita corporis, esse cibum spiritualem, qui magis expetendus sit quam hic cibus, qui uitam corporis ad breue tempus prorogat, nihilo setius aliquanto post morbo sentio alioue casu perituram. Cibus enim spiritus uitam largitur æternam, is est sermo dei. Hunc igitur primum assaultum diaboli hoc responso Christus elusit. Scriptum est, inquit, in libro Deuteronomij: Non tantum pane uiuit homo, sed omnifera mone qui proficiscitur ex ore dei. Cæterum in hoc dominus diuinæ scripturæ testimonio nititur, primum ut nos doceret modestiam, quos non oportet declarare quam extra scripturæ à deo proditæ autoritatem confirmare: deinde declarare uit nobis nullum telum efficacius esse aduersus omnes instinctus impiorum diuini cibi, si quis uelit deo uiuere, cui qui non uiuit mortuus est, etiam si uideatur uiuere. Quin & illud nos discimus ad domini seruatoris exemplū, non esse prodendum miraculum, nisi cum id postulat gloria Christi non hominum libido, aut cum id exigat fraterna charitas. Magorum enim est, & præstigiatorum ad inuicem ostentationem, & ad spectatorum curiosam uoluptatem uel ædere uel prodigere prodigia, unde nec illustrat gloria dei, nec utilitas ulla redit ad proximum. Christus nullum unquam adidit miraculum, nisi quo simul & illustraret uirtus patris

tris, & hominū necessitati succurreret, uel quo pro tempore prouocaret hominum incredulitas. Quū essent pascendæ turbæ, paucos panes multiplicauit in multis millibus suffecturâ copiâ. Herodis oculos ad eò nō dignatus est pascere miraculo, ut nec alloqui sit dignatus. Eodē uidelicet cōsilio negat miraculū satanae. Hoc cōgresso uictus diabolus non statim destitit à cōtentione, ne nos semel uictos tradamus nos securitati, sed animū semper ad nouos assultus paratum ac munitū habeamus. Qui profecerūt ad mediocritatē euangelicæ philosophiæ, facile contēnunt gulæ luxusq; morbū, utpote sordidū ac beluinū. Quancq; in hac quoq; tētatione nō deerat arrogantiæ laqueus, Si filius dei es. Etenim qui natura sunt arrogantes & gloriæ cupidi, plerūq; conant ad ea quæ supra uires ipsorū sunt, ne quā faciant opinionis suæ iacturâ, ac sibi per fucū uindicāt quod non habent, gloriā uenantes apud homines. Sic multi prophetiæ donū technis arrogant sibi, quod non habent; sic multi iactant uisiones angelorū, quas nō uiderunt. Contra, dominus Iesus quū esset omnium maximus, magnitudinē suā dissimulat præ se ferens imbecillitatē corporis, nec unquā promit uirtutem suam,

Et duxit illum diabolus in montem excelsum, & ostēdit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis, & ait illi: Tibi dabo potestatem hanc uniuersam & gloriā illorū, quia mihi tradita sunt, & cui uolo do illa. Tu ergo si procidens adoraueris coram me erūt tua omnia.

Eodē telo satanas, ut est improbe malitiosus, sed diuersa materia repetit dominiū, experiens, si opibus & honoribus huius mundi corrūpi possit, qui famibile, quod in summis etiā uirtutibus obrepit, insinuans se se mentibus ad ardua scandere conantibus, ad eò, ut quos nec aduersæ res nec paupertas nec morbus frangere potuerint, nec luxus aut Venus emollire, deiciat ac subruat gloriæ studiū. Quid enim est tam nephariū aut impiū, quod mortales imperij gratia nō & faciant & patiantur? Hac igitur machina tentator adortus est Christū, nec ille refugit tentatoris improbitatē, ut nobis illū uinceret, utq; nos illum uincendi rationē doceret. Sustulit igitur diabolus Iesum in mōtem excelsum, atq; ex eo uelut specula subito in puncto tēporis subijcit oculis illius omnia regna locorum & personarum nouo quodā modo repræsentare humanis obtutibus, & per uisiones præstigijs oculos perstringere & fallere simulq; quicquid in orbis magnificum habet, magnorum regū strepitus, adorantium obsequia, pompas, triumphos, legationes, nutum omnipotentem, aliq; per multa, quibus potestatis ac mox perituros pro dijs colit ac suspicit. Atque ipsi interim sibi fluxarum rerum successu sublatis, plus quàm dij uidentur. Harum rerum omnium præstigiator ille mirum quoddam theatrum repente obiecit oculis domini Iesu, qui præstigijs falli non potest, quum nihil illum lateat. Ad hanc magnificam rerum speciem adiecit mendax & improbus satanas orationem magnificentiorem. Hæc, inquit, omnia tam splendida, tam opulenta, tam magnifica tradita sunt potestati meæ, ut ea largiar cuicumque libuerit; sum enim princeps & deus huius mundi, quod si meum numen agnoueris, & prouolutus ad genua mea me adoraueris, potestatem omnium regnorum, uniuersa quæ uides tradam in manus tuas. Vides quantum ubique sit nomen Cæsaris,

& quota portio mundi agnoscit illum dominū? Tu unus obtinebis hęc omnia, & in terris pro deo coleris, modo me tantę felicitatis authorē agnoueris. Agnosceis pie lector, mendacissimam ac superbissimam uocem illius, qui quodam dicitur parentibus illis infelicibus, Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dii, facti entes bonum & malum.

B Et respondens Iesus, dixit illi: Scriptum est, Dominum deum tuum adorabis, & illi soli seruiēs.

Deute. 6. 6. 10. d

Dominus Iesus hic impiam satanę uocem retrudit, dicens: Abi satana cum tuis fallacibus promissis, Damnosum lucrum est quod pietatis iactura emitur: quod stipularis impium est, quod promittis inane est. Scriptū est enim in libro Deuteronomij, Dominū deū tuum adorabis, & illum solū coles. Deus suā gloriā non patitur in alium transferri, non patitur sibi cum quoquam esse communem: ille uerus deus ac dominus est, omnium quęcumq; sunt in cœlis aut in terris: is suis cultoribus pollicetur hęreditatem regni cœlestis. Huius uoci magis obtemperandum est quā tuę, qui ut honorem soli deo debitum impie tibi postulas, ita promittis non solum inania, moxq; peritura, uerum etiam aliena. Poterat respondere dominus Iesus, Quid mihi polliceris quę mea sunt? qua fronte postulas, ut tibi accidam ad genua, quum deus sim, qui te condidi, qui te superbientem cœlo depuli, deiecturus in tartara simulatq; mihi uidebitur? In hęc ipsa regna nihil habes iuris, nisi tibi mortalium error & impietas ius faceret, illorum stultitia tu potens es: reuiscet pietas, ubi tunc fuerit regnū tuum? Verū id temporis fallendus erat satanas non docendus, nec admoneri meruit qui corrigi non poterat. Nobis agebatur hęc fabula, nos docebamur magno animo respuendum quicquid cum impietate coniunctum est: non quod per se malę sint opes, aut per se malum regnum, aut magistratus publicus, sed quod ad hęc ferē nullus penetret nisi malis artibus, quodq; non sine graui pietatis discrimine possideantur, propterea quod innumeris periculis obnoxia sint. Quis quis autem harum rerum cupiditate corruptus, negligit pręcepta dei, fraudat, ac deum abnegauit, inuito fœdere cum aduersario dei. Quoties autem principis animus Christiani, ut ad augendas opes, aut obtinendum imperiū, aut parandam gloriā deseratur ueritas, & admittatur impietas, exemplo Christi ducis sui respondeat intrepide: Abi satana cum tuis fallacibus promissis, solus deus adorandus est, qui illum habet propitiū, is cum illo dominus est omnium.

Psal. 90. c

Et duxit illum in Ierusalem, & statuit eum supra pinnaculum templi, & dixit illi: Si filius dei es, mitte te hinc deorsum. Scriptū est enim, quod angelis suis mandauit de te, ut conseruent te, & quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Nec sic repulsa satanę improbitas desistit à tētando, repetit sapius uincendus, ut nos intelligamus nobis in hac uita perpetuum esse conflictum cum aduersario, neq; quicquam esse tam nefarium ad quod ille non audeat sollicitare cultores dei, sed non esse formidandum pijs, quibus iam uicit Iesus Christus, & quibus è diuinis literis efficacissima tela suppetunt, quibus ilico retundatur tentatoris improbitas. Nec enim in aliud ille proficit tentando, quā ut perrebita occasione maiorem ac spectatiorem reddat bonorum uirtutem. Abducit igitur dominum Iesum per spectrum, & in uisione clarissima, ut porcessat satanas,

satanas, è monte sublimi Hierosolymã, statuitq̃ eum in summo pinnaculo uel
 fastigio templi, rursusq̃ prouocat, ut aut inani gloria uictus sese præcipitem
 det & pereat, aut eo signo se prodat esse filium dei: ac fraudis sui patrociniũ
 mutetur à sacris literis, sed perperam intellectis, neq̃ quo oportuit accommo-
 datis. Sic enim & impij nonnunquam & heretici diuinis scripturis abutuntur,
 ac fallunt incautos, sermonis domini regulam ad suos affectus deprauantes.
 Hic, inquit, declara utrum sis filius dei an non, præcipitem da teipsum, & si ni-
 hil acciderit mali palãm sit omnibus te esse filium dei. Neque periculum est ne
 quid accidat, scriptum est enim in Psalmis de filio dei, Quod angelis suis man-
 dabit de te, ut conseruent te: quodq̃ manibus suis tollent te, ne forte offendas
 ad lapidem pedem tuum. Hæc prophetia nõ prodita est de Christo, sed de quo-
 uis homine pio, qui fretus ope diuina, non debeat sibi metuere ab ullis huius
 mundi malis, quemadmodum & ipse dominus iussit apostolos suos animo se-
 curo esse, nec enim pilum capitis illis periturum nolente patre cœlesti.
 Et respondens Iesus, ait illi: Dictum est: Non tentabis dominum Deut. 5. 6
 deum tuum.

Dominus Iesus interim dissimulans se natura filium dei esse, tantum illud
 respondit, quod à quouis homine pio responderi poterat, scripturam falsò cita-
 ram, alia scriptura recte adducta, ceu clauum clauo retrudit: sed è diuerso scri-
 ptum est, inquit, in Deuteronomio: Non tentabis dominum deum tuum. Illius
 auxilium aderit, cum te casus aliquis aut religio pertraxerit in periculum, non
 quum ad ostentationem prouocaris dei uirtutem. Neque diuina pietas seruit
 humanae gloriae aut libidini, sed suam gloriam declarans quum uult in hominibus,
 succurrit humano destitutis auxilio. Indignus est autẽ ope diuina, qui suæ
 gloriae causa semet ultro conijcit in manifestum uitæ periculum. Neq̃ piorum
 hominum est deo præsinire quando quibusue modis nos debeat è periculis eri-
 pere, quum certi simus siue liberat siue non liberat hoc agi per illum quod no-
 bis saluberrimum est. Nonnunq̃ felicius est ægrotare quàm bene ualere, mori
 quàm uiuere, affligi quàm rebus secundis uti. Pietas est ab illo simplici pendere
 animo, impium est humana curiositate tentare quid possit, potest enim omnia,
 sed nõ uult nisi optima. His alijsq̃ modis princeps ac magister noster Christus
 passus est se tentari à satana mox à baptismo, ne nos satis putaremus baptisimi la-
 uacro condonata nobis esse peccata, sed acre bellum suscipiendum cum hoste,
 nihil non molituro, quo nos in pristinam retrahat seruitutem. In baptismo da-
 mus nomina duci nostro, sub illius uexillis aduersus satanæ copias bellaturi.
 Neque uero nobis res est cum hominibus, quum Christus tibeat & inimicos
 diligere, sed cum impijs spiritibus, qui telis igneis multaq̃ arte nos impugnant
 è sublimi. Sed horum uires semel fregit princeps noster, ac proinde nobis inuin-
 cibiles tradidit, quos rursus uicturus est in nobis, si modo nos pugnandi ratio-
 nem qua Christus eos deuicit imitemur.

Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad
 tempus.

Quid in nobis futurũ esset Christus in se expressit: etenim quũ diabolus om-
 nes artes expedisset in dominum, neq̃ quicquam procederet, simul & uictus et
 elusus discessit, sed ad tempus, uidelicet alia captata occasione rediturus ad ten-
 tationem. Etenim ex quo non potuit elicere professionem filij dei, quem nulla
 rerum specie corrumpere potuit, post per suos satellites pharisæos, scribas,

optimi cuiuscq; suffragio cōmendetur. Sic uiuat, ut morū integritate oculos omnium in se conuertat, deniq; ea sit erga deum fiducia, ut miraculis etiam si res potestulet deum glorificet. Quanquā hoc saeculo abunde magnum miraculum est, nec opibus, nec uoluptatibus, nec honoribus, nec tormentorum terriculamentis, nec mortis metu, uel tantillum deflecti à sinceritate ueritatis Euangelicæ.

Et ipse docebat in synagogis eorū, & magnificabatur ab omnibus.

Erat apud Iudæos consuetudo, ut frequenter sed præcipue sabbathis ac festis diebus conuenirent in templū aut in synagogas, ut otium quod illis indixit lex ab operibus sordidis & profanis, non in aleam, scorta, cōpotationes, rixas, aliaq; flagitia consumerent, sed in his quæ sunt animi collocarent. Illic erat confulatio, nō de nugis humanis, sed de lege domini, de uenturo Messia, qui flabat in medium, cuiuscunq; status esset. Porrò qui præ se ferebat habere quod doceret populū, huic dabatur codex diuinæ legis, unde promere debet doctor euangelicus, quo pascat animos multitudinis, non ex somnijs humanis: quicquid autem hic dicebatur aut gerebatur, non poterat esse clām, quod eò promissua populi multitudo conflueret. Iesus igitur uolens suam doctrinā esse notā omnibus, perambulans Galilææ ciuitates, iuxta laudatam Iudæorū consuetudinem, uentitabat in synagogas eorū, ubiq; promens admirabilem illam & efficacem doctrinā regni cœlestis, tanto potentiorē doctrina pharisæorū, qui corticatus legis, ac cōstitutum uinculas hominū prædicabant, quanto uinū est aqua effusius. Nec deerant etiā apud Galilæos animi dociles, qui mirarent nouum hoc doctrinæ genus, quicq; doctorē admirabilem suspicerent ac laudibus ueherent.

Et uenit Nazareth, ubi erat nutritus, & intrauit secundum cōsuetudinem suam die sabbathi in synagogā, & surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaia prophetae. Et ut reuoluit librum, inuenit locū ubi scriptū erat: Spiritus domini super me, propter quod unxit me: euangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis uisum, dimittere contractos in remissionem, prædicare annum domini acceptum, & diem retributionis.

Haecenus quidem satis successit euangelij negotium, donec ad cognatos ac domesticam notitiā est uentū, ut intelligeremus eum qui docet cœlestia, oportere quantum licet à carne & sanguine alienū esse. Peragratis enim aliquot Galilææ uicis ac ciuitatibus, tandem uenit Nazareth, ubi quoniam fuerat infans, educatus, diuq; uixerat cum parentibus & cognatis, natus illic credebatur à multis, unde & Nazareus uulgo dictus est. Porrò ne & hi queri possent, quod patriam & propinquos suos fastidisset, malens apud alienos uenari gloriā, uenit huc quoq; iam fama celebris quam illic non habuerat, utq; declararet sese non domesticijs negotijs renunciaisse, ex more suo uenit in publicam synagogā: Quum enim magis oportet uersari eum qui publicis commodis dicatus est, qui autē audisset alios de lege differentes, surrexit & ipse, hoc gestu significans, se quoq; spiritu afflatum, habere quod loqui uellet apud multitudinem. Qui mos & hodie per se uerat in ecclesijs ex institutione Pauli, ut uicissim dicant & audiant, & si cui fuerit reuelatū aliquid dignum cognitu, cedat qui prior dixerat, & det locū successorī, ne tumultus & cōfusio nascatur in congregatione

Matth. 13. 2

Marci 6. 2

Ioan. 4. f

sancta, in qua decet omnia cum pace & tranquillitate geri. Datus est autem le-
 su codex, id est ex more, ut nos doceremur unde proficisci oporteat salutiferam
 doctrinam, nimirum non ex commentis hominum, non ex philosophorum pla-
 citis, sed ex sacris uoluminibus, quæ nobis afflatu diuini spiritus prodita sunt.
 Non egebat dominus Iesus codice, in quo erant omnes scientiæ sacræ lectionis
 thesauri reconditi, sed tamen accepit codicem, ut nobis studium sacræ lectionis
 commendaret, & ne concionatores erubescant à libro sacro depromere certius
 quod ex dei uerbo dicendum spiritus Christi suggererit, potius quam ut fidat
 memoriæ, & de ea gloriari in ecclesia uideantur. Minister synagogæ porrigit
 codicem, sed clausum, Iesus qui solus habet clauem, & aperit quod in lege uere-
 ri reconditum est, codicem acceptum explicat & reuoluit, Iesus enim ipse late-
 bat in lege reconditus & abstrusus. Decebat autem ut ipsi Iudæi traderent un-
 de mox coarguerentur. Traditus est autem, non quiuis liber, sed Iesai propheta
 euangelica. Nec illud fortuito accidit, sed diuina prouidentia factum est, ut ex-
 plicato reuolutoque uolumine, is locus potissimum uenerit ad manum, qui Chri-
 stum clarissime prædicaret, & in quo Christus ipse per os prophetae de se loqui
 hanc literam cum explicatione nostra uel aliorum Esaia 61. cap.

Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit. Et omnium
 D in synagoga oculi erant intendentes in eum. Cœpit autem dicere ad il-
 los: Quia hodie impleta est hæc scriptura in auribus uestris.

Vbi hæc stans è libro sua uoce pronunciaisset dominus Iesus, librum aut uo-
 lumen ut acceperat complicatum reddidit ministro, hoc facto significans per-
 tinacem quorundam Iudæorum incredulitatē, qui literæ legis assidentem, Chri-
 stum legis animam nec intelligerent nec cognoscerent: iam doctoris personam
 sumit, & assedit explicaturus quod legerat. Quod stans legit, datum est autho-
 ritati scripturæ diuinæ, cui par est omnē humanā dignitatem assurgere. Quod
 sedens docuit, declarat diuinæ scripturæ interpretem omnium humanarum uo-
 luntatum cupiditatum oportere uacare. Cæterum fama recens, quæ iam cœperat
 spargi de Iesu tum, nunc primum assumpta doctoris autoritas, postremo ad-
 lectis quædam gratia relucens in uultu eius, efficiebat ut omnium quotquot ad-
 erant in ea congregatione oculi, essent intenti in eum. Tale siquidem auditorum
 amat dominus Iesus, eorum qui sabbatum agunt, quiescentes ab huius mundi
 diuulsiuosis cupiditatibus, qui mutua concordia congregati sunt in unum,
 qui mentis oculos habent, non aliò spectantes quam ad Iesum, quam ad salutē
 æternam. Loquitur enim ille quotidie in arcanis literis, loquitur per Euange-
 licos prophetas, hoc est, sacrorum uoluminum interpretes. Felices autem qui-
 bus sic attentis loquitur dominus Iesus, talibus enim dignatur aperire sensus
 reconditi mysterium. Etenim simulatque uidit omnium oculos in se unum con-
 ctos ac defixos, cœpit illis dicere: Audistis Esaiam sancti spiritus afflatu uobis
 promittentem eximium quendam ac potentem doctorem, qui non ex spiritu
 humano doceat constitutiones hominum, aut fabulas inutiles, sed affatim uer-
 bus ac delibatus diuino spiritu, mittendus sit à deo, ut his qui mites ac pauperes
 salutis, qui que potens esset præstare quod annunciarer, nimirum malorum cœlestium
 præditus, qui que gratis salutem adferret omnibus, qui suorum malorum cœlestium
 salutem

salutem optarent: qui gratis condonatis peccatis omnibus mederetur ijs qui cor haberent uarijs uitiorum ac malarum cupiditatum morbis corruptum: qui prädicaret omnibus libertatem, qui uel idololatriæ dediti captiui tenerentur à diabolo, uel legis superstitioni seruentes non possent aspirare ad libertatē spiritalē: qui cæcis animo per fidem aperiret oculos, quibus aspicerent lucem æternam ueritatis: qui eos qui omni malorum genere confracti uiderentur prorsus à sarana, restitueret pristinae libertati: qui uerum iubileum domini prädicaret adesse, ut omnibus exoptabilem ita ab uniuersis flagrantibus animis acceptandum. Hic annus domini omnibus quicūq; culpis obæratū sunt diabolo, qui dæmonibus seruitutem seruiunt, qui ignorātia ueri cæci sunt, qui malis omnibus perditū sunt, & inhabiles ad omne bonum, adfert perfectam & gratuitā remissionem, libertatem, uisum, sanitatem, & integritatem. Eiusmodi uerbis dominus Iesus modeste significabat se esse eum, de quo promitteret Isaiæ uaticiniū, quum pleriq; crederent eum locum non ad Messiam, sed ad ipsum Isaiam pertinetur. Siquidem cum baptizaretur Iesus, spiritus sanctus è cælo uisibili specie delapsus, & insidens illius capiti, populum admonebat hunc esse, de quo senserat uaticiniū. Vnctio mite quiddam ac placidum significat. Nihil enim oleo placidius, unde & nomen inditum Messia, quod unctum sonat. Erat autem Iotia, sollicitabat animos hominum ad salutem.

Et omnes testimonium illi dabant, & mirabantur in uerbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius,

Hæc summa cum authoritate, sed parè cum mansuetudine differentem Iesum pleriq; suspiciebant, & admirabantur sermonem, longe dissimilem pharisaico, placidum, mansuetum, amabilem, multa gratia conditum, nihil habentē supercilij, nihil toruum aut arrogans, sed cui interim sua nō deesset authoritas. Siquidem pharisæorum uerba quoniam è corde promanabant, ambitione, auaritia, liuore, cæterisq; cupiditatibus malis corrupto, plerumq; respiciebant sonum suum. Cæterū sermo qui proficiscebatur ab ore Iesu, quoniam à pectore manabat, spiritu cœlesti pleno, bonis omnibus amabilis erat, & efficax ad salutem.

& dicebant: Nōne hic est filius Ioseph? Et ait illis: Vtiq; dicetis mihi hanc similitudinem: Medice, cura te ipsum: quanta audiuius facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Ait autem: Amen dico uobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua.

Erant inter hos apud quos generis & familiae humilitas nonnihil minueret authoritatem doctrinae cœlestis. Etenim cum omnes adhuc crederent illum esse filium Ioseph & Mariæ, nec esset ignota parentis utriusq; & affinium ac propinquorum tenuitas, uidissentq; illum multis annis à pueritia nihil aliud didicisse quàm artem patris, nec unquam triuisse scholas pharisæorum & legisperitorū, de tanta cum authoritate facundia. Nondum enim intelligebant, quanto plus ualeret unctio spiritus quàm pharisæorum doctrina: æstimantes igitur eum ex his quæ in eo nouerant secundum carnem, dicebant: Nōne hic est ille filius Ioseph fabri? Non enim nouerant patrem cœlestē, qui per filium operabatur. Quum autem Iesus longe pauciora miracula proderet in Nazareth quàm in alijs ciuitatibus prodidisset, eoq; cognati quidam subindignarentur, sugillabāt

eum quasi uel nō haberet ubiq; paratam potestātē, uel suis inuideret, uenantes interim humanā quandam gloriā ex negotio, cuius tota gloria debebatur deo. Horū impiam murmuratiōē Iesus huiusmodi sermone cōpescuit. Quoniā autē distis, inquit, me apud alios sanasse morborū omne genus, nimirū dicetis mihi, quod uulgo dici solet; Medice cura te ipsum. Audiuius prodigiosa quaedā patraste te in ciuitate Capharnaum, ubi peregrinus eras, nec ullos habes tibi san- guinis propinquitate coniunctos. Atqui conuenit potissimum in tuos esse be- neficum; quod ciuibus tuis & cognatis præstas, hoc tibi ipsi præsta. Proinde si tibi uirtus ista propria est & perpetua quicquid apud Capharnaïtas & alienos patraisti, patrato & hic apud tuos tibi coniunctissimos, & in patria tua. Horum impio murmurū prodito sic respondit dominus; Ego quidē medicus sum, para- tus sanandis omnibus morbis, si quis se præbeat sanabilē. Nullus autem obla- tum uis doctus ac benignus medicus mederi potest agrotis, si pharmacū obla- tum reiiciant, ac fideli medico diffidant. Est autē hic affectus uulgarū ignotus, ut medicum hoc pluris æstiment, quod ē longinqua regione uenerit ignotus, & illic plus inuenit fiduciæ, ubi non alijs ex rebus æstimat, quā ex arte sua; & arte quidē quam secum circūfert semper & quouis loco idem est. Verū ubi re- perit diffidentes & contemptores, non perinde ut uult potest arte sua prodesse, non quod illinc minus uelit aut possit ex sese, sed quod hi quibus succurrere uo- lebat ipsi sibi salutis beneficium inuideant. Quod medicis accidit multo magis accidit prophetis. Nam ars medicorum nonnunquā opitulatur & inuitis; pro- pheta autem quoniā potissimū medet animis, ne potest quidē succurrere ijs qui salutē oblatam recusant; recusat autē qui diffidit. Et ideo diffidunt multi pro- phetis, quoniā illos æstiment nō ex uirtute dei per illos operātis, sed ex imbecil- litate corporis, quā in illis conspiciunt, quemadmodū & in cæteris hominibus.

3. Reg. 17. d. b
Iacob. 5. d

4. Reg. 5. d

En ueritate dico uobis, multæ uiduæ erant in diebus Helie in Isracl, quando clausum est cælum annis tribus & mensibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra, & ad nullam illarū missus est Helias, nisi in Sarephtha Sidonis, ad mulierem uiduam. Et multi leprosi erant in Isracl sub Heliseo propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.

Reuoluite ueterū prophetarum historias, et certissimū esse cōperietis quod dico uobis, nullū unq; prophetam in prætio habitū fuisse in patria sua, & apud cognatos suos, nō quod minus aut possint aut uelint benefacere suis q; alienis, sed quod incredulitas cognatorū reddat ipsos indignos diuino beneficio. Nam dei munera nō dant cognationi, sed affectui; nō propinquitati carnis, sed prom- ptitudini spiritus; non gēti, sed fidei. Illud enim pro certo cōfirmo uobis, atate qua uixit Helias propheta, quū totos annos tres ac mēses sex nō decidisset ulla pluuia, atq; hinc sterilitas terræ ingenti fame regiones illas omnes occupasse, & multas fuisse uiduas in terra Israelitica, & tamē propheta fame periclitās ad nul- lam harū mittit pascendus, nisi ad uiduā Sarephthanam, in regionē Sidoniorū. Cur nō potius missus est ad uiduas Samaritanorū, ut illic augetet hydrīā puero- nariam, ac lecythū olei; ut apud harū aliquam æderet insigne miraculū puero in uitā reuocato? Nimirum quoniā apud Israelitas nulla erat, quæ huius Ederi- cæ ac Barbaræ syncerā fiduciā æquaret. Rogata prompte dedit aquam, & oleum. Hic

Hic nimirum erat animus Israeliticus in muliere non Israelitica: adeo apud deum plus habet momenti animus quam genus. An non simile quid accidit temporibus Helisei prophetae, qui successit Heliae? Nec enim dubium est, quin inter Israelitas complures fuerint leprosi, qui desiderarent sanitatem: cur igitur horum nullus mundatus est ab Heliseo, sed solus Naaman Syrus idololatra, & a gente Israelitica alienus? An propheta non poterat apud suos quod poterat in exterrum & ethnicum? An promptior fuit ad benemerendum de prophanis & alienigenis quam de suis popularibus? Nequaquam, sed fides uiri promeruit dei beneficium. Credit enim hoc deum per suos cultores praestare posse, & iussus ter mergi in Iordane obtemperauit. Eadem fiducia si fuisset apud leprosos Israelitas, sensissent ipsi diuinam beneficentiam.

Errepleti sunt omnes in synagoga ira, haec audientes. Et surrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum usque ad superciliū montis, super quem ciuitas illorum erat aedificata, ut praecipitarent eum. Ipse autem transiens, per medium illorum ibat.

Quum dominus Iesus his dictis exprobrasset ciuibus suis incredulitatem, ob quam se redderent indignos dei beneficiis, atque interim subsignificaret futurum, ut euangelicae uirtutis munus non solum a ciuibus incredulis, uerum etiam ab uniuersis Iudaeis ad uiduam Sidoniae, hoc est, ad ecclesiam Gentium, & Naaman Syrum, hoc est, ad Gentes prius idololatrias demigraret; inuidum murmur uersum est in manifesta indignationem. In tantum enim commoti sunt omnium animi, quod hec ausus sit dicere in publica synagoga, Sidonios & Syros homines, apud Iudaeos abominandos, genti praeferebat Israeliticam, ut coorto tumultu eiecerint Iesum e ciuitate Nazareth: nec hoc contenti, perduxerunt illum usque ad superciliū montis, super quem ea ciuitas erat aedificata, ut inde praecipitarent eum. Vide iam praeter calceum Nazarenorum religionem, sabbatum erat, & nefas esse ducebant eo die tanas, & reperit satellites ipso nequiores: siquidem ipse nihil aliud ausus est quam suadere praecipitationem, hi conglomerati ciuem notum & benemeritum pertrahunt ad praecipitium, & quantum in ipsis erat praecipitarunt. Perfecit quicquid potuit impia uoluntas, sed non est data prauae uoluntati facultas. Nondum enim uenerat tempus quo nobis expediebat mori Iesum, qui moriturus uenerat pro nobis, sed suo tempore quod illi praesiniat pater, sed eo genere mortis quod delegerat. Non placebat illi quoduis sabbatum, sed sabbatum paschae quo decebat immolari agnum, liberatorem orbis: non placebat praecipitium, sed altitudo crucis. Lucifer praecipitatus est ob superbiam, & idcirco sollicitat alios ad ruinam. Dei filius & suo exemplo per humilitatem subueheret in caelum, quos ille superbiam princeps per arrogantiam & incredulitatem praecipitare conabat in tartara. Nec illo sacrificio peragendo conueniebat Nazareth, sed Hierosolyma. Iesus itaque passus est deici se, ne praedicaret indignis, quod idem ne facerent docuit apostolos suos: praecipitari se passus non est, qui sponte mori uoluit. Quid igitur? Non se uertit in auem, aut serpentem, aut aliud praestigij genus, ut sic elaboretur, sed innotuit clarans nihil in ipsum posse malitiam hominum nisi suapte sponte sese praerberet capiendum & occidendum. Atque hac uindicta contentus fuit clementissimus do-

minus Iesus, reliquisse quos comperit insanabiles. Alioqui poterat illos solo nutu in præcipitium impellere, sed maluit superesse eos, ut progressu temporis resipiscentes saluarentur.

Matth. 4. b

Marci 1. c

Matth. 7. d

Marc. 1. c

Et descendit in Capharnaū ciuitatē Galilææ, ibiq̃ docebat illos sabbathis. Et stupebāt in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipfius.

Relicta superba Nazareth, & aduersus sermonem euangelicum rebellis, Iesus descendit proficiscens ad ciuitatem Galilææ Capharnaum, opulentam, & ideo perditam luxu, uoluptatibus, ambitione, superbia, cæterisq̃ uitijs, quæ cōmittari solent opulentia, sed aberat hic familiaritas carnis, cōtemptum gignere solita. Et hic igitur iuxta morem suum sabbathis ueniebat in congregationem, ac docebat eos. Non enim tantū apud illum potuit Nazarenorum paricidalis impietas, ut offensus atroci facinore relinqueret Iudæorū regionē, & protinus euangelij munus ad Gentes transferret, sed re præstitit quod post docuit suos discipulos: nimirum, ut eieci ex una ciuitate profugerent in aliam, nō cogitantes de uindicta, sed de euangelio propagando, ut eijcientium malitia proficeret etiam ad celeritatē diuulgandæ professionis euangelicæ. Capharnaïta autē uerementer admirati sunt doctrinam Iesu, propterea quod non esset dilura sicut taq̃, qualis erat pharisæorum, de lotionibus, decimationibus mentæ & ruræ, de donarijs conijciendis in Corbonam, deq̃ rebus similibus, quæ superstitionē habebant uerius quā pietatē, quibus simplicibus imponebant, ad gloriam aut quæstum pharisæorum, quum ipsi interim, qui talia docerent, nec ea seruarent quæ sunt in legis præceptis præcipua: sed erat solida, & autoritatis plena. Primum enim uerissima erant quæ docebat, & naturæ sensui consentanea: deinde ad uerā pietatē ac salutem æternā faciebant: ad hæc doctrinā eius uita singularis integritas cōmendabat: accedebat his omnibus miraculorū insolita uirtus, quæ declarabat à deo proficisci quod docebat, nō ab humano spiritu. Nō enim ad quæstum aut inanem ostentationē dominus Iesus audebat miracula, sed prius liaret beneuolentiā. Deinde in hoc ad tempus corporalibus oculis exhibebatur, ut per hæc discerent ea credere, quæ cum uidere non possent, magis tamen ea erant expetenda: postremo figurā & imaginē habebant eorū quæ gerebant in animis illorū. Sabbathum erat, & populus magna religione quiescebat ab operibus interdictis, quæ tamen per se mala nō sunt, quod genus est facere iter, aut incendere ignem, aut molere triticum, aut exprimere uinum, aut recencinare dissutam tunicam. Foris igitur sabbathum erat, sed intus in animis magni tumultus erant, quos illic satanæ spiritus excitabat uarijs motibus exagitantium mentes, auaritiæ, iræ, uindictæ, inuidiæ. Nam ibi demum uerum est sabbathū, ubi spiritus domini trāquillat animū ab omnibus prauis cupiditatibus.

Mat. 1. c

Et in synagoga erat homo habens dæmonium immundum, & exclamauit uoce magna, dicens: Sine, quid nobis & tibi Iesu Nazarenæ? uenisti perdere nos: scio te quia sis sanctus dei.

Adest huius rei figura quædam, in synagoga homo quidam cuius corpus impuro dæmonio erat obnoxium, tacite submonens, quanto essent infeliciores, quorum animi tetrioribus etiam malis essent obnoxij: quis enim impurior aut nocentior dæmon quā libido, quā ira, quā ambitio, quā pecuniæ cupiditas, quā liuor, quā hypocrisis? Huiusmodi dæmonibus maxima ex parte erant

erant obnoxij Iudæi qui uersabantur in synagoga, quæ nondū acceperat Christi spiritum, sed à tot dæmonijs agitabantur, quot seruiebant uitijs: nec capaces esse poterant mansuetissimi spiritus euangelici, nisi prius dominus Iesus expulisset ab eis spiritum satanæ malum, ac uindicem, Dæmoniacus igitur ille non ferens nouam uirtutem Iesu, quæ se tacite quoq; proferebat, uociferari cœpit ingenti clamore: Eia, quid tibi nobiscum rei est Iesu Nazarene? uenisti perditurus nos ante tempus? Scimus quæ supplicia nos maneant in extremo die, sed nunc tua præsentia nos ante diem torquet & cruciat: non precamur salutem, nec deprecamur poenam, sed dilationem flagitamus; tale nihil sensimus unquam ex aliorum prophetarū præsentia; deinde nō nos latet qui sis, tu es enim ille unicus sanctus dei, debellaturus omnem impietatem, & propulsaturus omnem impuritatem: habet lex suam sanctimoniam, habet suam mundiciam, sed tu es unicus ille, quem deus cœlesti sanctimonia sanctificauit.

Et increpauit illum Iesus, dicens: Obmutesce, & exi ab eo. Et cum proiecisset illum dæmonium in mediū, exijt ab illo, nihilq; illū nocuit.

Non tulit dominus Iesus prædicari ab impio spiritu, qui totā hanc gloriam uoluit in unum patrem referri, non ignarus dæmonis professionem non ex synagoga, sed ex malitiosa uoluntate proficisci. Profitetur enim ut eliciat confessionem, non aliud agens per os hominis, quàm quod prius satanas tentator egerat per seipsum: profitetur subdole, non ut ipse salutem assequatur, sed ut aliorum salutem impediatur: nec amor uocem expressit, sed supplicij metus. Eoq; pure spiritus, & exi ab homine, quem per tyrannidem possides: hominibus seruandis ueni. Ad hanc imperiosam & omnipotentem Iesu uocem, spiritus impius posteaquam proiecisset hominem in terrā et cōturbasset, exijt ab eo, sic ut in homine liberato nulla læsio remaneret. Quod proiecit, argumentū erat peruersæ uoluntatis, & quod admodū inuitus relinqueret possessionē suam: quod illasum reliquit, arguit impios spiritus nemini nocere posse, qui se totos tradiderint seruatori. Plus enim ualet unius Iesu bonitas ad salutem, q̄ innumerabiliū dæmonum malitia ad perniciem. Solent autem hi qui conantur hominum corda à spiritibus noxijs liberare, nihil non adhibere remedij, quo malum depellant, preces certis uerbis cōceptas, suffitus, aspersiones, herbas efficaces, characteres, sacrificia, aliasq; magicis non dissimiles ceremonias: & his tamen omnibus raro fieri, ut spiritus exigatur: quod si quando discedit, relinquit suæ malitiæ uestigia, uel amputato membro uel relicto morbo immedicabili.

Et factus est pavor in omnibus, & colloquebantur ad inuicē, dicens: Quod est hoc uerbū, quia in potestate & uirtute imperat immūdis spiritibus, & exeūt. Et diuulgabatur fama de illo in omnē locū regiōis.

Vbi uidisset populus ad simplicē ac austerā Iesu iussionē sic repente spiritū egressum ab homine, ut perfecta sanitas nullū haberet uestigiū pristini mali, stupor quidā & admiratio cepit omnes qui uiderant hoc factū, atq; inter se miscerunt huiusmodi sermones de Iesu: Quid est hoc nouæ rei, quod uidemus ante illius iussū nec auditū? imperat enim solo uerbo spiritibus immūdis, & adest inquant hominem, sic ut post abitū illorum redeat plena sanitas. Huius autem tam stupendi miraculi spectaculum effecit, ut Iesu fama non solum in ciuitate

Capharnaum, uerum etiam per uniuersam illam regionem diuulgaret hoc factum in synagoga Iudæorum, quæ carens spiritu Christi, tumultuabatur spiritu satanæ aduersus euangelicam ueritatē, cuius instinctu Nazarenī moliti sunt exitium seruatori.

Matth. 8. b
Marci. 1. c

G Surgens autem Iesus de synagoga, introiuit in domū Simonis. Socrus autē Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerūt illum pro ea. Et stans super illā imperauit febrī, & dimisit illam. Et continuo surgens ministrabat illis.

Reliquit synagogam, ingressus est domū Simonis, cui nomen addit Petro, cuius socrus tenebat febrī. Affines & cognati rogarunt Iesum, ut qui non rogatus expulerat à uiro dæmonium, daret hoc amicorū precibus, ut affīnē discipulū, quem inter primos habebat, leuaret febrī. Iesus autē ut ostenderet se & priuatum & publice erga notos & ignotos, erga omnē ætatem, sexū, conditionē, esse beneficū, astans atq; imminens mulierī interminatus est febrī ut abiret: simulq; ad domini iussum aufugit morbus, non paulatim redeunte corporis uigore, quemadmodū accidere solet in his, qui medicorū ope subleuantur, sed repente depulso morbo, successit uigor omnis & alacritas, sic ut surgens de lecto pararet cœnam Iesu & discipulis eius, ac discumbentibus ministraret. Tanta autem promptitudo domini ad benefaciendum omnibus, ut nec temporis oportunitatem excusaret ijs, qui simplici fiducia flagitarent illius opem.

Cū autē sol occidisset, oēs qui habebāt infirmos uarijs languoribus, adducebant illos ad Iesum. At ille singulis manus imponēs, curabat eos.

Diuulgata re per uniuersam ciuitatē, quotquot habebant domi ægros, uarijs morbis obnoxios, adducebant illos ad fores ædiū, in quibus uersabat Iesus. At ille clementissimus nec excusauit priuatū cui debebatur otium, neq; nocte in tempestiuam rebus gerendis, sed omnibus oblati manus salutiferas imposuit, ac morborū omne genus nullo negotio gratisq; depulit ab omnibus. Hac rerū imagine docens omnes qui uellent esse liberi à morbis animorū, nō aliō confugiendū q̄ ad ipsum Iesum, qui paratus est omnibus gratis condonare, quicquid admissum est, qui per syncerā fiduciam cōuertuntur ad ipsum unicum ueræ salutis authorē. Nullū est enim morborū genus tam immedicabile, tam tenax, tam lætale, quod ad illius contactū ac iussum non aufugeret. Atq; interim exemplū paratur episcopis ac pastoribus, in Christi locū succedentibus, quanta cū mansuetudine recipere debeant peccatores, à uitijs suis respiscere cupientes. Etenim si dominus Iesus in quo ne uestigiū quidē ullum fuit morbi aut uitij, nulla morborum fœditate alienatus est, quin reciperet, quin contingeret ac sanaret, quanto magis decet idē facere eos, quos ante Iesu benignitas purgauit à morbis animi, nec interim tamē omni morbo culpæ uacantes, præsertim quum ipsi non auferant morbos, sed ministri tantū sint doni cœlestis, quod à domino donatur & conficitur: adhortantes eos, ut expetāt sanitatem, & ad medicū potentem eos adducentes, nec non misericordiam illius precibus sollicitates, ut mentes illorum suis manibus dignetur contingere.

Exibāt autē dæmonia à multis clamantia & dicētia: Quia tu es filius dei. Et increpās nō sinebat ea loqui, quia sciebāt ipsum esse Christum.

Non solū morbi ad iussum uocis & cōtactum manuum fugiebant, uerum etiam dæmonia, non ferentia diuinam uirtutē Iesu, ulro fugiebāt è corporibus infelicium,

infelicitum, quos diu possederant: adeo magna felicitatis pars est appropinquare Christo. Appropinquat autem qui sibi displicens, cupit fieri melior, quicquid certam fiduciam concepit per ineffabilem Iesu clementiam, peccata omnia quamlibet enormia condonari. Sunt autem in corporibus uariae morborum species, sed nec pauciores sunt & perniciosiores animorum, nisi forte pauciora sunt intemperantiae genera quam febrium, aut periculosius est corpus aestuare febre, quam animum insanire. In nullos autem corporum morbos medici minus habent iuris, quam in eos, qui uitiant animi domicilium: quod genus sunt phrenesis & lethargus, quamquam & his immedicabiles sunt demoniaci, quorum & animos & corpora spiritus impij, sed humana natura potentiores, pro sua libidine agitant. Nec enim mos est hos ad homines medicos adducere, sed auxilio coelesti relinquere. Tanta enim est huius mali uis, ut hos spectare etiam miserabile sit. Vir autem spiritus Christi exhibant spiritus impij, profitentes adesse, cuius bonitas potentior esset ipsorum malitia. Clamabant enim exeuntes: Tu es ille filius dei. Nondum autem uenerat tempus, quo dominus palam omnibus esse uoluit, se esse Messiam illum, filium dei: & si uoluisset, noluit impuros spiritus suae gloriae praecones, uel quia non simplex sed subdola erat illorum professio, uel quia in ceteris quoque fidem inuenirent, in quibus mendacio fallere gauderent. Et enim cum satanas natura sit mendax, etiamsi quando uerum praedicat, non in aliud tamen hoc facit, nisi ut fallat. Iesus igitur nos docens quam non oporteat eos qui se semel sancto spiritui consecrarunt quicquam commercij habere cum impijs spiritibus, compefcuit illorum clamores, ac minis imposuit silentium.

Facta autem die, egressus ibat in desertum locum: & turbae requirebant eum, & uenerunt usque ad ipsum, & detinebant illum ne discederet ab eis. Marc. d

Dominus Iesus, qui non in hoc uenerat ut corporibus mederet sed animis, nec uni ciuitati uenerat, sed cunctis totius mundi regionibus, quum in Capharnaum miraculis aditis, doctrinaeque salutari fecisset bonam sementem euangelicae philosophiae, diluculo priusquam iterum conueniret multitudo, magis admirans & expectans sanitatem corporum quam salutem animarum, relicta Capharnaum cessit in desertum, ueluti fugitans popularem turbam. Nos interim docens, non ad ostentationem nec ad plebis arbitrium esse proferenda miracula, sed quatenus ad ostentationem sui fugitantis. Porro cum iam dies esset, confluxerat in omnes benignitatis. Quod se clanculum subduxit, exemplum erat modestig denuo magna uis promiscuae multitudinis, ob pridie gestorum magnitudinem. Ceterum ubi cognouissent iam abesse Iesum, multi consecuti sunt illum, ac reuera sibi perpetuam deligeret. Erat ille quidem affectus non impius, sed beatiores sunt, qui dominum Iesum non sinunt a sui pectoris domicilio decedere, qui parantem abire, precibus reuocant.

Quibus ille ait: Quia & alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum dei, quia ideo missus sum. Et erat praedicans in synagogis Galilaeae.

Postulabat assumptae carnis dispensatio, ut subinde locum mutans, latius ac latius propagaret nouam adhuc & recentem euangelicam doctrinam. Se

minator enim missus erat in mundum, ut late spargeret semen sermonis euangelici, non apud omnes æque feliciter prouenturum. Reuocantibus autem placide respondit in hunc modum: Quod gratis in uos collatum est beneficii, boni consulite, non aspernor uestrum hospitium, sed oportet, ut & alijs ciuitatibus annunciem regnum dei; siquidem in hoc me misit pater, non ut uni ciuitati prædicem, sed omnes inuitem ad societatem regni coelestis. Quod cum fecit Iesus, docuit discipulos suos ut peragrantes orbem terrarum, docerent omnes gentes: non erat ille morbus instabilitatis, sed pluribus benefaciendi studium: sic uagari, non humanæ leuitatis est, sed apostolicæ charitatis. Cæterum ubi iam satis est euangelicæ doctrinæ, uigilans pastor non desinit tamen obambulare sollicitus pro grege sibi concredito, ut quod aberrarat, reuocet, & quod tenuit & imbecille, foueat. Nec enim ideo adhibetur pastor, ut uni aut alteri familia succurrat, sed ut omnibus uigilet. Hac excusatione placatis Capharnatis, Iesus perambulabat uicos & ciuitates Galilææ, prædicans iuxta morem suum in synagogis eorum, identidem miraculis ædendis fidem doctrinæ suæ concilians apud Iudæos, qui sine miraculis nihil credere poterant.

CAPVT V.

Matth. 4. c
Marc. 1. b

A



Actum est autem, cum turbæ irruerent in eum, ut audirent uerbum dei, & ipse stabat secus stagnum Genezareth.

Cum indies latius inclaresceret apud omnes fama Iesu, tantus erat hominum affluxus, ut iam non satis esset illum sui copiam facere in synagogis, in uicis, in oppidis, uerum etiam quocumque se subduceret dominus, eo simul accurreret promiscua multitudo uirorum et mulierum. Plerosque pellexerat amor sanitatis, nonnullos inuitabat miraculorum nouitas, permultos coelestis doctrinæ uis attrahebat: non eos deterrebat deserta uastitas, permultos laboriosus ascensus, non arcebat eos pudor irrumpendi priuatam domum, si forte se domi occultasset. Denique uentum est ad stagnum, nec nauigare parantem poterant relinquere, confluebant, irruerant, irrumpebant, hærebant, urgebant. Iesus autem stabat in littore, uicinus lacui Genezareth, quem Hebræi mare apipelant, uidebatur abnauigaturus, sed improba turba confluens urgebat & imminebat illi, cupiens ex eo audire sermonem diuinum: nam sermonem pharisæicum iam plerique fastidiebant, quod præter hominem nihil resperet. Non offensus, hinc urgente turba populi, hinc lacu proximo, uidensque locum esse paruum commodum euangelico concionatori, quod neque turba sese uicissim impellens facile consistere possit in loco decliui, & uox ex imo missa ad pauciores fertur, tum autem decet euangelicum doctorem quietum esse ac tutum à promiscua multitudinis tumultibus, subducit se in locum quietiorem.

Et uidit duas naues stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, & lauabant retia. Ascendens autem in unam nauim quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum. Et sedens, docebat de nauicula turbas.

Commodum stabant eodem in littore duo scalmi piscatorij, piscatores autem ipsi egressi nauim, lauabant retia sua, ueluti parantes in proximam piscationem. Hos ubi uidit Iesus, in alterum ingressus, is porro erat Simonis Petri, rogauit illum,

illum, ut scalmum paululum deflecteret à terra. Quod ubi factum esset, submo-
tus hoc pacto à compressione multitudinis, considens de nauí ueluti de cathe-
dra docebat populū in littore stantem. Vocauerat dominus piscatores ad mura-
nus euangelicæ prædicationis: iamq̃ hoc ipsum quod de scalmo agebat Iesus,
erat piscari homines. Lacus erat mundus, uarijs rerum motibus sursum ac de-
orsum fluctuans. Nauis Simonis erat ecclesia, primum à Iudæis collecta, cui
præficiendus erat obediens Christo Simon Petrus. Iudæi siquidem prodigia
tra, philosophi rationibus humanis de summo bono, quo felicitatem hominis
requirunt, disputabant, quum euangelica doctrina per fidem promittat omni-
bus salutem. Fides autem obedientiam habet annexam. Obedit enim qui cre-
dit nihil hæsitans, qui à deo iussus sperare, sperat, totus pendens ex eius nutu,
cuius fidei se semel dedit.

Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxa-
teretia uestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, B
per totam noctem laborantes nihil cepimus, in uerbo autem tuo laxa-
bo rete.

Peracta concione euangelica, dominus locutus est Simoni, nauiculæ illius
moderatori: Abducito nauigiū longius à terra, & in profundum prouehere, atq̃
ibi laxate retia uestra ad piscandum. Hic Simon suo respondens uocabulo, re-
spondet hunc in modum: Præceptor, tota nocte laboratū est à nobis in piscan-
do, neq̃ quicquam cepimus, itaq̃ diffisi lauimus & cōposuimus rete, tamen ad
tuū iussu laxabo rete: meum erit obsequium, tuus euentus. Habes in Simone
imaginem doctoris euangelici: huius proprium ac peculiare est munus laxare
rete prædicationis euangelicæ, non è pharisæorum laqueis, non è philosopho-
rum argutijs, sed è sacrorum uoluminum præceptis, è Christi dictis factisq̃, sic
mundus sua retia, habet & satanas piscatores suos.

Et cum hoc fecissent, concluderūt piscium multitudinem copiosam.
Rumpebatur autem rete eorum, & annuerūt socijs qui erant in alia na-
ui, ut uenirent & adiuuarent eos. Et uenerunt, & impleuerunt ambas
nauiculas, ita ut penè mergerentur.

Obtemperatū est dictis domini Iesu, nauis abducta est in profundū lacus,
late sparsum est rete, cui mox inuoluta est tanta pisciū multitudo, ut rete disci-
pularum, impar ponderi piscium, rumperetur, nec una nauis satisfaceret præ-
dicatione capiunda. Erant in altera naui socij Simonis, his procul non uoce sed signis
adiuuerunt, ut adnauigarent, & opitularentur in exonerando rete. Venerunt,
unius retis prouentu, adeò, ut parum abesset, quin onere depressæ periclitæ-
& errorum protrahit ad auram liberiolem, è tenebris ad lucem, è sordido limo
ad uitā puriorē, è uagis cupiditatibus ad innocentæ perpetuæ constans studiū.
Nec enim pertrahuntur ad cædem, sed ad salutem: sic inuoluuntur, ut elabi no-
sint, & si elabantur, pereant. Cinguntur undique ueritatis euangelicæ nexi-
bus, agnoscunt suam calamitatem, & gaudent se pertrahi ad nauem ecclesiæ.
Quoniam autem sagena prædicationis interim trahit & inuoluit undequaq̃

pisces uarij generis: fieri non potest, quin bonis admixti sint mali: malorū autē culpa rumpitur rete, sed non ideo elabuntur boni pisces. Hæretici scindere conantur doctrinam euangelicam, sed Christus suos undiq; sepiens, illorū impios conatus uertit in profectū partis synceræ. Quidā onerant ac perturbāt nauim suis tumultibus, graues huius mundi cupiditatibus, & cupientes reuerti ad librum relicto: sed non mergitur, quam Christus semel intuitu suo dignatus est. Quancūq; autem non est nisi unica per orbem terrarum ecclesia, tamen ideo tympus habet duas naues, ut intelligeremus ecclesiā Christi ē duobus populis collectam. A Iudæis profectum est salutis initium, illic Petrus post Christum omnium primus, rete iecit apostolicæ prædicationis, & uno iactu atraxit hominū promiscuæ multitudinis tria millia, uidelicet agens piscatorem hominum. Nō erat huius oratio rhetorum arte contexta, non philosophicarum argutarū subtilitatibus perplexa, sed uirtute spiritus sancti potens & efficax. Non enim laxatum agebat: alioqui frustra soluit, nisi Christus iactum hominis bene fortunet. Sed quemadmodū ex Iudæis sit huius prouentus initiū: ita ex Gentibus accesse sit ubertas, adeo, ut qui primi laxauerunt retia, coacti sint implorare sociorum auxilium. Post enim irrupentibus undiq; gentibus, in euangelicæ salutis consortium, Petrus & Iacobus dederunt dextrās Paulo et Barnabæ, symbolū euangelicæ societatis, & utriq; pro suo studio conati sunt implere naues ambas, & successit res usq; ad miraculum.

Quod cū uideret Simon Petrus, prostratus ad genua Iesu, dicens: Exiā me Dñe, quia homo peccator sum. Stupor enim circūdederat eum, & omnes qui cū illo erāt in captura pisciū quam ceperant. Similiter & Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant socij Simonis.

Vbi uidisset Simon rem non agi uiribus humanis aut casu, sed uirtute diuina Iesu, rursus factu suo docuit, quid faciendum sit apostolico doctori, si quantum feliciter succedit opera prædicationis. Quancūq; enim nauis esset ipsius, quancūq; suam rete iecerat, quancūq; principalis atraxerat, nihil tamen hinc laudis sibi uendicat, sed ex magnitudine successus factus est etiam modestior, accidit ad genua Iesu, eiq; totam huius facti gloriam transferebat, se nihil aliud quā peccatorem confitetur, indignum qui diuinæ uirtutis minister sit & organum. Domine, inquit, nunc demum agnosco meam indignitatem, cum tuam consydero celsitudinem: discede à me, sum enim indignus tuo consortio. Hanc uocem Petri expressit, non aliqua cupiditas discedendi à domini consuetudine, quem unice diligebat, sed admiratio quædam uehemens uirtutis, humana maioris. Nec aliter erant affecti socij Simonis, quā Simon ipse. Cui doctorum enim animos occuparat incredibilis quædam huius facti admiratio, sed nullus horum hinc sibi quicquam uendicat: agnoscebant enim operam quidē esse suam, sed prouentum fuisse eius qui iusserat. Quis autem non obstupesceret consyderans prædicatione paucorum humilium & idiotarum millibus, ex uniuersis orbis nationibus, intra paucos annos tot hominum multitudinem fuisse persuasum, ut contemptis affectibus cognatorum, contempto dispendio rei familiaris, contemptis minis principum, contemptis supplicis ac morte denique ipsa, simplicem Christi doctrinam sequerentur, ea cetera xta naturæ uires plane desperanda sunt? Oportet igitur Episcopum promissum

ptum esse & alacrem ad laxandum rete, ut studeat tam plurimos lucrifacere Christo. Laxabit autem non ad suam gloriam, non ad quæstum, non ad principium qualiumcunq; arbitrium, non ad aliquam humanam cupiditatem, sed ad arbitrium & iussum Christi, qui non iubet laxare rete, nisi ad salutem eorum qui captantur, & ad gloriam bonitatis diuinæ in uerbo Christi, hoc est, iuxta canonicam scripturæ simplicem & certam sententiã, non iuxta traditiones humanas, pugnantes cū uerbo dei. Hæc enim demū est apostolica piscatio: ea tamen si peragitur humanæ uocis & industriæ ministerio, tamen summa laudis totius uni Christo tribuenda est, cuius auspicijs soluitur ad dicendū lingua, cuius spiritus afflat dicētis pectus, cuius occulta uis attrahit animos auditorū. Et si quid etiã hinc, ut putatur, sibi suo iure possit sumere doctor, tamen tutius est totum ad illum referre, sine cuius auxilio nihil humano conatui succedit ad salutem. Non nouit auferre quod dedit, non nouit exprobrare quod largitus est: tanto magis uolet esse tuum, si quod aliquo modo tuum uideri poterat, illius esse uolueris: si net utilitatem esse tuam, gloriam autem nō patietur nisi soli deo tribui: & si gloriari libet, tutius in illo gloriabimur.

Et ait ad Simonē Iesum: **Noli timere, ex hoc iã homines eris capiens.** **C**
Et subductis ad terram nauibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

Quā admiratio facti sic haberet attonitos omnes, qui cum Petro fuerant in captura piscium, inter quos erant Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, socij Simonis, & præ admiratione diuinæ uirtutis non auderent sese adiungere Iesu, conuolebat eos dominus, dicens Petro (in quo solitus est proponere formã, quã agnoscis tuam imbecillitatem, & expertus es uirtutem diuinam, hæc amanda est, non formidanda. Quod enim potest non expromit ad opprimendam imbecillitatem peccatorū, sed ad erigendam tantum, ut iussis meis obtemperes, nec expendas quid tuæ possint uires, sed quid ego uelim & iubeam fieri: nihil non succedet si mihi fidas: admiraris quod ita successerit res in captura piscium, leue quidem hoc est, mirabilius succedet, ubi piscari coeperis homines. Ad hoc piscandi genus te delegi cum tuis socijs: in præsentia quidem satis istius piscationis, posthac dabis operam, non ut nauim impleas piscibus, sed ut ecclesiam meam impleas euangelicæ doctrinæ professoribus. Quod dominus locutus est Petro, id omnes intellexerunt sibi quoq; dictū esse. Mox itaq; subductis in terrã nauibus, atq; inibi relictis omnibus, sequuti sunt Iesum, uacui solitudine rerū corporalium, ac totis animis in hoc intenti, ut fierent piscatores hominū. Ad hoc præclarū munus erāt formandi præceptis, erāt mysticis exēplis instituendi.

Et factum est, cum esset in una ciuitatum, & ecce uir plenus lepra, & uidens Iesum, & procidēs in faciem suã, rogauit eum, dicens: Domine, si uis potes me mundare. Et extendens manum, tetigit eum, dicens: **Vo lo, Mundare.** Et confestim lepra discessit ab illo. Matth. 8. 4
Marci 1. d

Ut ostenderet nullum esse uitium tam foedum, tam capitale, quod non ilico condonetur agnoscenti morbum suum, & per fidem euangelicam imploranti remedium à cœlesti medico Iesu, factum est, ut in quadam ciuitate leprosus esset, nō leuiter infectus. Hoc hominū genus sic erat abominabile apud Iudæos, ut procul submoueretur ab hominū consortio, ac lex uetaret contingi ob contagionis præsens periculum. Sed foedior est & detestabilior animi lepra, quam

corporis. Porro Iudæi quum ipsi uitijs intercutibus maderent, tamen Ethnicos publicanos ac notos peccatores sic execrabantur, ut si quando contigisset cum his colloqui, perinde quasi contracto contagio domum reuersi, totum corpus abluerent. Ab hac arroganti Iudæorum mundicie Christus uoluit suos quam longissime abesse. Profuit igitur misero uidisse Iesum: agnouit immundiciam suam, seque iudicauit indignum qui foedis maculis abominandam faciem atroleret in dominum, sed sui pudens, prostrauit se in faciem, ac uocem emisit modestæ simul ac fiducia plenâ. Quod faciem texit, erat obedientis legi, & agnoscentis suum malum; quod rogat mundari, confidentis de omnipotentis omnipotentis obuia bonitate domini Iesu. Domine, inquit, scio malum meum esse immedicabile, & fortasse non sum dignus tuo beneficio, sed tantum illud habeo mihi persuasum, posse te mundare me si uelis: habes meam de tua potentia fidem, si perest ut tua bonitas iudicet, utrum hunc calamitosum ac deploratum hominem dignari uelit sua misericordia. Non potuit esse plenior erga dominum fiducia, quam agnita potestate beneficij conferendi, arbitrium illi deferre, qui nouit aliquid quoties expedire nobis, ut malis corporis affligamur, & inutilem esse rem poralium successum. Iesus autem delectatus hominis miserandi tam absoluta fiducia, non solum non submouet illum ab oculis suis, sed prostratum erigit, & potest recta manu contingit faciem eius, dicens: Si requiris bonitatem meam, uolo: & quia profiteris potestatem, mundus esto: simulque cum dicto discessit a toto corpore lepra, qua fuerat oppletus. Discunt interea discipuli, quam non oporteat abominari hominem quâlibet enormibus ac detestandis peccatis obnoxium, modo morbum suum agnoscens, cum fiducia medelâ expetat à bonitate Christi. Etenim si dominus qui solus erat purus ab omni lepra uitiorum, contactu suo dignatur hominem cunctis abominabilem: quanto minus conuenit, ut discipuli quos à peccatis emundauit domini bonitas, qui nec omnino sunt immunes à culpis, & labi possunt in omne flagitium, aspernentur curam impendere sanandis aliorum morbis? Huiusmodi contactus non inquinat contingentem, sed contactum purgat. Purus ilico fit qui contingitur, nec impurius fit qui contingit, si modo per apostolicam manum dignetur contingere Iesus.

Et ipse præcepit illi, ut nemini diceret: sed uade ostende te sacerdoti, & offer pro emundatione tua, sicut præcepit Moses in testimonium illis.

Leuit. 14. 4

Quandoquidem lepræ iudicium lex deferebat non quibuslibet, sed dumtaxat sacerdotibus, Dominus noluit hoc miraculum populari rumore tantum diuulgari, sed quo certior esset fides, interdixit sanato, ne protinus euulgaret acceptum beneficium, sed primum adiret iuxta legis præscriptum sacerdotem, cuius iudicio damnatus esset de lepra, & ab hominum consortio semotus. Quod si quis, inquit, inspecto corpore iudicarit te esse uere mundum, offer quod lex præscribit offerendum his quibus cõtingit à lepra liberari. Ita pariter fiet, ut ne queri possint sacerdotes sibi per me decrescere quæstum suum, offer quod lex se legem aut contemptam: quam ut absoluerem, ueni, non ut abolerem: nec calumniari beneficium meum, ut aut negent te fuisse leprosum, aut iudicent te non fuisse sanatum. Etenim ilico res ipsa respondebit illis: Si leprosus non eras, cur uos qui iudicandi peritiam uobis sumitis eum leprosum pronunciaſtis? autem mundus non est, cur uelut à mundato sumpſistis oblationem lege præscriptam? Hæc ideo tam accurate mandauit dominus Iesus, ut omnibus percipi-

cum esset uenisse lege maiorem, qui citra legis opem solo contactu, sola uoce, solo nutu, pro suo arbitrato, conferre potest ueram mundiciem, & ita tollere omnium immundiciam, qui se per fidem sanandos offerrent, ut ipse nullius inquinaretur contagio, quiq; gratis succurreret omnibus, nō pro quaestu ut Moysi sacerdotēs, qui nec immittebant lepram nec auferrebant, sed de lepra nata aut sublata iudicabant duntaxat. Solus autē Iesus omne morborum genus corporale & spirituale tollit ab omnibus, nullum aliud exigens sacrificium, quàm simplicem ac puram erga se fiduciam, ut agnoscamus in eo diuinam uirtutem, qua potest quicquid uult. Adoremus in eo bonitatem ineffabilem ac misericordiam, qua gratis cupit omnes peccatores saluos fieri, de suo dependens quod dixit mundato, ne prædicaret beneficium, exemplum est, ne quam ex beneficiis suis quisquā auram gloriæ uenetur apud homines. Nec is quoq; qui beneficium expertus est, debet huiusmodi laudem referre alteri quàm auctori deo, qui per suos famulos tanta largiri dignatur.

Perambulabat autem magis sermo de illo, & conueniebant turbæ multæ ut audirent, & curarentur ab infirmitatibus suis. Ipse autem secedebat in desertum, & orabat.

Ex huiusmodi mirabilibus Christi factis indies magis ac magis inclarescerebat domini fama, dum alij quod uiderant & audierant narrant alijs, & rursus hi quod acceperant à narrantibus alijs, oratione tradunt per manus. Itaq; confluēbant undiq; turbæ multitudinis, indies confertiores, partim ut audirent effusam illam doctrinam, qua sanat morbos omnes animarum, partim ut qui morbis corporum essent obnoxij, uirtute Iesu sanarentur. Crassus enim populus illa magis miratur, quæ uisibilia sunt, quàm quæ non uidebantur: ingens & quum longe maius & diuinius beneficium sit, sermonis euangelici pharmacium ab animo depulisse febrim fœdæ libidinis, hydropem auaritiæ, dæmonium ambitionis, aliasq; lætales animorum pestes. Iesus autem nos suo facto docens operabona, nec ad ostentationem theatricam, nec ad satietatem esse faciendā, subduxit sese in desertum, atq; illic semotus ab hominum frequētia, precationibus uacabat, gratias agens deo patri pro beneficijs, quæ per filium suum largiretur. Siquidem hac uicissitudine fit, ut primum intermissio beneficij excludat satietatem & excitet appetentiam: deinde, qui secessit ab hominibus ad diuinum colloquium, instructior redeat atq; alacrior ad intermissum munus. Sic autem moderatus est totam uitam suam dominus Iesus, ut frequēter nobis exhibere uolens uiuendi formam hominem ageret, nonnunquam diuinitatis suæ proferret indicia. Nihil autem magis uegetat euangelicum doctorē, nihil turbæ secessus: non ad otium, lusus, uoluptates, quales sunt ferè secessus huiusmodi diuitum, sed ad lectionem & meditationem sacrorum uoluminum, sed ad precationem puram, ad gratiarum actionem, ad contemplationem rerum cœlestium, deniq; ad expurgationem animi, si quid fortè labis contractum est ex populari conuictu. His rebus nihil opus erat Christo, sed in se nobis formam uoluit exprimere. Pastoris assiduus cum populo conuictus plerūq; gignit contemptum, & prodesse non potest qui se perpetuò subducit ab hominum cōuictio. Prohibet igitur uir euangelicus quoties populus eget cibo sermonis euāgelici,

quoties ingrauescētes morbi poscunt medicantis opem. Rursus, ubi satis passus sunt, ubi subuentum est multorum malis, ne familiaritas pariat contemptum, ne copia fastidium, secedat in suum secretum, ut sacratoribus studijs, uelut a diuino colloquio semper seipso maior ac melior redeat ad iuuandos proximos. Sic nimirum dominus Iesus, a secessu reuersus Capharnaum, se reddidit irritatis iam omnium desyderijs.

Matth. 9. 14
Marc. 2. 14

D Et factum est in una dierum, & ipse sedebat docens. Et erant pharisæi sedentes, & legis doctores qui uenerant ex omni castello Galilææ & Iudææ, & Ierusalem, & uirtus domini erat ad sanandum eos.

In ciuitate Capharnaum quum in domo quadā priuata sedens doceret (Sicut quidem ubicunq; Christus sedens docet, illic est ecclesia) cōfluxerant eodē non iam plebei tantū, uerum etiā pharisæi, sanctimoniam specie turgidi, nec non Moisaicæ legis doctores, qui prouocati fama rerū ab Iesu gestarū, huc profecti fuerant, non solū ex omnibus opidis Galilææ, in qua erat Capharnaū & Iudææ uicina, uerum etiā ex ipsa ciuitate Ierusalē, quæ sibi religionis totius & sapientiæ fastigiū arrogabat. Totus autē Iesus, quia fons erat omnis salutis, nihil aliud spirabat, q̄ uim quandā diuinā ad sanandū homines, cuius rei gratia uenerat in terras: & potior hominis pars priorē sibi curā uēdicabat, oratiōe sanabat morbos animorū. Prius itaq; docuerat, idēq; sedens, iustā doctoris authoritatē idēq; merito sibi uēdicās. Supererat corporalis morbi depulsio, quæ quoniā erat oculis omnium exposita, fidē astrueret ijs quæ maiore fructu simul et uirtute, sed nō perinde perspicue gerebant in animis: & ecce parata ueritatis exercendæ materia.

Et ecce uiri portantes in lecto hominē qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante eum. Et non inuenientes qua parte illum inferrent præ turba, ascenderūt supra tectum, & per tegulas submiserunt eum cum lecto in medium ante Iesum.

Paralyticus adest lecto affixus, qui a quatuor baiulis deportabat. Tanta uis erat mali, ut omnibus totius corporis neruis occupatis, miser nihil aliud q̄ iacere posset, nec aliter quā cadauer circūferretur. Quanc̄q; & alioqui morbigenus ipsum tale est, ut cum eo non magno successu luctari soleant medici. Tanta autem erat baiulorū erga Iesum fiducia, ut non dubitarint, quin Iesus cui sciebant nullum morbi genus esse immedicabile, conspecta nouæ calamitatis imagine, misertus succurreret: tantum in hoc labor erat, ut miser ueniret sub oculos Iesu. Siquidem ille iam sanitati proximus est, qui relictis latebris peccandi, ut miserabilis se semper offert conspectui Iesu, suam agnoscens calamitatem, & illius expectans benignitatem. Quo minus autē inferrent eum ad pedes domini Iesu, turbæ densitas obstabat, alioqui pperaturis ad salutē. Verū ea quam remoraretur ingressum, tamen illustrabat ingens & baiulorū & paralytici desyderiū simul & fidē. Quanc̄q; enim deus natura pronus est ad miserendum omnibus, tamen differt nonnunq; beneficentiā suam, quo magis animi liberemur desyderiū, doceatq; nihil nobis nō esse tentandū, ut a morbis animi liberemur. Amat hic improbitatē nostrā, qua ueluti cōpellitur ad id, ad quod suapte natura propensissimus est. Itaq; mihi uide quid ausi sint baiuli, imō quid ab illis extorserit paralyticus: deferunt sarcinam suā in ipsum tectū, eoq; nudato, uelut per fenestrā funibus demittunt paralyticū, ut erat lecto affixū, in medium multitudinis ante pedes Iesu. Quid impudentius q̄ mouere tegulas aliene domus, & tam

tam abominabile spectaculum tali theatro ingerere? Hic turba quæ in foribus
nolebat locum dare misero, coacta est ab alto delabenti cedere. Quid autem in-
ter hæc mitissimus ille medicus? Non exprobrat impudentiam & importunita-
tem, non destomachatur abominando spectaculo interruptum sermonem suum.
Nihil rogant baiuli, spectantes à tecto, nihil paralyticus, cui morbus etiam lin-
guæ usum ademerat: & hoc magis loquebatur misericordiam medico, quia loqui
non poterat. Nihil erat opus precibus, miserabile spectaculum flagitabat mise-
ricordiam, & quod fecerant baiuli, satis arguebat quid sperarent à domino.

Quorum fidem ut uidit, dixit: Homo, remittuntur tibi peccata tua.
Et ceperunt cogitare scribæ & pharisæi, dicentes: Quis est hic qui lo-
quitur blasphemias? quis potest dimittere peccata, nisi solus deus?

Iesus perspecta illorum admirabili fiducia, plus præstitit quam expectabāt.
Summa uotorum erat, ut paralyticus corporis morbo liberaret. At Iesus osten-
dens esse diuinius ac magis expetendum liberari morbis animi, uersus ad para-
lyticum, ait: Homo, remittuntur tibi peccata tua. Hæc uox quoniam plane di-
uinam quandam potentiam sonabat, commouit animos scribarum ac pharisæo-
rum, nunquam potentiam sonabat, commouit animos scribarum ac pharisæo-
peccatis offerebant uictimas, non ipsi remittebant peccata, sed tantum iuxta le-
gem precibus intercedebant apud deum, ut condonaret illis admissa. Iesus au-
tem absque holocaustis sacerdotibus, absque precibus, uelut autoritate
& corpus omnium peccatorum semel complectens: quum sacerdotes non uni-
uersa peccata, sed certas aliquas culpas uictimis expiandas curarēt. Docuerat
hoc illos Isaias, solum deum esse qui gratis condonaret hominibus peccata. Ita
enim loquitur per os sui prophete: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates
tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Sed quum uiderent
in eo diuinæ uirtutis indicia, tamen offensi corporis cōspecti imbecillitate, par-
tim etiam cogitationibus sic intra se loquebātur, & quod est pharisæicæ calum-
niæ proprium impietati summæ prætexunt pietatem, & studium gloriæ diui-
næ, nulla enim perniciosior impietas. Quis est, inquiunt, iste, qui loquitur blas-
phemias, sibi arrogans quod proprium est dei? quis enim potest remittere pec-
cata, nisi solus deus?

Ut cognouit autem Iesus cogitationes eorum, respondens, dixit ad
illos: Quid cogitatis in cordibus uestris? Quid est facilius dicere, Dimit-
tuntur tibi peccata, an dicere, Surge & ambula?

Dominus Iesus ut hac quoque parte declararet sibi diuinæ naturæ consortiū
esse, ad tacitas illorum cogitationes respondet hunc in modum: Cur ista cogi-
tatis in cordibus uestris? Vtrum iudicatis difficilius dicere peccatis obnoxio,
Remittuntur tibi peccata tua, an dicere huic, quem uidetis totum paralyti reso-
lutum, Surge & ambula? Quod si uideritis homini deplorato subito restitui sa-
nitatem corporis simplici uerbo, credite pari facilitate & animam suæ sanitati
restitui. Ex hoc quod oculis cōspicamini, credite quod cerni non potest. Ne uos
offendat infirmitas huius corporis, sed ex ipsis factis agnoscite diuinā potentiā.

Ut autem sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimit-
tendi peccata (ait paralytico) Tibi dico surge, tolle lectum tuum, et uade

in domum tuam. Et confestim confurgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat, & abiit in domum suam, magnificans deum.

Accipite, inquit, uisibile documentum, quod filius hominis habeat in sese perpetuam ac propriam potentiam in terris remittendi peccata, cunctis, qui synce- ralytico: Tibi dico, surge, tolle lectum tuum, & uade in domum tuam. Nec mo- ra, surgit iussus paralyticus, sub oculis omnium; & sublato in humeros lectulo, in quo decubuerat, pedibus suis abiit domum suam, subito sic receptis uiribus corporis, ut qui prius decumbens gestabatur à quatuor baiulis, nunc etiam le- cto gestando sufficeret. Abiit autem ille totus sanus animo & corpore gestiens & alacer, glorificans deum, cuius bonitate restitutus esset, quò ab hominibus nulla fuisset spes salutis.

Et stupor apprehendit omnes, & magnificabant deum. Et repleti sunt timore, dicentes: Quia uidimus mirabilia hodie.

Populus nouo spectaculo commotus, uehementer obstupuit, ac plerique lau- dabant deum, qui tantam potestatem dedisset homini (Nihil enim aliud de do- mino Iesu adhuc suspicabantur.) Quidam autem sibi mali conscii, metu etiã cor- repti sunt, non intelligentes quod Christus in hoc uenerat, non ut perderet no- centes, sed ut redderet innocentes. Dicebant autem inter sese: Cõspeximus ho- die mirabilia, quæ nec audiuimus unquam facta, neque legimus. Miratur ac ti- met populus, & hic nonnullus est gradus ad salutem, sed mussant & inuident Pharisei.

Et posthæc exiit, & uidit Iesus publicanum nomine Leui, sedentem ad Telonium, & ait illi: Sequere me, Et relictis omnibus, surgens secu- tus est eum.

Egressus hinc dominus, cum docuisset apud lacum, docens interim nullo non loco spargenda semina sermonis euangelici. Præteriens autem conspexit publicanum quendam nomine Matthæum, qui idem dictus est Leui filium Al- phæi, sedentem in Telonio. Non id casu accidit, sed aspexisse delegisse erat. De legit autem publicanum in consortium apostolorum, ut suos doceret, nullum hominum genus repudiandum ab euangelica professione, modo relictis priu- næ uitæ studijs, totos se dedant pietati. Ait igitur illi: Sequere me. Atque is ad uo- cem Iesu uelut efficaci quodam incantamento transformatus in alium homi- nem, surgit, & relictis, ut erat, omnibus, sequutus est dominum. Iam hoc erat insignius miraculum, hominem infami quæstui deditum, & negotijs inexpli- cabilibus inuolutum, repente uertere in alium, quàm paralytico suos neruos reddere. Atque hoc ipsum iam tum urebat phariseos, quod ipsis contemptis asci- sceret publicanos, quorum commertio Iudæi sibi uidebantur inquinari.

Et fecit ei conuiuium magnum Leui in domo sua: & erat turba mul- ta publicanorum & aliorum qui cum illis erant discumbentes. Et mira- murabant pharisei & scribæ eorum, dicentes ad discipulos eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis & bibitis?

Accessit quod inuidiam illorum cogebat erumpere. Matthæus iam factus Christi discipulus, domi suæ conuiuium magnificum instruit. Eò non de digna- tus est uenire dominus Iesus cum discipulis suis, simul autem uocatus erat ma- gnus

Matth. 9. a
Marci 2. b

gnus numerus publicanorum, quos ut Matthæus habuerat prioris instituti so-
dales, ita cupiebat habere noui instituti sectatores. Id conspicientes pharisæi &
scribæ, iam non continent impium murmur animi sui, nec audent tamē inter-
pellare dominum, sed discipulos appellant, apud hos sugillant præceptorē, quo
ab illo alienarent. Aiunt enim: Quum deceat sanctos cum sanctis habere com-
mercium, cur uos publicanos & peccatores palam infames non solum admitti-
tis ad colloquium, uerum etiam in ipsorum ædibus familiariter editis ac bibitis
cū illis, nec mēsam cōmunem auersamini, nō uulgare necessitudinis symbolū?

Et respondens Iesus, dixit ad illos: Non egent qui sani sunt medico,
sed qui male habent. Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœni-
tentiam.

Dominus Iesus intelligens quorsum tenderet hæc pharisæorū impia mur-
muratio, pro discipulis respondet illis. Quid, inquit, calumniamini quod cum
publicanis & peccatoribus habeam cōsuetudinē? imō cum nullis potius decet
me habere commercium. Apud quos enim magis decet uersari medicū quā
apud ægros? Ego in hoc ueni, ut medear animabus peccatorū morbis obno-
xii: & sanabiliore sunt palam peccatores agnoscētes morbum suum, & ideo
medicum accersentes, quā alij, qui sibi sani uidentur, iustitiæ specie sese uen-
ditantes apud homines, quum intus grauioribus malis laborēt, & insanabilius
agrotent, quā hi quorum morbus in aperto est. Quare cum medicus sim nō
par est mihi iustos indignari, ut sibi uidentur, si cum ipsis non habeam consue-
tudinem, quum sanis non sit opus medico. Porro qui uere iusti sunt, non debēt
inuidere peccatoribus ad meliorē uitam resipere conantibus: quod si faciant,
non minus damnandi sunt, quā si qui sanus est indignetur medico uisenti æ-
grotum ut eum morbo leuet. Nam in animi negotio non est sanus ipse, qui sa-
nitatem inuidet ægrotanti, & ipse morbo tenetur, qui quum possit non suble-
uat morbo proximum suum. Hac tam mansueta tamq̃ probabilis responsione
dominus Iesus & patrocinauit suis discipulis, nōdum satis instructis ad re-
tundendum pharisæorum & scribarum malitiosas captiunculas, & suam erga
peccatores comitatem docuit esse misericordiam, non fauorem iniustitiæ: & eo
rum arrogantiam tacite sed acriter coarguit, qui magno supercilio despicerent
ceteros homines, quum ipsi hoc ipso essent immedicabiliter impij, quod sibi fal-
so placerent nomine religionis.

At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Ioannis ieiunant frequen- Matth. 9. b
& obsecrationes faciunt, similiter & pharisæorum, tui autem edunt Marc. 2. c
& bibunt:

Calumnia calumniā excipit, ea nata est partim ex his qui fuerant discipuli
Ioannis. Ioannes enim quum esset confiniū legis mox cessaturæ, & euangelicæ
libertatis mox emerituræ, quædam tradebat quæ non prorsus abhorrebant ab
instituti pharisæorum. Quum Christus qui multorum opinione uidebat Ioan-
ne inferior, indulgentius ac mollius haberet suos: in his duntaxat, quæ ad cor-
porales obseruationes pertinent, quod genus sunt ieiunia ac preces. Nam his
præcipue rebus pharisæi, & qui hodie sunt illorum discipuli, sibi sanctimoniam
famam conciliabant apud populum. Christus autem quanquam ipse frequen-
ter oraret, tamen suos docuit & paucis & clam esse orandum: nec ullum exe-
git ieiunium, ad quædam etiam conuiuens, quibus legis præscripta negligi ui-

debantur, quū eos alia ratione fingeret ad fortiora, quæ ppria sunt euangelicæ fortitudinis. Siquidem longe fortius est iniuriam cōdonare ex animo, benemereri etiam de male meritis, pro salute etiā proximi uitæ iacturam facere, quam inedia proferre usq; ad uesperam, aut Psalmos aliquot lingua sonare. Pharisæi quod erat uisibile, quodq; per hypocrisim geri poterat, plurimi faciebant, negligentes ea quæ ueræ perfectæq; uirtutis sunt. Sed hi scribis impudentiores, audent ipsum dominum interpellare, dicentes: Quid est causæ quod discipuli Ioannis frequenter ieiunant, & orant prolixè, & diligenter obseruāt quæ maiores custodienda tradiderunt, suntq; in talibus stricta conscientia cuncta seruantes; tui uero longe irreligiosiores edunt & bibunt pro suo arbitrio, neq; perinde conspiciuntur frequentes in precando? Si constanter probas Ioannis sanctimoniam, cur dissides ab illius institutione & moribus?

G Quibus ipse ait: Nunquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare? Venient autem dies & cum ablatu fuerit ab illis sponsus, tunc ieiunabunt in illis diebus.

Ad hanc pharisæorum calumniam dominus, quoniā ad ipsum proprie pertinebat, ciuilitè ac placide respondit, dicens: Non damno preces & ieiunia, sed in his interim indulgeo meis discipulis, ut alia ratione paulatim ad fortiora pro ueham: In his quæ corporis sunt, & ad legis accedunt ceremonias, lenior est nota institutio, sed in his quæ sunt animi, longe seuerior est. Hæc quæ uos ueluti sanctitatis fastigium admiramini, sua sponte facient mei, si quando res ita potestulabit. Nolite meis interim inuidere hanc libertatem, exitus rerum ita potest utrius institutio fuerit efficacior. Ioannes gloriabatur se sponsi amicū esse, non sponsum. Non conuenit autem, ut qui sponso familiariter adherent, & in thalamo uersantur, ubi par est omnia esse læta, compellantur ad ieiunium; tenei adhuc sunt, ac toti pendent à sponso; huius non erit illis diuturna copia. Veniet autem tempus, cum orbabuntur sponso, tum facti firmiores, ultro ac uolentes non solum ieiunabunt, uerumetiam in mortem & in carcerem ibunt, quoties exiget charitas. Ieiunium per se nec bonum est, nec malum. Proinde qui ieiunant tantum ut ieiunent, nihil magni faciunt, uerum qui possunt iuxta meam institutionem contemnere gloriam huius mundi, negligere uoluptates, spernere opes, affectus omnes pro nihilo ducere, refrenare iram, inuidiam, bene uelle maleuolentibus, benedicere maledicentibus, orare pro persecutibus, denique uitam habere uilem pro salute fratris, hos agnoscam ut me discipulos. Carnis præsentia reddit illos interim infirmos, sed cum ablata fuerit huius corporis copia, posteaquam hauserint spiritum euangelicum, tum arcanis dotibus erunt fortes & inuicti. Qui iustitiæ laudem constituent in corporalibus obseruationibus, quoniam confidunt suis operibus, imbecilles reputantur ad ea perpetienda, ad quæ meos præparo. Sed qui suis diffisi factis, præsidium omne collocant in animi dotibus, quas mihi acceptas referent, hos nulla frangit aduersitas. Qui meus uult esse discipulus, totus spiritualis sit oportet, nihil fiduciæ collocans in rebus corporalibus, in quibus sita est tota pharisæorum iustitia: & ideo nihil istarum rerum meis præcipio, quæ quicquam habent affine cum carnali legis obseruatione, ne si uel paululum admisero, toti relabatur eò unde uolo illos esse alienissimos.

Dicebat autem & similitudinem ad illos: Quia nemo commissuram à uestimento nouo immittit in uestimentum uetus; alioquin & nouum

uim rumpit, & ueteri non conuenit commissura à nouo. Et nemo mittit uinum nouum in utres ueteres, alioquin rumpet uinum nouum utres, & uinum effundetur, & utres peribunt: sed uinum nouum in utres nouos mittendum est, & utraque conseruantur. Et nemo bibens uetus, statim uult nouum, dicit enim: Vetus melius est.

Ut ostenderet dominus Iesus, quantum interesset inter Ioannem, qui suos ad pristina legis haustam saluam instituebat, & se, qui longe diuersa ratione formabat suos ad perfectiora, proposuit huiusmodi similitudinem. Nullus, inquit, tam stultus est, ut si ueteris uestis rupturam sarcire uelit, immittat pannum nouum ex noua ueste resectum: quod si faciat, duplex est incommodum, prius diuisi ueteri uestimento, quoniam non conuenit, prodit sarturæ deformitatem. Rursus, nemo tam stultus est, ut uinum mustum condat in utres antiquos, alioqui fiet ut uis uini musti efferuescentis dirumpat utres ueteres, & consequetur duplex iactura: nam & utres peribunt, & uinum effundetur. Quid igitur faciendum est: ne misceantur ea quæ non congruunt inter sese. Vetus uestimentum ueteri panno sarcatur, nouæ uesti ne quid admisceatur ueteris panni. Vinum mustum condatur in utres nouos, sic fiet, ut & utres seruentur & uinum. Scio quam sit difficile nouam hanc et spiritualem doctrinam cõmendare ihs, qui iam diu ueteri assueuerunt. Vix enim quicquam placet cuiquam diuersum ab eo cui diu assueuerit, protinus enim offenditur ad gustum inusitata rei: quemadmodum qui diu biberit de uino ueteri, non statim delectantur musto, requirit enim gustum cui assueuit, & dicit, uetus fuisse melius, non ob aliud, nisi quia assueuit. Ita qui consueuerunt in Iudaismo uel pharisaica uita, resiliunt ad gustum doctrinæ spiritualis, & illa crassiora quibus assueuerunt requirunt, circumcissionem, festos dies, sabbathismos, discrimina ciborum, uestes, ieiunia, Hierosolymam, templum, uictimas, lotiones, uota, constitutum cularum pharisaicas, aliaque his similia. Atque hæc non solum requirunt, uerum etiam præferunt his quæ sunt longe potiora: cuiusmodi sunt animus à prauis cupiditatibus circumcisus: animus ab omnibus profanis studiis perpetuò seruiatus: animus ab omni malorum affectuum tumultu tranquillus: animus abhorrens ab omni contagio, quæ inquinant mentis puritatem: animus fide, charitate, modestia, puritate, redimitus: animus ab omnibus malis semper temperans: animus semper aspirans ad cœlestem patriam, spiritus sancti templum & hospitium, seipsum offerens semper gratam & puram uictimam deo: animus ab omni labe purus per fidem euangelicam: animus ab omnibus quæ sunt huius mundi abdicatus, seque totum diuinis rebus dedicans, obseruantissimusque eorum quæ præcipit, & requirit euangelica doctrina, requirit autem fidem, & præcipit charitatem. Hoc nimirum est uinum meæ doctrinæ nouum, quod non fert utres asuetos uappæ Mosaicæ, sed requirit utres nouos ac puros, spiritualibus dotibus fortes, ac firmos.

CAPVT VI.

Actum est autem in sabbatho secundo primo, cum transiret per A
sata, uellicabant discipuli eius spicas, & manducabant confri- *Matth. 12. d*
cantes manibus. Quidam autem phariseorum dicebant illis: *Marci 2. d*
Quid facitis quod non licet in sabbathis?
Accidit sabbatho quodam, non primo, hoc est, principali, quod sit initium

septimanæ, sed secundo primo, hoc est, solennitate aliqua nouilunij, uel infra octauas pentecostes, in quibus non tantus seruabat rigor quietis, ut in primo sabbatho, uel die paschatis, aut ppitiationis, uel pentecostes. Quasi dicat, In sabbatho nō celeberrimo, ut Iesus iter faceret per segetē, porrō discipuli, quū forte fortuna esurirent, reuulsas spicas aliquot cōfricabant manibus, & granis uelcebant. Erat hoc populare famis urgentis solatiū, quo quidē in casu, quū euangelica charitas ultro fuerit esuriētibus suppeditatura cibū, pharisæi ueteres utres, aut quæ superstitionis uappam requirunt, dicunt: Cur ista facitis, quæ nefas est facere sabbathis?

1. Reg. 21. 8

Et respondēs Iesus, ad eos dixit: Ne hoc legistis quod fecit Dauid, cum esurisset ipse, & qui cum illo erant, quomodo intrauit in domum dei, & panes propositionis sumpsit, & manducauit, & dedit his qui cū ipso erant, quos non licebat manducare, nisi tantum sacerdotibus? Et dicebat illis: Quia dominus est filius hominis, etiam sabbathi.

Rursus dominus suis patrocinaf, & respondet: Vos qui legis cognitionem profiterimini, non saltē illud legistis, quid fecerit Dauid in simili casu, quū esuriret ipse cū suis comitibus, quemadmodū uidetis nūc meos esurientes? Non solum ausurus erat in famis discrimine facere quod mei nūc faciūt, sed homo profanus ingressus est templum dei, nec reueritus est uesci sacris panibus, quos illi ppositionis appellant, quibus solis sacerdotibus uesci fas erat: nec ipse solus illi sus est uesci, sed ex eisdē pauit comites suos, nihil cōmotus neq; tēpli religione, neq; legis interdīcto, uetantis quēq; attingere panes illos, præter sacerdotē, idēq; tantisper, donec in templo uersantes sacris operarent. Ne sacerdos quidē ueritus est illos panes sacros tradere, nimirū intelligēs obseruationes huiusmodi non esse institutas ad perniciem hominū, sed ad salutē; & idcirco cessare quod Iesus, sermonem hac conclusit sententiā: Illud habetote pro certo, quod filius hominis qui dominus est omnium, dominus est etiam sabbathi.

B

Matth. 22. 4
Marc. 3. 4

Factū est autē & in alio sabbatho, ut intraret in synagogā, & doceret. Et erat ibi homo, & manus eius dextra erat arida. Obseruabant autē scribæ & pharisæi si in sabbatho curaret, ut inuenirēt unde accusarēt eū.

Successit aliud exemplū q̄ non ferant ueteres utres uinū mustum euangeli- cę libertatis. Accidit enim, ut alio quodā sabbatho iuxta morē suum ingrederet synagogā ac doceret. Ferebāt hoc ut cūq; pharisæi, quoniā ex more præscripto legis erat: sed aderat illuc inter multos homo quidam miserabilis, manum cuius opera solitus est alere seipsum ac liberos, cir cūferens arefactā & mancā, ut præstiterit non habere manum, q̄ onerari mortua. Atq; interim scribæ & pharisæi, quos oportebat misertos hominis interpellare Iesum p sanatiōe, taciti obseruabāt eū, an restitueret hominī manū. Nouerāt enim dñi clementiā ubiq; pmpriā ad opitulandū omnibus. Atq; hinc captabāt ansam calumniandi de uiolato sabbatho, si eo die manū restituisset hominī calamitoso, quo lex uetuerat operari.

Ipse uero sciebat cogitationes eorum, & ait hominī qui habebat manum aridam: Surge, & sta in medium. Et surgens stetit. Ait autem ad illos Iesus: Interrogo uos, si licet sabbathis benefacere, an male, animam saluam facere, an perdere? Et circūspectis omnibus, dixit hominī: Ex-
tende

tende manum tuam. Et extendit, & restituta est manus eius. Ipsi autem repleti sunt insipientia, & colloquebatur ad inuicē quidnā facerēt Iesu.

Dominus Iesus nō ignarus quæ apud se cogitarent scribæ & pharisæi, compellat hominem, cui manus erat manca, quoq; conspicuus esset omnibus, iussit ut surgeret, & prodiret in medium populi. At ille, ut statim intelligas fuisse dignum beneficio Iesu, obediens surrexit, inq; omnium cōspectu cōstitit, exhibens se calamitatis spectaculum. Hic Iesus uersus ad scribas & pharisæos, non prodidit quidem populo malitiosas ipsorum cogitationes, sed interrogatione percussit illorum conscientias, dicens: Libens à uobis didicerim, qui profitemini legis scientiam, utrum liceat sabbatho beneficio iuuare proximum, an potius desere proximum in calamitate cum possis subuenire? Et utrum fas est, seruare uir tam hominis in sabbatho, an perdere? Perdit enim uirā alterius, qui cum possit seruare, nō seruat. Cumq; dominus circumtulisset oculos, neq; quisq; esset qui responderet, dixit homini: Extende manum tuam. Extēdit ilico manum prius contractam, & immobilem. Tanta uis erat iubentis. Quid hic facerēt scribæ & pharisæi? Miraculum euidentius erat, quàm ut negari posset: sensus communis approbat esse pium, quouis tempore succurrere salutē mortaliū. Sed non tulerunt mustum euangelicæ charitatis, assueti uappæ legis Mosaicæ: quum ex his factis debuerint agnoscere uirtutem diuinam, & agnoscere legis auctorem, uertuntur in amentiam, iamq; inter sese ineunt parricidale consiliū, qua uia perderent Iesum. Hoc apud illos religiosos proceres licebat sabbatho, quum religio esset homini miserabili salutem conferre sabbatho.

Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione dei. Et cū dies factus esset, uocauit discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos & apostolos nominauit: Simonem quem cognominauit Petrum, & Andream fratrem eius, Iacobum & Iohannem, Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, Iacobum Alphæi, & Simonem qui uocatur Zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iscarioten qui fuit proditor.

Rursus dominus Iesus relictis urbibus et hominū frequētia, secessit in montem ad deprecandū, eamq; noctē peregit in deprecando deum. Nos interim docens, si quid auspiciari uolemus, quod felix & faustum esse cupimus, à deprecatione auspicemur, ut deus nostris cœptis dexter ac fauens aspiret. Vbi uero dilexit, uocauit ad se discipulos suos, quos iam habebat ppetuos comites, ac testes eorum quæcunq; gerebat. Ex his præcipuos aliquos delegit, quos ideo nominauit apostolos, quod eos missurus esset tanq; legatos euangelicos in orbē uniuersum, nihil aliud acturos, q̄ quod haberēt in mandatis. Horū nomina sunt hæc: Simon, cui postea nomen additū Syriace Cephas, Græce πέτρος, Latine saxum, in nium pronunciauit Iesum filium dei uiuū, Huius collega fuit Andreas frater ipsius. Deinde Iacobus & Ioannes, & cæteri, ut in litera. Iudam autem Iscarioten discipulum proditorem, non per imprudentiam elegit, sed per prouidentiam, ut huius exemplo doceret omnes quàm horrendum sit abuti lenitate seruato- ris erga nos. Ac ne in toto quidem apostolorum numero quisquā erat potens, aut diues, aut doctus, aut pharisæus, aut scriba, aut pontifex. Rudes delegit omnes, ut nouis utribus nouum uinum infunderet.

C
 Matth. 10. a
 Marc. 3. b

Et descendens cum illis, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Iudæa & Ierusalem, & maritima, & Tyri & Sidonis, qui uenerant ut audirent eum, & sanarentur à languoribus suis. Et qui uexabantur à spiritibus immundis, curabantur.

His ita delectis, descendit è monte, donec ueniret in planiciem multitudinis capacè. Siquidè quæ perfectissimam puritatè desyderat, in monte sunt peragenda; in his primū locū tenet deprecatio, proximum delectus eorum quibus credenda est dispensatio sermonis euangelici. Aderat autè & reliqua multitudo discipulorū, præterea copiosa multitudo promiscui populi, qui eò confluxerat ex tota Iudæa, atq; ab ipsa etiā Hierosolyma, itè à ciuitatibus maritimis Tyro & Sidone; nam multos etiā à longinquo pertraxerat auuiditas audiendi sermonem euangelicum, nonnullos spes sanitatis. Liberabat enim omnes ab omnium morborum genere quibus tenebantur, quā etiā hi qui uexabantur à spiritibus impuris, sanabantur. Hæc autem omnia peragebantur tanta facilitate, ut alios solo iussu, alios uestis etiā contactu subito redderet sanitati.

Matth. 5. ca

D Et omnis turba quærebat eum tangere, quia uirtus de illo exibat, & sanabat omnes. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos, dicebat: Beati pauperes, quia uestrum est regnum dei.

Seruator erat dominus Iesus, & omnibus saluandis uenerat. Cæpit ergo post hæc proferre mustū euangelicæ doctrinæ, cui delegerat aliquot firmiores, ueluti nouos utres. Beati, inquit, estis, qui nihil habetis elati spiritus, ac uobis ipsis displicetis, quoniam tamen iuxta mundū uidemini contempti & aspernabiles, tamen uestrum est regnū dei, longe magnificentius omni regno mundi. Videtis profligari morbos, profugere dæmones, aboleri peccata. Quid habet huius mundi celsitudo cum hac sublimitate conferendum? An non magnificentius regnum est, nulli seruire uitio, nullis obnoxium esse cupiditatibus, conculcatis satanam cum omnibus suis copijs, uicisse mundum cum omnibus suis terroribus & illectamentis, ascitos esse in consortiū dei, ascriptos esse regno cælesti?

Beati qui nunc esuritis, quia saturabimini. Beati qui nunc sititis, quia

ridebitis. Beati qui nunc tenues esuritis, sititis, & contenti frugalitate spernitis opes & luxum huius mundi; esuritis autem animi cibum, qui est sermo diuinus: sititis uitam aquam euangelici spiritus, quoniam continget uobis salubribus his delitijs expleri, quas desyderatis. Beati qui uosipos orbatis ultro uoluptatibus huius mundi, studio pietatis euangelicæ, præferentes ea quæ per temporarias afflictiones perducunt ad æternæ uitæ gaudia, quia ueniet tempus, ut ueritas rerum uicibus dolor uester uertatur in gaudium, & luctus in risum.

Beati eritis cum uos oderint homines, & cum separauerint uos & exprobrauerint, & eiecerint nomen uestrum tanquam malum propter filium hominis. Gaudete in illa die & exultate, ecce enim merces uestra multa est in cælo. Secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum.

Vulgus felices appellat quibus applaudit populus, qui ad honores prouehuntur

hantur, qui magnificis titulis celebrant. Vos autē me authore beati eritis, quū uos deriserint homines, quū uos ut execrabiles ē cōtubernio suo eiecerint, quū in uos mea causa multa probra cōgesserint, quum nomen etiā uestrum ac memoria abolere prorsus uel abominabilē posteris reddere studuerint, idq; nulla uestra culpa, sed odio filij hominis, cuius doctrinā & gloriā prædicabitis. Ne quid ob hæc displiceatis uobis, quin potius gaudete, quū hæc uobis acciderint, & exultate. Etenim si nō respōdebit meritis fauor hominū malorū, tum manet uos copiosa merces benefactorū in cœlis. Homines nō poterūt abolere uestra nomina, quæ scripta sunt in cœlis, non poterunt suis probris obscurare gloriā uestram, quæ cum mea gloria semper iungetur, imō quo magis insectabuntur nomen ac famā uestram, hoc magis illustrabunt; etenim impijs displicuisse sum malus est. Non nouum est hoc exemplū, Semper malis inuisa fuit egregia uir tus. Quod in uos facient huius ætatis homines, hoc idem horū maiores fecerūt in sanctos prophetas, non ob aliud, nisi quia iuxta uoluntatem dei non silebāt ueritatem dei, semper inuisam improbis. Horum exemplo uos ipsos consolabimini, quorum nomen illi conati sunt abolere, horum memoria nunc sacrosancta est apud omnes; uobis tamen uestra fretis innocentia, non est cogitandū de uindicta. Non enim cedit illis impune, quod facient in uos, licet interim uideantur huius mūdi bonis felices, ac florētes, differunt enim ad æterna supplicia.

Veruntamen uæ uobis diuitibus, qui habetis consolationē uestrā, Væ uobis qui saturati estis, quia esurietis. Væ uobis qui nunc ridetis, quia lugebitis & flebitis. Væ cū benedixerint uobis omnes homines; secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum.

Amos 6. 1
Ecclēsi 3. 14

Væ uobis diuitibus, qui uobis interim placetis, oblectantes animos uestros opibus, honoribus, & illecebris huius mundi, nec cogitatis breui futurū, ut ista uana felicitas uobis auferat, & succedat infelicitas æterna. Væ uobis qui nunc ridetis, delinīti rerum fluxarū successu, dulciq; fortuna ebrij, quia mox uersis rerum uicibus, lugebitis & flebitis, ac momentanea uoluptas in perennem cruciatum cōmutabitur. Ne placete uobis quum ob falsam felicitatis speciē uobis gratulantur & applaudunt homines, ignari ueræ felicitatis, quum ea quæ turca & impie aguntur à uobis laudibus uehunt, impiam insectationē euangelii pietatem. Laus ista falsissima, non liberabit uos à uindicta dei, sed grauioribus etiam supplicijs dignos reddet, quod non solum non puduerit impiorum facinorū, uerum etiam ex malefactis laudem quæsieritis. Qui uos laudabunt ob impia facta, horum maiores itidem applaudebāt olim pseudoprophetas, aduersus dominum prophetas rebellantibus, & in horum eadem principes ac populū concitantibus. Propheta domini non quæsierunt uindictam aduersus persecutores, & tamen nec pijs defuit sua merces, nec impijs sua pœna. Sero pœnitebit scelerum, qui nunc audire negligunt monitorem. Viderint ipsi quid commereant, qui pro benefactis reponunt maleficia.

Sed uobis dico, qui auditis: Diligite inimicos uestros; benefacite his qui uos oderunt; benedicite maledicentibus uobis, & orate pro calumniantibus uos. Et qui te percutit in maxillam unam, præbe illi & alteram. Et ab eo qui aufert tibi uestimētum, etiam tunicā noli prohibere.

Matth. 5. 8

Matth. 5. 9

Vobis qui præbetis aurem meis dictis, hoc nouum præceptum trado, ueluti

mustum euangelici uigoris, Non solum non rependite malū malo, uerum etiā diligite inimicos uestros; benefacite his qui uobis male faciunt; pro conuictis ac probris sermonem amicum ac salutarum repēdite; orate pro his qui uobis calumniantur, ut uestris precibus reconcilientur deo, condonatis ueris criminibus, qui uos falsis criminibus deferunt apud homines. Tantum autē abitis ab iniuriā retaliandā cupiditate, ut si quis tibi percusserit unam maxillam, citius alteram offeras cādendam quā ulciscaris. Et si quis tibi conetur auferre palium, sine potius ut auferat & tunicam, quā in iniuriā uenias contentionem. Ille tamen uere iacturam passus est qui fecit iniuriā; contra, qui damno rei confuluit paci & tranquillitati, lucrum fecit non damnum. Vestrum studium sit omnibus benefacere, lædere neminem: si quis læserit, uindictam habetis deum; si quid benefeceritis, remuneratorem habetis deum, penes illum sit utriusque rei cura.

1. Corin. 6. b
Matth. 7. b
Tobie 4. c
Matth. 5. g

Omni autem petēti te, tribue: & qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.

Et prout uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis similiter.

Esto promptus ad donandū, si quid quis abs te petierit, sic conciliatur amor mutuus. Quod si quis per fraudem aut uim rem tuam tibi eripit, sine potius habere illum, quā descendas in contentionem; præstat perdere pecuniam, domum, aut fundum, quā ob hæc recuperanda deferere bona potiora. Absit autem dolus ab omni uita uestra, sed quod quisque uelit ab alijs erga se fieri, si res poscat, id faciat erga proximum: & quod in se fieri nolit, ne molietur in alterum: hoc est enim diligere proximum, non secus quā teipsum. Vnusquisque sibi charus est, nec aliquod à seipso præmium amoris exigit. Sit igitur & erga proximum simplex & gratuita charitas, parata benefacere quoties erit opus, nullo mercedis ad te redituræ respectu, sed tantum ob hoc, quia proximus est, etiam si non sit unquam relaturus gratiam, ac ne in amore quidem mutuo responsurus: & amoris & beneficij uestri præmium ab uno deo sperate.

Et si diligitis eos qui uos diligunt, quæ uobis est gratia: Nam & peccatores, diligentes se diligunt. Et si benefeceritis his qui uobis benefaciunt, quæ uobis gratia est: si quidem & peccatores hoc faciunt.

Si diligitis eos qui uos diligunt, quid præmij postulabitis à deo? Amor autem re pensatus est. Qui redamat amantem, non amaturus nisi redametur, is multū abest ab euangelica charitate, quæ amicos pariter & inimicos cōplectitur. Qui uero redamat amantem, quid facit eximium ac dignum euangelicæ sublimitate: Nonne qui mundum hunc diligunt, & alioqui peccatores sunt, tamē ductu naturæ diligunt diligentem, & auersantur eum qui non respondet amore mutuo? Et si beneficium contuleritis in eos, qui in uos fuerunt benefici, quid præmij debebitur uobis? Non est ista beneficentia euangelica, sed permutatio beneficiorum. Si quidem & peccatores, & ab euangelicæ professionis sublimitate alieni, ductu naturæ referunt acceptum beneficium execrantes ingrati tudinem: ista non facere turpissimum est, facere non magnæ laudis.

Et si mutuū dederitis his, à quibus speratis recipere, quæ gratia est uobis: nam & peccatores peccatoribus scenerantur, ut recipiant & quæ uobis dantur. Veruntamen diligite inimicos uestros, & benefacite & mutuū dante, nihil inde sperantes: & erit merces uestra multa, & eritis filij altissimi, quia ipse benignus est super ingratos & malos.

Matth. 5. g
Deut. 19. b

Si mutuū

Si mutuum dederitis ijs à quibus speratis uos recepturos sortem, quid dignum facitis euangelico uigore? Nonne mali malis uicissim dant mutuū ac recipiunt? Vulgare officium est commodare in tempore, ut uicissim tibi commodetur. Non est purum officium, quod spe redituri beneficij confertur. Si tuam opem desyderat proximus, & petit mutuum, dato, etiam si nulla spes sit reddendum. Sit uestra gratuita & charitas & beneficentia. Beneuelitis etiam ijs qui uobis male uolunt. Benefacite etiam ijs qui uel non referent beneficium, uel beneficium maleficio pensabunt. Et dato mutuum hoc animo, ut etiam si nihil sit ad te rediturum, tamē gaudeas opitulari proximo. Nec est periculum, ne uobis pereat merces uestra. Siquidem hoc copiosius præmium repēdet deus, quominus repensum & speratum fuerit ab hominibus: & ita faciētes, ut germanos filios suos agnoscat altissimus, si bonitatem ipsius fueritis pro uiribus imitati. Nam ille adeo natura beneficus est, ut tantum liberalitatis conferat, non solum in bonos, uerumetiam in malos. Omnibus enim impartit uitam. Deinde cœlū ac terram tot ornamentis, tot cōmoditatibus instruxit, ad usum etiā impiorum, malos sua lenitate benignitateq; prouocans ad resipiscendum, bonos autem excitans ad gratiarum actionem.

Estote ergo misericordes, sicut & pater uester misericors est.

Largam & omnibus expositam patris beneficentiam tanquam germani filij referre debetis, ut huius exemplo, quantū in uobis est, modis omnibus prouideat uniuersis, & bonis quo fiant meliores, & malis ut uestra mansuetudine prouocentur ad meliorem frugem. Si deus qui nouit omnium mortalium corda, tamen ex immēsa naturæ suæ bonitate tam beneficus est erga plurimos indignos, in quibus scit perituram largitatem suam, quanto magis nos idem oportet facere, quos sæpe latet digni an indigni sint qui beneficio iuantur, & incertus est rerum exitus.

Nolite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non

condem nabimini. Dimittite, & dimittimini. Date, & dabitur uobis.

Mensuram bonam & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum uestrum. Eadem quippe mensura qua mensi fueritis, re-

menetur uobis. Sapenumero fit, ut qui prima specie mali uideantur, boni sint: & rursum, qui nunc pessimi sint, mox uertantur ad mentem meliorem, præsertim quum quisq; talem sit expertus deum erga se, qualem ipse se præbuerit erga proximum. Est autem & hoc Christianæ mansuetudinis ac simplicitatis, proximi di-

cta factaq; quæ quo animo fiant dubia sunt, in meliorem interpretari partem. Sincerus enim animus semper propensior est ad bene opinandū, quàm ad male suspicandum. In manifestis autem malis, quod genus sunt, obrectatio, tur-

piloquium, rapina, adulterium, uestræ bonitatis erit mederi uitij quantum in uobis est, homines ipsos non odisse nec ulcisci. Ne iudicetis igitur quenquam: ita fiet ut ipsi uicissim non iudicemini. Remittite si quid in uos admissum est, & uicissim deus remittet uobis peccata uestra. Estote liberales ac benefici in proximum, & redibit ad uos multo cum scœnore uestrum beneficium. Refunderur enim in sinum uestrum mensura bona, conferta, agitata, & exuberans, etiam si ab hominibus nulla redeat ad uos beneficij pensatio. Eadem enim mensura

Matth. 10. c
1041. 13. b

&c. Si contracti pariter fueritis erga proximum, talē sentietis & remuneratiōe.
Dicebat autem illis & similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcū
ducere? nōne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus super ma-
gistrum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius.

Quo magis hæc dominus Iesus infigeret animis suorum adiecit similitudi-
nem: Nunquid potest cæcus cæco dux esse? quod si tentet, nōne futurum est
ut ambo in foueam incidant? Purus sit ipse ab omni crimine oportet, qui uelit
alteri præire. Quid sit agendum quomodo docebit alium qui ipse teneret et
rorer? Sed durum est perpeti quorundam obstinatam malitiam. Cur grauiamini
ferre quod ego perfero? An par est, potiore esse discipuli conditionem quam
magistri? satis erit perfectus, si magistro æquetur.

Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ
in oculo tuo est, non cōsyderas? Aut quomodo potes dicere fratri tuo:
Frater, sine eijciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem nō
uides?

Cur iniquum iudicē te præbes proximo, ipse grauioribus malis obnoxius?
Cur in aliorum uitis tam oculatus es, cum ad tua mala cæcutias? Cur uides fe-
stucam in oculo fratris, & trabem quæ in oculo tuo est non cōsyderas? Quæ ue-
ro fronte possis dicere, &c. Vera bonitas in alios iudex clementior, in se seue-
rius animaduertit. Contra, simulata sanctitas, hinc sibi uenatur opinionē inte-
gritatis, si ad sua ipsius errata conuiuens, in aliorum humanos lapsus seuerissi-
me debacchetur. Condemnas fratrem ex cibo potuue, & ipse proximo moliris
exitium?

Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies ut
educas festucam de oculo fratris tui.

Audi simulator iustitiæ, si uere uis esse iustus, primum eijce trabem ex oculo
tuo, ac tum si uidebitur dispicies, ut eximas festucam ex oculo fratris. Nunc
præpostero iudicio tuis ipsius bonis blandiris, exaggeras aliena: ad tua ipsius
mala lenis es ac remissus, sæuus in aliena. Cur uobis sanctimoniam laudem arro-
gatis ex his rebus quæ communia possunt esse bonis ac malis? Neque uestis neque
cibus, neque proluxæ preces, neque lata phylacteria, declarant hominem bonum.
Non enim ex folijs æstimatur arbor, sed ex fructibus.

Matth. 7. c

Matth. 12. c

Non est enim arbor bona quæ facit fructus malos, neque arbor ma-
la, faciens fructum bonum. Vnaquæque enim arbor de fructu suo cogno-
scitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo uindemiant u-
uam. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & ma-
lus homo de malo thesauro profert malum. Ex abundantia enim cor-
dis os loquitur.

Fructus ex radice succum suum trahit, qui si amarus est, non potest arbor
gignere fructum suauem: si bonus est, nō potest arbor alium proferre fructum,
quam suo succo respondentem. Folia cortexque uidentur & fallunt, succus & ra-
dix non uidentur. Si corruptus est animus, malum est quicquid hinc nascitur.
Habet unaquæque arbor suos fetus, quos dissimulare non potest. Neque enim de spinis colligunt fi-
cus, neque de rubo colligunt uuam. Bonum est quicquid bonus homo fecerit,
quicquid

quicquid ederit, quocumque uestiatur, aut quicquid agat earum rerum quae per se neque bonae sunt neque malae, sed speciem habent pietatis potius quam ueram pietatem. Uescit bonus homo, benefacit: non uescitur, benefacit. Vtrumque enim ex affectu bono proficiscitur. Rursum malum est quicquid homo malus facit, propterea quod ex corrupto proficiscitur animo, quomodocumque uestiatur, siue ieiunet, siue comedat, siue oret, siue non oret. Vultis autem nosse fructus arboris euangelicae, cuius radicem impleuit suauissimus succus fidei & charitatis? Amat omnes, odit neminem, bene uult etiam inimicis, tantum abest ut quenquam afficiat iniuria. Bene precatur Iesus a quibus deuouetur, orat pro salute eorum a quibus falso accusatur, studet seruandis etiam his a quibus occiditur, gratis omnibus benefacere studet, praemium expectans a deo. De nullo male suspicatur, quicquid ambiguum est, interpretatur in meliorem partem. Neminem condemnat, sed ipse iudicium deferens deo, tantum benemereri studet. In se libenter condonat, nec offensae meminit. Hos fructus sicubi uideris, agnosce arborem euangelicam, quia fructus habet euangelio dignos. Iam quoque agnosce fructus arboris, cuius radix amaro succo pharisaicae superbiae, liuoris & auaritia infecta est. Nulli bene uult, nisi uni sibi, nec amicos amat, nisi suam gloriam praefert gloriae Christi: iniuriae uindex est, imo ultro iniuriam facit, sibi placet etiam in malefactorum, aliorum benefacta calumniatur, suis priuatis commodis proximorum malo consulit: dissidet ab animo oratio, nec deo fidit, nec diligit proximum, se iactat, alios condemnat: sibi blanditur, in fratrem errantem seuerus censor. Hos autem fructus quum producat, tamen fons & cortice simulat bonam arborem: obambulat in latis phylacterijs, lauat subinde, quiescit in sabbatho, fugitat colloquium publicanorum, sed obseruat uias beatas, in miseros saeuus, in diuites palpo: ieiunat frequenter, sed palam, domi gulae seruit: orat prolixè, legem, templum, deum habet in ore. Verum ad occasionem erumpit, quod latebat in corde, ubi reconditus est thesaurus bonorum ac malorum. Ergo quoties urget res, cum euanescit illa fucatae sanctimoniae species, & profert se quod reconditum erat in fibris. Obicitur iniuria, inibi bonus homo de bono thesauro cordis sui profert rem bonam: non iniuriam atrociore retaliat iniuria, sed aut tolerat, aut iniuriam etiam beneficio pensat, conuulsianti miti placidoque sermone respondet: pertractus in carcerem deo gratias agit, bonorum iacturam cum gaudio suscipit. Contra autem haec omnia arbor illa pharisaica, ad occasionem oblatam longe diuersos fructus profert. Deo non potest imponi, qui perspicit intimos cordis recessus. Nec mouetur corporibus ceremonijs, quae frequenter imponunt hominibus falsa sanctitatis imagine: honorifice loquuntur, & moliuntur ignominiam.

Quid autem uocatis me domine domine, & non facitis quae dico? Quor sum attrinet quod me honoris gratia compellatis, domini nomen subinde ingerentes, quum negligitis ea quae praecipio? Si dominum agnoscitis, obtemperate iussis meis: si non agnoscitis, quid sibi uult in me domini uocabulum? Vbi res exigit obsequium factis proferendus est domino debitus honor. Obseruatio preceptorum arguit fidelem seruum, non honorifica compellatio.

Omnes qui uenit ad me & audit sermones meos, & facit eos, ostendam uobis cui similis sit. Similis est homini aedificanti domum, qui fo-

dit in altum, & posuit fundamentum supra petram: inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, & non potuit eam mouere, fundata enim erat supra petram.

Quod docuerat dominus per similitudinem bonæ ac malæ arboris, cuius fructus ex ipsa radice sunt æstimandi, idem inculcat adhibita similitudine ædificij, cessuri aut non cessuri procellis imminentibus. Etenim quod radix est in arbore, id est in structura fundamentum. Quod folia sunt in arbore, hoc est ædificij species, quæ foris contemplantibus adblanditur. Quisquis, inquit, animo sincero uenit ad me, & sic audit sermones meos, ut quum res exigit, ex huius thesauro proferat argumenta perfectæ uirtutis, indicabo uobis cui similis sit. Similis est prouido structori, qui domum ædificat non ad inanem cessuram, nec ad temporarium usum, sed ad firmitatem nulli tempestate cessuram, eoque defodit in altum, & fundamentum solidum facit super petram: hoc factum superstruit: deinde ubi inciderit inundatio aut ualida uentorum tempestas, nec impetu fluminis irruentis, nec ui uentorum potest labefactari, nixa solido fundamento.

Qui autem audit & non facit, similis est homini qui ædificat domum suam supra terram sine fundamento, in quam illisus est fluuius, & continuo cecidit, & facta est ruina domus illius magna.

Qui uero sic uenit ad me, ut audiat quidem quæ doceo, ceterum non demittit mea præcepta penitus in animum suum, similis est improuido structori, qui sic ædificat quasi nulla tempestas esset unquam exoritura. Huic cum nulla sit cura solidi fundamenti, sed ad ostentationem substruat in altum, simulatque ingruerit uel exundatio fluminum, uel uentorum procella, continuo corrui quod extruxit, quoque magnificentius ædificauit ad inanem ostentationem, hoc maiore ruina concidit ædificium. Quicquid autem nititur ceremonijs, constitutionibus pharisaicis, obseruationibus rerum corporalium, ædificium est cessurum, quoties incident iniuriæ, damna, ignominia, mortes, aut alioqui grauis aduersæ fortunæ procella.

CAPVT VII.

Math. 9, 4

A



Vm autem impleisset omnia uerba sua in aures plebis, intrauit Capharnaum, Centurionis autem cuiusdam seruus male habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus. Et cum audisset de Iesu, misit ad eum seniores Iudæorum, rogans eum ut ueniret, & saluaret seruum eius. At illi cum uenissent ad Iesum, rogabant eum sollicitè, dicentes ei: Quia dignus est ut hoc illi præstes. Diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificauit nobis.

Cum sermones huiusmodi, quibus discipulos suos ac populum instituebat ad sublimitatem euangelicæ philosophiæ, ne quis putet tantum apostolis hæc prædicasse, loquutus fuisset dominus Iesus, repetijt Capharnaum, in qua ciuitate plerumque uersabatur, ubi rursus uaria miraculorum ædendorum occasio. Erat illic quo magis autoritas doctrinæ factorum sublimitate confirmaretur. Erat illic centurio quidam, cui domi erat seruus, qui paralyti sic periclitabatur de uita, ut uicinus esset morti. Ea res scrutabatur animum hominis non æstimantis eum ex conditione,

ex conditione, sed ex fide & synceritate morum, & quorundam interim inhumanitatem arguentis, qui seruos non alio loco habent, quam equos aut boues. Itaque cum rescisset quod Iesus ingressus esset Capharnaum, subornauit quosdam primores Iudaeorum, qui suis uerbis rogarent dominum, ut dignaretur adire aedes ipsius, & sanaret seruum eius. Pudoris erat non diffidentiae, quod centurio primum Ethnicus, deinde militaris ordinis, per alios dominum interpellat. At illi cum uenissent ad Iesum, suspicantes futurum ut aegre impetraretur tantum beneficium, & seruo, & Ethnico, & centurioni, multa cum sollicitudine rogant eum, dicentes: Noli rationem habere quod Ethnicus est, quod miles, quod seruo militari petitur hoc beneficium: nam dignus est alioqui, cui praestes hoc officij: amat enim nostram gentem, ac synagogam nobis aedificauit.

Iesus autem ibat cum illis. Et cum iam non longe esset a domo, misit ad eum centurio amicos, dicens: Domine, noli uexari. Non enim sum dignus ut sub tectum meum intres, propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus ut uenirem ad te, sed dic uerbo, & sanabitur puer meus.

Ut ostenderet dominus Iesus apud se nullam esse uilem personam, quae fide commendaretur, ibat eò quò uocabatur. Cumque iam uicinius esset aedibus, in quibus decumbebat aegrotus, Centurio sentiens aduentum domini, iussit amicos illi ire obuiam, qui dicerent illi: Domine, non est cur isthuc laboris capias, ut huc uenias, plus praestat tua benignitas quam audebam petere. Agnosco dignitatem tuam, nec ignoro me ipsum, Ethnicus sum, centurio sum, & de seruo tantum agitur: indignum me iudico cuius tectum subeas, atque hac de gratia non sum ausus uenire ad te. Existimant enim Iudaei sese nostro congressu contaminari, quia sumus a religione cultusque dei alieni, uariisque peccatis obnoxij: ingens autem dolor animi, & summa de te fiducia fecit, ut ausus sim famulo meo periclitanti salutem petere, eam tu uerbo praestare potes: humilius est hoc & leuius quam ut per te ipsum peragatur, ex meipso facio coniecturam.

Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me B milites: & dico huic uade, & uadit: & alio tenni, & uenit: & seruo meo fac hoc, & facit. Quo audito, Iesus miratus est, & conuersus, sequentibus se turbis dixit: Amen dico uobis, nec in Israel tantam fidem inueni. Et reuersi qui missi fuerant domum, inuenerunt seruum qui languerat, sanum.

Sum ego, inquit, homo subditus alienae potestati, cuius iussis obtempero, habens & mihi subditos milites, qui mea faciunt imperata. Nec est necesse ut per me ipsum obeam omnia, sed si quid est humilius, dico huic uade, & uadit: & aliter ueni, & uenit: dico cuius est seruis meis fac hoc, & obtemperans facit. Si tantam habet auctoritatem mea iussio, ut me quiescente peragatur per homines mihi subditos quod uolo, quanto magis te quiescente fiet si quid simplici uerbo mandaueris tuis? Hoc sermone qui plenus erat & affectatus erga seruum, & modestae opinionis de seipso, & admirabilis fiduciae erga dominum, delectatus Iesus, substitit, & admirantis speciem praese tulit, non quod illi nouum esset quod audiret, quum noscet centurionis animum antequam haec dicerentur, sed hoc agebat ut admiratione sua Iudaeis commendaret fiduciam erga deum, et eis incredulitatem ipsorum, hominis Ethnici & militaris exemplo exprobraret. Di-

lato itaque responso, dominus se uertit ad turbas Iudæorum, qui comitabantur ipsum, & ait: Illud affirmo uobis pro certo, quod hæcenus nec in Israelitica gente tantam fidem compererim. Minus enim credebant seniores, qui dominum præsentiam flagitabant, qui suspicabantur eum non sanaturum Ethnici seruum, nisi studium allegassent erga gentem Israeliticam, quasi dominus sua beneficia daret humanis affectibus, aut dignitati personæ, ac non potius fiducia posuissent. Iesus itaque quum affirmasset illis futurum, ut Ethnici & peccatores iuxta Iudæorum æstimationem fidei commendatione reciperentur in dignitate generis Israelitici, reiectis his qui cum natura essent filij Abrahæ per incredulitatem sese reddidissent indignos hoc generis authore, ait centurioni, qui tandem & ipse accesserat: Vade, nam quod credis posse fieri, factum est: seruus tuus sanus est. Quum autem rediret domum, ex famulis obujs cognouit eodem tempore seruum subito fuisse morbo liberatū, quo dominus dixerat, Seruus tuus uiuit. Hæc nimirum fuit imago gentium, per fidem puram absque Mosaicæ legis obseruatione, quoad ceremonialia, uenturarum in consortium euangelicæ gratiæ, sed tamen quodammodo legis commendatione. Lex enim prædicatorum erat ad Christum, & à Iudæis profecta est ad gentes euangelij prædicatione. Videlicet in huius rei typum seniores Iudæorum centurionis causam commendant Iesu, eumque ad domum illius adducunt, quem è suo templo erant profligaturi.

Et factum est, deinceps ibat Iesus in ciuitatem quæ uocatur Naim, & ibant cum illo discipuli eius & turba copiosa. Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matri suæ, & hæc uidua erat. Et turba ciuitatis multa cum illa.

Et Iesus quo latius spargeretur semen euangelicæ doctrinæ frequenter alio undè aliò commigrabat. Itaque relicta Capharnaum, accidit ut præteriret ciuitatem Naim. Ea duobus ferme passuum milibus abest à monte Thabor, ad partem Australem, haud procul ab Endor. Huc euntem comitati sunt discipuli, quorum iam magnus erat numerus, cumque his copiosa turba promiscuæ multitudinis. Quum autem dominus Iesus non procul abesset à porta ciuitatis, ecce noui miraculi occasio, Effertur funus extra urbem pro more uetusso & probatissimo, magna hominum frequentia. Erat enim flebile, primum quod adulescens esset mortuus, & in ipso uitæ flore uitæ exemptus, deinde quod uiduus filius unicus perisset, quæ mariti solatio orbata, totam uitæ spem collocarat in filio. Hæc igitur & lachrymis, & miserabilibus uocibus quas impotens dolor solet suggerere, testabatur animi sui cruciatum. Viduæ ploratus & præmaturus adolescentis interitus prouocauit & reliquos, qui funus officij gratia comitabantur, ad lachrymas.

Quam cum uidisset dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accessit ac tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt. Et ait: Adulescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & coepit loqui. Et dedit illum matri suæ.

Hoc spectaculum ubi uidisset clementissimus dominus Iesus, miseratus est uiduæ, seseque illi quæ consolatorem non habebat efficacem consolatorem præbuit, & uerbis & re opitulaturus. Mulier, inquit, noli flere. Hoc loquutus, accessit

cessit ad loculum quo efferebatur defunctus, ac manu tetigit. Et illico qui portabant funus resisterunt. Hic utraque turba intenta in euentum, tum ea quæ comitabatur uiduam, tum ea quæ comitabatur dominum. Iesus uersus ad adolescentem exanimem, Adolescens, inquit, tibi dico, surge. Ad hanc uocem illico reddita argumentum, cœpit loqui. Sermo uigorem etiam animi declarabat, quum iam exilisset à loculo adolescens, ac Iesu adhærens, per quem intelligebat sibi uitam esse restitutam, gratias ageret, Dominus tradidit illum matri suæ, ut uiuum domum reduceret, suis inambulanti pedibus, quem mortuum quatuor baiulis extulerat. Atque ita quidem res iuxta historiam gesta est, non sine significatione doctrinæ spiritualis, quam hic Erasmus ad longum eleganter tractat, prolixius quàm instituto nostro conueniat singillatim cuncta describere, qui legere cupit, extant exemplaria.

Accepti autem omnes timor, & magnificabant deum, dicentes: Quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia deus uisitauit plebem suam.

Non potest non reuiuiscere quisquís audierit sermonem Iesu, etiam si mortuus fuerit. Nam quæ ille loquitur spiritus sunt & uita. Quid cõsequutum est? Reuixit innocentia qui erat mortuus peccatis, erigit sese qui prius iacebat carens sensu, & quod est certissimum animi correcti documentum, incipit loqui, confitens tam magnalia dei, quàm sua peccata, gratias agens diuinæ clementiæ: redditur matri rediuuius, & qui prius cum ingenti multorum luctu deferebatur ad sepulchrum, nunc maiore omnium gaudio domum reducit. Habet enim hoc uera pietas, ut chariores in illos habeat, qui à magnis criminibus respuerint ad studium uitæ melioris. In his enim magis elucet diuina bonitas quàm in his qui nunquam in aliquod crimen prolapsi sunt. Gaudet mater ac cepto filio, gaudent qui funus ante lugebant: nec gaudent solum, uerum etiam omnes quotquot aderant huic spectaculo timor quidam corripuit. Nam adeò palam malos & insanabiles uelut cadauera è suo contubernio eijcit ecclesia, quo multi unius exemplo formident peccare. Sed ipse laudibus uehunt misericordiam dei, cuius uirtute reuiuiscunt mortui. Dicebat enim populus ille, uiso miraculo tam insigni: Propheta magnus inter nos exortus est, & respexit deus populum suum. Nihil enim adhuc altius de Christo suspicabantur Iudæi, nisi quod propheta quispiam esset insignis.

Et exijt hic sermo in uniuersam Iudæam de eo, & omnem circa regionem. Et nunciauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his. Et conuocauit duos de discipulis suis Ioannes, & misit ad Iesum, dicens: Tu es qui uenturus es, an alium expectamus?

Creuit & hinc fama domini Iesu, rumore huius facti sparso non solum per uniuersam Iudæam, uerum per omnem undique finitimam Iordani regionem, in qua prius baptizauerat Ioannes, atque ipsum etiam dominum Iesum. Porro quidam discipuli Ioannis subinuidentes tanto successui rerum, quæ gerebantur ab Iesu, ac nomini indies magis ac magis inclarescenti, Ioannisq; de quo præclare sentiebant gloriam uelut obscuranti, referunt ad illum in carcere uisum omnia quæ dicebat & faciebat Iesus. Ioannes igitur ut huic affectui suo

Matth. 11. 4

rum mederetur, auocauit duos e discipulis suis ad se, eosq; misit ad Iesum, qui ex ipso sciscitauerunt: Num tu es ille qui dicebatur uenturus, an alium expectamus? Ioannes iam toties testificatus fuerat de Christo, quem etiam digito monstrando dixerat: Ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi. Nihil autem absurdius, quam putare ut tantus propheta iam morti uicinus dubitare coeperit. Nec enim uinculis fuit alligatum illius de Christo testimonium, nec carceris tenebrae obscurabant illius de Christo iudicium. Agnouit in carcere quem agnouerat in utero. Sed uir optimus ita iudicauit expedire, ut hac ratione suos discipulos Iesu uelut in manum traderet. Quum igitur discipuli retulissent eandem uerbis, quae Ioannes mandauerat, dominus Iesus illis non respondit tam uerbis quam factis. Sequitur:

Cum autem uenissent ad eum uiri, dixerunt: Ioannes Baptista misit nos ad te, dicens: Tu es qui uenturus es, an alium expectamus? In ipsa autem hora curauit multos a languoribus suis & plagis, & spiritibus malis: & caecis multis donauit uisum. Et respondens, dixit illis: Euntes **D**renunciante Ioanni quae audistis & uidistis: quia caeci uident, claudibulabant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur: & beatus est quicumq; non fuerit scandalizatus in me.

Dominus Iesus aeditis coram illis multis miraculis, depulsis compluribus morbis, ac malis immedicabilibus, eiectis uerbo spiritibus immundis, reddito multis caecis uisu, tandem respondit Ioannis discipulis: Quid attinet me de me ipso pronunciare qui sim? Nullum testimonium certius quam factorum. Ite nuncitate Ioanni quae uidistis oculis, quae audistis auribus: Caeci uisum recipiunt, &c. pauperes & humiles amplectuntur. Iacetum salutis nuncium. Ite prophetiam Isaiae, quae dicit: Ad euangelizandum pauperibus misit me. Ioannes praedicaui instare regnum caelorum. Expendite uos an haec quae uidetis signa digna sint regno caelorum. Beatus autem qui haec quae ago ad salutem hominum, sibi non uerterit ad occasionem offendiculi. Ut enim operum magnitudo nonnullis mouebit inuidiam, ita corporis huius infirmitas nonnullis erit offendiculo. Hoc dicto Iesus tacite taxauit inuidiam discipulorum Ioannis, simul subindicans futurum, ut ignominia crucis qua maxime peragendum erat mysterium regni caelorum, multos alienaret a doctrina euangelica. Felices autem futuros, qui nec inuiderent gloriae illius, nec mortis probro perturbati resilliret a doctrina salutis.

Et cum discessissent nuncij Ioannis, coepit de Ioanne dicere ad turbas: Quid existis in desertum uidere? arundinem uento agitatam? Sed quid existis uidere? hominem mollibus uestimentis indutum? Ecce qui in ueste pretiosa sunt & delicijs, in domibus regum sunt.

Quum abiissent discipuli Ioannis, ei relaturi Iesu responsum, dominus coepit apud turbam praedicare laudes ipsius, ne quid ex interrogatione discipulorum suspicarentur ipsum Ioannem uacillare, deq; suo ipsius testimonio, quod prius tulerat de Iesu, iam animo commutato subdubitare. Amolitur igitur ab eo suspicionem inconstantiae, & illius de se testimonio fidem & pondus arguatur, sic extollens illius eximias uirtutes, ut tamē Messiae titulum non tribuat, quae aliquandiu quidam illi tribuere conabantur. Locutus est autem in hunc modum:

dam: Si suspicamini, inquit, Ioannem de me pridem testificatū, nunc iracillanti esse animo, quid igitur olim sic relictis urbibus concurrebatis in loca deserta ad illius uiri spectaculum? an ut uideretis arundinem quæ uento agitur, nec sibi constet? Sed agetum, quid tandem existis uisuri? num hominem mollibus uesitum, ut delictis aut ambitione corrumpi potuerit? At hæc suspicio non cadit in hominem qui pilis camelorum uestiebatur, qui pellicea zona strinxerat lumbos, qui locustis & aqua simplici uictitabat, qui hoc uictu sustentans uitam frequenter etiam ieiunabat. Quibus placet uestitus splendidus, quibus cordi sunt ciborum deliciae, hi captant aulas regum. In hos qui hæc affectant, fortasse cadere potest corruptæ sententiæ inconstantia aut assentationis suspicio. Sed Ioannes desertum prætulit aulis principum, pilos camelorum prætulit holoseris regum, & aureis ac gemmatis uestibus: mel syluestre & locustas prætulit placentali fati carcer. Non est igitur quod quisquam suspicetur illum prius ad gratiam cuiusquam de me tam magnifice testificatum, nunc uertisse sententiam: sed tamen scire cupiam quæ res uos euocauerit in desertum, an ut uidere tis prophetam?

Sed quid existis uidere, prophetam? Vtique dico uobis & plus quam prophetam. Hic est de quo scriptum est: Ecce mitto angelum meum ante te. Dico enim uobis: Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptista nemo est: qui BMalac. 3.04 autem minor est in regno dei, maior est illo.

Ille quidem se non esse Messiam palam confessus est, ego tamen illud confirmo uobis. Si ideo procurristis in desertum, ut uideretis prophetam, non estis frustrati uestra expectatione: omnino prophetam uidistis, atque etiam plus quam prophetam. Siquidem hic est ille, de quo iam olim uaticinatus est Isaias, quod esset Messias præcursor futurus. Ecce, inquit, mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuam ante te. Siquidem propheta per anigmata prædicauit Messiam olim futurum, hic aduenientem digito demonstrauit. Proinde qui magnifice sentiunt de Ioanne, recte sentiunt. Nam illud affirmo uobis, Inter omnes quos habet hæc ætas, aut habuere priores, è mulieribus prognatos, nullus exortus est propheta maior Ioanne. Abunde magnum est quod illi tribuo. Cæterum quod quidam illi tribuunt, nec ipse agnoscit. Est enim unus illo in regno dei. Illius austeritatem ac secessum mirantur, huius familiaritatem contemnunt: illius dignitatem suspiciunt, huius inuident gloriæ: illius doctrinam amplexi sunt, huius calumniantur. Prædicauit ille baptismum in poenitentiam, in stare enim regnum cælorum: et audiuit illius uocem rudis & humilis populus, audire publicani, milites, & meretrices, properantes ad baptismum Ioannis, confitentes se esse peccatores, & à peccatis suis ablui cupientes. Ita illustrantur mine nisi solus deus, & amplectentes dei bonitatem, qui sincera fiducia ad se confugientibus promisit se condonaturum omnia commissa uitæ prioris. Id uero est quod dicitur consequenter.

Et omnis populus audiens, & publicani iustificauerunt deum, baptizati baptismo Ioannis. Pharisei autem & legisperiti, consilium dei

spreuerunt in semetipfos, non baptizati ab eo.

Pharisæi, scribæ & legisperiti, dum pudet agnoscere suam iniquitatē, deum maluerunt mendacem facere quā amplecti ueritatem, eoq̄ dedignati sunt baptizari à Ioanne, in suam ipsorum perniciem, spernentes benignum dei consilium, qui hac facillima uia constituerat abolere peccata mortalium. Quid enim est facilius, quā confiteri & tingi? Non quod per Ioannem conferretur innocentia, sed quod ad hanc præpararet illius baptismus & prædicatio, quo plures ad salutem perducerentur eius prædicatione, cui Ioannes erat præcursor, si præparatos iam animos inueniret. Nihil horum temere gestum est, sed omnia diuina prouidentia dispēsauit ad humani generis salutem. Et amplexi sunt dei beneficentiam idiotæ, humiles, & peccatores, qui uidebantur à uera pietate alienissimi, longeq̄ semoti à scientia legis. Rursus ij quos oportebat hæc maxime intelligere prophetarum oraculis promissa, quiq̄ uidebantur religionis columnina, aspernati sunt oblatam dei benignitatē, nec Ioannis prædicatione, nec mea compuncti ad resipiscentiam. Hanc pertinacem malitiam illis exprobrans Iesus, adduxit huiusmodi similitudinem.

Matth. 23. b

Ait autem dominus: Cui ergo similes dicam homines generationis huius, & cui similes sunt? Similes sunt pueris sedentibus in foro, & loquentibus adinuicem, & dicentibus: Cantauimus uobis tibijs, & non saltaastis: lamentauimus, & non plorastis. Venit autē Ioannes baptista, neq̄ manducans panem, neq̄ bibens uinum, & dicitis: Demonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicitis: Ecce homo deuorator, & bibens uinum, amicus publicanorum & peccatorum.

Quid, inquit, dicam de huius generationis peruersa hominibus, aut cui dicam eos esse similes? Similes sunt pueris quos uidemus de more confidentes in foro, qui per lusum sibi uicissim respondentes, dicunt: Cecinimus uobis tibijs lætas cantiones, nec estis prouocati ad saltandum: cecinimus uobis lugubria, nec plorastis. Hoc prouerbiū à foro sumptum, dominus Iesus accommodauit ad Iudæos obstinatos, qui nec Ioannis austeritate prouocati sunt ad timorē uindictæ diuinæ, nec comitate beneficentiæq̄ Christi excitati sunt ad amorem. Venit enim, inquit, Ioannes Baptista, singulari uitæ austeritate prædicans, & pœnitentiæ præbens exemplum, neq̄ pane uescens, neq̄ uinum bibens, in deserto uiuens, cameli pilis uestitus, zona pellicea cinctus. His rebus adeo non estis commoti ad resipiscentiam, ut quod factum est ad emendandos uos, uerteretis ad calumniam, dicentes: Caret sensu communi, demonium habet. Venit filius hominis diuersa ratione captans uos ad salutem, exponens pœnam, sed beneficijs omnes alliciens ad amorem, edens & bibens more cæterorum, uersans inter quoslibet, & in urbibus, nec cibo uestituue differens à cæteris. Et huius ciuilitatem qua prouocari debueratis ad meliora, uertitis in occasionem calumniæ, dicentes: Ecce homo uerax ac uini potator, amicus publicanorum & peccatorum.

Et iustificata est sapientia ab omnibus filijs suis.

Nihil profecit hominum malitia aduersus sapientiæ diuinæ consilium. Sic enim illustrata est dei iustitia apud omnes filios euangelicæ sapientiæ dectios, posteaquam constitit, nihil obmissum ad seruandum omnes homines, sed ma-
los ac

los ac superbos aspernantes dei munus suo merito reiectos ac damnatos esse, publicanos autem, meretrices, peccatores & Ethnicos iure admissos ad consortium salutis. Sic prædictum erat fore, & sic factum est, sic erat æquum fieri, & factum est, qui se iactabant iustos & pios propter incredulitatem suam repudiati sunt ab euangelicæ salutis munere: contra, qui per credulitatem ac syncerum affectum irruerunt ad dominum, quamlibet profani, quamlibet abominabiles, quamlibet inquinati peccatis, admissi sunt in consortium regni cælorum. Et ecce consecutum est quiddam, in quo res ipsa poneret ob oculos, quod dominus uerbis docuerat, de iustis repellendis, & peccatoribus recipiendis.

Rogabat autem illum quidam de pharisæis, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum pharisæi, discubuit. Et ecce mulier quæ erat in Pharisæi, attulit alabastrum unguenti: & stans retro secus pedes eius, lachrytur cepit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & unguento ungebat.

Pharisæi præ cæteris cognitione legis & sanctitatis opinione turgebant, ex his quidam rogauit dominum, ut apud se sumeret conuiuium. Nec dedignatus est id facere Iesus, qui nulli sui negabat copiam. Cum autem ingressus domum eius iam accumberet, ecce mulier quædam, quæ in ea ciuitate erat nota peccatrix, simulatq; cognouit quod clementissimus Iesus, qui nullum repellebat ab se, qui malis omnium omnibus promptissime mederetur, illic adesset, irrupit in ædes pharisæi. Ardor animi pudorem omnem excusserat, quum non esset ignara, quanto fastu soleat pharisæicum genus auersari peccatores, quum ipsi intus grauioribus maderent uitijs. Attulit autem secum delicias suas, pristinæ uitæ quam oderat monumenta, omnia quibus sibi male antè placuerat ac mundo, unguentarium cuius amore flagrabat effusura. Attulit autem delicatum uasculum labastrum appellat. Erat autem unguentum eximium magnoq; emptum. Omnia autem qui uoluptatibus carnis seruiebant, unguentis impendio delectabantur, præsertim in conuiujs. Vide autem sanctam huius peccatricis improbitatem, non solum ausa est inuocata domum ingredi pharisæi, uerum etiam ingressa sese ut erat ornata conuiuio: quoniam autem lecti triclinij prohibebant, quod lachrymis rigare pedes illius, salubriter defœdans oculos, quos olim ad turpitudinem solita est stibio depingere: lachrymarum imbrem lotos pedes, non aliquo linteo, sed capitis sui capillis extergebat, quos antehac consueuerat ad carnis uoluptatè ungere, tingere, comere, auro intexere. Nec his cõtentus mirus peccatricis amor, lotis & exteris Iesu pedibus defigebat oscula, omnia quondam inhonestæ uoluptatis instrumenta uertens in obsequium illius, qui solus est a mandus. Habes imaginem peccatoris, per improbitatem ardoris, & pertinaciam fidei irrumpentis in regnum cælorum. Nunc è diuerso accipe typum Iudæi, qui per arrogantiam & incredulitatem se reddit indignum oblata dei benedictione.

Videns autem pharisæus qui uocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset propheta, sciret utiq; quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est.

Pharisæus qui Iesum ad conuiuium uocauerat, conspicatus hæc, quum fauere debuerit mulieri, tanto affectu ingerenti, tanta modestia deijcienti sese, tot iudicijs testanti uitæ prioris poenitudinem, quum amare debuerit Iesu mansuetudinem nullum hominem ab se repellentis, prouocatur ad utriusq; calumnia. Sic enim cogitabat intra sese; Hic si esset propheta qualis habetur, nimirum non ignoraret quæ & qualis esset mulier quæ tangit eum; est enim publica peccatrix, notæq; impudicitia, quod si sciret, non sineret se polluti corporis contactu contaminari. Existimabat enim pharisæus, sanctos homines pollui, si cum peccatore uel colloquium habuissent. Hic erat fastus falsæ iustitiæ, qua sibi placebant pharisæi, & adhuc sibi placent illorum similes Christiani, reuera domino displicentes.

Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. Duo debitores erant cuidam sceneratori, unus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis unde redderent, donauit utrisq;. Quis ergo eum plus diligit? Et respondens Simon, dixit: Aestimo quia is cui plus donauit. At ille dixit ei: Recte iudicasti.

Dominus Iesus ut certiore argumento declararet se esse prophetam, ad talem cogitationem pharisæi respondit: Simon, inquit, habeo quod tibi dicam. Ille uero more Iudæorum honorifice alloquitur magistrum, & se præbet attentum ut decet discipulum. Iesus itaq; iam attento, ne proderet impiam illius cogitationem conuiuiis cæteris (Nam uiris euangelicis etiã ciuilitas debet esse curæ) proposuit huiusmodi parabolam. Duo quidam debebant eidem sceneratori, quorum alter debebat denarios quingentos, alter quinquaginta. Quum neuter esset soluendo, condonauit utriq; in solidum quod debebat. Vter igitur horum uehementius amare debet creditorem tam liberalem? Simon nondum intelligens quorsum tenderet hæc parabola, simpliciter respondit: Mea sententiã uehementius amare debet is, cui plus condonatum est. Tum Iesus aperiens cur hoc arguenda proposuisset, ait Simoni: Recte iudicasti, sed interim inique iudicium aplicas tuum.

Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti, hæc autem ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti, hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

Vertit se Christus dominus mox ad mulierem, & loquutus est Simoni: Videsne hanc mulierem, quam tu peccatricem uocas? Videsne lachrymis operatam, sparsis capillis, prodigam unguenti sui, prodigam osculorum suorum, prodigam, toto corporis habitu præ se ferentem poenitentis imaginem? Hæc argumenta sunt immensi cuiusdam amoris in me; quo uehementius odit seipsam, hoc impensius me diligit. Peccatrix uenit, sed sanata est ubi contigit medicum. Contemnis hanc ut peccatricem, ac tibi places ut iustus, sed huius peccatricis pietas longe uincit tuam iustitiam. Veni in domum tuam, inuitatus ac rogatus conuiuia

conuicia, nec aquam dedisti pedibus meis, quod est uulgaris tamen humanitas officium, à patriarchis uestris testatum: hæc autem lachrymis suis rigauit pedes meos, & capillis suis extersit. Osculum mihi non dedisti, quod ex more etiam dat uulgaris amicus amico: hæc ex quo ingressa est, præ impotenti affectu non desijt osculari pedes meos. Ne uulgarî quidẽ oleo unxisti caput meũ, quod officij uulgo præstatur conuiujs quibuslibet: hæc pedes meos, id est, ab iectissimam meam partẽ, pretioso unguento perunxit. Noli perpendere quantum peccarit, sed confydera quantum amet. Charitas enim operit multitudinẽ peccatorum. Nam illud affirmo tibi, quod illi remissa sunt multa peccata, non quia multum ieiunauit, non quia multum precata est, non quia multas confessiones pharisaicas obseruauit, sed quoniam dilexit multum, quoniam toto pectore confisa est mihi: quo grauius peccauit, hoc sibi magis displicet, ac me illi cessit peccatorum magnitudo. Porro cui minus remittitur, minus diligit. Vos uobis iusti uidemini, ob legis obseruationem & ceremonias, neq; multum habere quod uobis ignoscat deus, & ideo frigidius amatis condonantem.

Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic qui etiã peccata dimittit?

Hæc locutus phariseo dominus Iesus ad mulierem, ait: Remittuntur tibi peccata. Nihil illa precata fuerat, nihil confessa uerbis, sed euidentius confessa est factis, efficacius precata est lachrymis. Hæc est Christo gratissima confessio, huiusmodi precibus facillime commouetur ad misericordiam. Felices lachrymae, felix unguenti dispendium, felicia oscula, quæ uocem hanc extorquent à Iesu, Remittuntur tibi peccata. Non enim alia cõdonat alia reseruat, sed semel condonat omnia, nihil omnino uitæ prioris imputans ex animo pœnitenti. At nunc mihi uide pharisaicam sanctimoniam. Vera pietas perinde gratulatur cõmotiam alienis ac suis. At pharisei qui simul accumbebant in conuiuio, Iesu clementiam inuidentes peccatrici pœnitenti, cœperunt tacitis apud se cogitationibus obmurmurare, dicentes: Quis est hic qui tantum sibi sumit, ut auctoritate sua remittat etiam peccata, quod nemo prophetarum aut patriarcharum hæcenus usurpauit sibi? Ne sacerdotes quidem aliud sibi uendicant quàm orare, & sacrificare pro peccatis populi, ut à domino remittantur, qui solus peccata remittit.

Dixit autem ad mulierem: Fides tua te saluam fecit, uade in pace. Iesus cognitis illorum cogitationibus, quo magis confirmaret animum mulieris, & pro mœsta latam domũ remitteret, ait illi: Fiducia erga me tua te saluam fecit, uade in pace. Pharisei sibi persuaserãt holocaustomatis ac lotionibus condonari peccata: & habebant quidem illa figuram rerum spiritalium. Verum dominus ostendit illis per fidem euangelicam semel omnia peccata condonari respicientibus. Omnibus autem in genere propositũ est exemplum pœnitentiæ in hac muliere, quemcunq; sui pigere cœperit, ne se cõuertat ad Moysen, aut phariseos, nec ad philosophos, tantum properet ad Iesum: nullus eo clementior, nullus ad ignoscendum propensior: in hunc effundat quod prius prodigere solitus est in impias uoluptates: huius obsequio consecret omnia mēbra, que prius seruibant fœdis cupiditatibus: contactus illius aufert omnia peccata: si non licet contingere caput, apprehēdat pedes. Nulla pars Iesu tam humilis est, quin sanet à peccatis. Sanata est à profluuiò sanguinis, quæ fimbriam modo uelut contigerat. Si patitur imputari quicquid officij fuerit impensum proximis

etiam infimis, agnosceret beneficium quod membris ipsius impensum fuerit. Ne consideret igitur peccator quantum admiserit, ne subducat rationem beneficiorum suorum, quasi cum domino Iesu paria facturus, quemadmodum faciunt omnes pharisaei: tantum ex animo sibi displiceat, de Iesu toto pectore confidat, incipiat odisse quod male amauerat, incipiat amare quod impie neglexerat. Considera quod uult a clementissimo domino quod merita sperare non poterant. Fides impetrat in hoc conuiuio triplicem personam, peccatricis, pharisaei, iudicis. Iudex solus esse uere purus ab omni uitiorum inquinamento, imo fons ipse omnis puritatis. Peccatrix nihil aliud quam lachrymat, rigat, extergit, osculatur, ungit. Agnoscat officium charitatis in proximum. Pharisaeus iudaica iustitia tumidus, calumniosus seruatoris benignitatem, fastidit peccatricem, atque etiam inuidet, ipse grauioribus malis obnoxius. Talis est ferè iustitiae persuasio, quae nascitur ex uestitu, ex ciborum delectu, ex discretionem dierum, ex lotionibus corporis & uasorum, ex prolixis precibus, atque similibus rebus quae speciem pietatis habent apud homines, & quum in his non sit sita pietas euangelica. Huiusmodi rebus qui confidunt, & sibi stulte placere solent, & proximos fastidire & inuidere, & Iesu gratiam bonitatem calumniari. Quid enim si mulier illa contigisset pharisaeum: quo fastu reiecisset? quibus lacrimis semet ab eius contagio expiasset? Sic aspernantur peccatricem miserabilem, qui ipsi liuore, fastu, & calumniandi morbo laborant, hoc insanabiliores quod sibi non uidentur aegroti. Nam plerumque fit, ut ab insignibus & apertis uitijis citius resipiscant homines, quam ab huiusmodi quae se regunt specie sanctimonie. Adulterum, temulentum, luxu perditum, idololatram, militem, citius conuertat ad bonam mentem quam pharisaeum inuidum, sibi placentem, obrectatorem, dissimulatorem. Iam qualis est conuiuator, tales sunt & conuiuia pharisaei. Quis est, inquiunt, hic qui peccata remittit? At iudex qui solus nouerat omnium corda, qui solus sibi poterat ob sanctimoniam supercilium sumere, pharisaei superbia ciuilitate corrigat, peccatrici patrocinatur, confitentem lacrymis & humilitate absoluit, etiam semper tacentem, & consolatur. Pastoris igitur euangelici fuerit exemplum pharisaei fugere, & in recipiendis peccatoribus ad poenitentiam Iesu mansuetudinem imitari.

CAPVT VIII.

AT factum est deinceps, & ipse iter faciebat per ciuitates & caestella, praedicans & euangelizans regnum dei: & duodecim cum illo, & mulieres aliquae quae erant curatae a spiritibus malignis & infirmitatibus: Maria quae uocatur Magdalene, de qua daemonia septem exierant, & Ioanna uxor Chusae procuratoris Herodis, & Susanna, & aliae multae, quae ministrabant ei de facultatibus suis.

Tanta erat domini Iesu benignitas erga peccatores resipiscentes, quantum libet humiles, ut non solum unam hanc admiserit ad contactum pedum, uerum etiam aliquot secum circumduceret unam cum apostolis suis, ac se suosque harum liberalitate ac ministerio subleuari pateretur. Etenim cum Iesus per omnia conuicantibus discipulis suis, quo latius spargeretur semen euangelicae doctrinae, subinde locum mutaret, perambulans per singulas ciuitates, ne quid deesset rerum necessariorum assidue uagis, & uni negotio intentis, comitabantur Iesum & mulieres aliquot, quas uel liberauerat a spiritibus immundis, uel a morbis sanauerat: inter has erat Maria, cui cognomen Magdalene, e qua daemones

minus profligarat daemonia septem, & Ioanna, ex aulica facta Christi discipula, & Susanna cum reliquis multis, quæ memores accepti beneficij, qua poterant iuuabantrem euangelicam, Iesu & eius discipulis ministrantes de suis facultatibus, Christus enim pauperes delegerat discipulos, pauper ipse, nec poterat ubique paratus esse comeatus, subinde sedem mutantibus, & aliunde aliò proficiantibus. Conueniebat autem illi temporì, ut per humiles, tenues et idiotas euangelicæ philosophiæ primordia iacerentur. Cæterum Paulus maluit laborare manibus, quam ex alieno uiuere. Multo magis quibus res suppetit domi, et idonei sunt prædicando euangelio debent gratis quod habent impartiri fratribus. Et quibus laborarent subsidio rerum corporalium, quoties opus esset, subleuarentur. Sed ut hanc liberalitatem Christus doceret esse oportere non extortam, sed admittit quidem in comitatum suum mulieres aliquot, sed ultro sequeutes, Cæterum nec accersuit ullam, nec à quoquam aliquid petisse legitur, quo magis pudesceret illorum impudentiam, qui cum non laborent euangelio, tamen euangelij nomine extorquent ab inuitis, non solum quod satis est ad necessitatem, uerum etiam quod superat ad luxum. Nusquam autem deficit bonorum spontanea liberalitas eum, qui sincero animo totus est in euangelico negotio. Iesus autem ut quaslibet admisit ad iuuandam rem euangelicam, ita nec matrem nec fratres suos admittere solebat ad impediendum euangelij successum.

Cum autem turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat, seminare semen suum: & dum seminat, aliud cecidit secus uiam, & conculcatum est, & uolucres coeli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram, & natum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exorta spinæ suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

Quodam die cum affluente multitudine domo egressus, sese contulisset ad lacum, atque ibi sedens in littore doceret populum: tanta uis hominum ex uicinis undique ciuitatibus concurrebat ad audiendum, ut condensantibus se turbis coactus sit ingredi nauim, atque hinc uelut à cathedra docebat promiscuam multitudinem, multa illi loquens per inuolucra similitudinum, quo magis excitaret in illis discendi studium, & altius insideret animo quod imagine fuisset infixum. Primum itaque similitudinem proposuit, quæ moueret omnes, ut auidis animis acciperent sermonem euangelicum, nec satis haberent audisse, nisi quod didicissent, conferrent ad usus pietatis. Egressus est, inquit, seminator quidam, ut faceret sementem suam. Ac dum ille nusquam non iactat semen suum, cupiens prouentum uberrimum, non æque felici solo excepta sunt semina. Nam aliud iactum cecidit iuxta uiam publicam, id partim conculcatum est pedibus uitatorum, & contritum est: reliquum quoniam non opertum erat terra, uolucres coeli comederunt. Rursus aliud incidit in solum petricosum, & exceptum tenui superficiei terræ quæ tegebat petram, enatum quidem est, sed quoniam non suberat terra quæ suppeditaret humorem ad iustam maturitatem, mox exortum ad solis ardorem exaruit, & in prima statim herba perijt. Rursum aliud incidit in spinas, & enatum quidem est, sed simul exorta spinæ, quoniam & celerius

proueniunt, & densius atq; altius sese spargunt, factum est ut suffocaretur herba boni seminis ne liceret in auram liberiores emergere. Nec omnia tamē infeliciter cadebant, erat quod incideret in terram bonam, & enatum reddidit fructum centuplum. Hæc locutus dominus, quoniam sciebat nō ab omnibus intelligi quod dixerat, uolens tamen eos in posterum meminisse parabola, quæ pertineret ad salutē omnium, clamabat, dicens: Qui habet aures idoneas ad audiendum euangelicam sapiētiā, audiat hæc quæ dixi. Non enim poscunt crassum aut oscitantem auditorem, ad uestrum unumquēq; pertinent, Sunt qui si miles status habent aures, sed non audiunt, auriti ad pharisaicas constitutiones, surdi ad doctrinam ueræ pietatis.

Interrogabant autē eum discipuli eius, quæ esset hæc parabola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mysterium regni dei, cæteris autem in parabolis, ut uidentes non uideant, & audientes nō intelligant. Est autem hæc parabola: Semen est uerbum dei.

Discipuli qui erant proximi Iesu, rogabāt ut explicaret ænigma parabola, quibus ait: Vobis tantq; domesticis amicis datum est nosse mysteriū regni dei. Habent aulae regum arcana sua, quæ cælantur plebeis, & ab aulae consortio alienis. Habet & euangelij regnū sua secreta, non temere cuius proferenda, sed ita proponenda, ut ab ijs tantū cernantur, qui sunt aulae domestici, cæteris inuoluta parabolis, ut qui indigni sunt, uidentes non uideant, & audientes non intelligant. Est autē hic parabola sensus arcanus. Seminatore est filius hominis; sed solum, est cor hominis; semen est sermo euangelicus. Non est semen terrenum, sed coeleste, nec ab homine profectum, sed à deo, & ideo uocatus sermo dei: hoc semen nusquam non spargit filius hominis, sed satanæ malitia & hominum uitio fit ut in paucis feliciter proueniat.

Qui autem secus uiam, hi sunt qui audiunt, deinde uenit diabolus & tollit uerbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Nam quod supra petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt uerbum, & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & à sollicitudinibus & diuitijs & uoluptatibus uitæ euntes, suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi sunt qui in corde bono & optimo audientes, uerbum retinent, & fructum afferunt in patientia.

Semen quod cecidit iuxta uiam, eos signat qui leuiter & oscitanter audiunt sermonem dei, ac mox priusq; insidat animis illorum quod audierāt, uidelicet inuidens illorum saluti, & impijs suggestionibus obsistens, ne salutē assequantur. Quemadmodum enim filius hominis nihil non agit, ut peccatores adducat ad salutē: ita ille nihil intentatum relinquit, ut quoscūq; potest pertrahat in exitum. Hic igitur post iactum semen sermonis euangelici, subito aduolans subleget priusq; inhærescat animo, ut nihil iam referat audisse. Porro semen excipit in terra petricosa, notat eos qui sermonem auditum cum gaudio accipiunt, & recondunt in animum suum, sic ut uelut enata herba spem aliquam pietatis de se præbeant rebus quibusdam extraneis. Verum quoniam quod audierūt, non penitus defixum est, ac ueluti radices egit in intimos affectus eorū, ad tempus obtemperant

Isaie 6. c
Matth. 13. b
Marc. 4. b
Ioan. 12. f
Act. 20. f
Roma. 11. b

obtemperat sermone diuino, uerum ad exortam malorum procellam, deficiunt deserentes bene coepta. Facile est enim rebus prosperis seruire doctrinam euangelicam, caeterum nisi penitus imbiberis affectum uerae pietatis, ubi res aduersa roboret illud desiderat euangelici pectoris, tum euanesceat illa temporaria sanctorum species. Iam semen quod incidit in spinas notat istos, qui postquam acceperunt semen sermonis euangelici, nullum inde fructum referunt uerae pietatis, propterea quod affectus ille uitae melioris sollicitudinibus huius mundi, diuitiis ac uoluptatibus uitae praesentis suffocatur, ac obruitur. Porro semen iam in terram bonam, notat eos qui corde sincero ac uacuo accipiunt sermonem saluiferum, & acceptum recondunt memoriae, ac penitus in intimos demittunt affectus, sic ut nullo malorum occursum possint dimoueri a semel coepto studio pietatis. Hanc itaque parabolam dominus Iesus dignatus est suis discipulis priuatim explanare, partim ut ipsi discerent in caeteris istae parabolae sensum reconditorem pia curiositate inquirere, partim ut quod tum priuatim audiebant, post suo tempore palam omnibus praedicarent.

Nemo autem lucernam accendens, operit eam uase, aut subtus lectum ponit, sed supra candelabrum ponit, ut intrantes uideant lumen. Non est enim occultum, quod non manifestetur, nec absconditum, quod non cognoscatur & in palam ueniat. Videte ergo quid audiatis.

Intelligentia sacrae doctrinae lumen est, hoc qui impartit non ideo impartit ut seruetur absconditum, sed ut multis prae luceat. Nemo, inquit, accedit lucernam, & accensam operit uase aut sub lectum reponit, sed imponit candelabro, ut qui domum intrant, uideant lumen. Nihil enim nunc priuatim aut parabolis inuolutum traditur uobis, quod post non sit manifestandum toti mundo, nec quicquam est nunc tam obscurum & abstrusum ab intelligentia rudium, quod progressu temporis non sit per uos eruendum, & in omnium notitiam proferendum. Vobis igitur uidendum est etiam atque etiam, ut quod auditis, magna sollicitudine infigatis animis uestris, ne quid excidat aut pereat.

Qui enim habet, dabitur illi; & quicumque non habet, etiam quod putat se habere auferetur ab illo.

Qui auide accipit intelligentiam mystici sermonis, ac ueluti thesaurum diligenter reponit in animo, dignum se declarat cui plura committantur, quando quidem quod datur haud indiligenter seruat. Siquidem habenti dabitur, qui uero sua negligentia perdidit quos habebat, ei non solum nihil addetur, uerum etiam hoc ipsum quod habere uidebatur auferetur ab eo, quoniam negligenter habebat thesaurum euangelicum, quo quanto ditior es, tanto magis cupis dicere. Atque his de rebus multas alias parabolae dominus Iesus proposuit populo, quas omnes seorsum exposuit suis discipulis, tanquam tunc capacioribus.

Venerunt autem ad illum mater & fratres eius, & non poterant adire eum praeter turba. Et nunciatum est illi: Mater tua & fratres tui stant foris, uolentes te uidere. Qui respondens, dixit ad eos: Mater mea & fratres mei hi sunt, qui uerbum dei audiunt & faciunt.

Dominus Iesus ut declararet quae pretiosa res sit euangelica doctrina, quantaeque cura & sollicitudine tradenda simul & accipienda, accidit die quodam, ut lectu docente populum, ueniret mater & fratres ipsius, cupientes illum conuenire de rebus aliquibus familiaribus, nec patebat aditus obstante densitate multorum

C

Matth. 5. b

Marci. 4. c

Matth. 10. c

Marci 4. c

Matth. 13. b, 25. c

Marc. 4. c

Matth. 12. d

Marc. 3. d

dinis. Itaq; per alios nunciatum est illi, matrem ac fratres stare pro foribus, qui cuperent ipsum conuenire. Iesus autem ut doceret sermonem euangelicum esse pretiosorem quam ut oporteat ob ullos affectus humanos aut curam rerum domesticarum interrumpi, respondit ijs qui nunciant: Mater mea & fratres sunt hi, qui audiunt sermonem dei & faciunt. Docens non agnoscendam cognationem carnis, quoties animorum salutis consulitur.

Matth. 8. c
 Marci 4. d

D Factum est autem in una dierum, & ipse ascendit in nauiculam, & discipuli eius, & ait ad illos: Transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt Navigantibus autem illis, obdormiuit, & descendit procella uenti in stagnum, & complebantur, & periclitabantur.

Domini Iesus ut declararet rebus ipsis, & doceret in omnibus tumultibus, quibus hic mundus coarctatus sit aduersus profectum euangelicum, non oportere nec despondere animum, nec suis quenquam uiribus fidere, sed ab ipsis auxiliari pendere, nec huius opem in ullis periculis defuturam, si modo nos non deficiat fiducia, si precibus ex animo fuis illius praesidium imploremus. Euenit igitur die quodam, ut Iesus quum toto die docuisset populum, ingressus nauim cum discipulis iuberet transmitti in alterum litus, iam appetente nocte. Porro inter nauigandum obdormiuit Iesus, atq; interim exorta uenti procella sic commouit lacum, ut undis in nauim irruentibus discipuli periclitarentur.

Accedentes autem suscitauerunt eum, dicentes: Praeceptor, perimus. At ille surgens, increpauit uentum & tempestatem aquae, & cessauit, & facta est tranquillitas. Dixit autem illis: Vbi est fides uestra?

Timentes aduenerunt Iesum, & excitant, dicentes: Praeceptor, tu dormis & nos perimus? At ille surgens, increpauit uentum & aquae motum, iussitq; conquietari. Et agnouerunt elementa dominum suum. Mox ad iussum eius conquietata est tranquillitas magna. Quo facto uersus ad discipulos, obiurgans eos quod ipso praesente tam anxie trepidassent, quum toties audissent nihil illis obfuturum, si modo fiduciam erga se certam ac perpetuam obtinerent, dixit: Vbi nam est illa uestra fiducia? Nimirum illius defectus excitauit uobis hos tumultus.

Matth. 8. d
 Marci. 5. a

lib Qui timentes mirati sunt, ad inuicem dicentes: Quis putas hic est, quia & uentis & mari imperat, & obediunt ei? Et nauigauerunt ad regionem Gerasenorum, quae est contra Galilaeam.

Qui uehebantur in nauim, uidentes ad increpantis uocem subito quietuisse totam tempestatem, ac percipientes in eo nescio quid homine maius, correpti sunt timore simul & admiratione, dicentes: Quisnam est iste, quandoquidem non solum spiritibus praecipit ut exeant, uerum etiam inanimis ac surdis elementis mari ac uentis imperat, et obediunt iussis illius? Quoties igitur contingeret & nos periclitari, quoties in nostris animis obdormierit Iesus, uellicemus cum pijs uotis, expergeficiamus eum assidujs precibus, & ilico tempestas uertetur in tranquillitatem. Malus uentus est, ambitio: periculosus turbo est, iracundia & odium: horribiles undae sunt, malae cupiditates, subuersurae cymbam metis nostrae, sed excitandus dominus, ut his motibus imperet, & cessabit tempestas. Reddita igitur tranquillitate, enauigauerunt in terram Gerasenorum, quae est e regione Galilaeae, pars Arabiae inferioris, a Gerasa urbe iuxta montem Gelaad, in dimidia tribu Manasse.

Et cum

Et cum de naui egressus esset ad terram, occurrit illi uir quidam, qui habebat dæmonium iam temporibus multis, & uestimento non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. Is ut uidit Iesum, procidit ante illum, & exclamans uoce magna, dixit: Quid mihi & tibi est Iesu fili dei altissimi? obsecro te ne me torqueas.

Multo iam tēpore obnoxius erat homo ille sæuissimo dæmoni, adeo ut nec uestiri posset, nec domi uinculis ullis contineri, sed uagabatur in monumentis mortuorum, ac frequenter insiliebat in prætereuntes. Is quum ad strepitum apellentiū hospitiū procurrisset, suo bono uidit Iesum. Iesus enim misertus hominis imperabat impio spiritui, ut exiret ab homine. Porro qui tenebatur à dæmonio procidit ad genua Iesu. Attraxerat enim illum uis quædam occulta diuinæ uirtutis. Spiritus autem impurus uociferabatur per os miseri: Quid mihi tecum est, Iesu fili dei altissimi? obsecro ne me torqueas. Urgebat enim eum iussio domini, ut relinqueret hominem, quem diu uexauerat. Frequenter corripiebat illum, ac miserū scrutabatur tanta sæuitia, ut disruptis compedibus catenis & uinculis omnibus à dæmonio ageretur per loca deserta.

Præcipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine. Multis enim temporibus arripiebat illum, & uinciebatur catenis, & compedibus custoditus, & ruptis uinculis agebatur à dæmonio in deserta. Interrogauit autem illum Iesus, dicens: Quod tibi nomen est? At ille dixit: Legio: quia intrauerunt dæmonia multa in eum. Et rogauerunt illum ne imperaret illis ut in abyssum irent.

Inuitus spiritus ille relinquebat suam ueterem possessionem, quin & illud metuebat, iam adesse diem, quo forent æternis supplicijs addicendi, malorum omnium quibus hic affligunt homines pœnas daturi. Has preces non extorserat malefactorum pœnitentia, sed supplicij metus. Iesus autem quo notior esset omnibus miraculi magnitudo, interrogabat impium spiritum, quod esset ipsi nomen. Ille respondit: Legio. Nimirum militari uocabulo significans, non ab uno dæmonio teneri hominem, sed innumera dæmonū multitudine. Nullum enim magnum peccatum, sine magna uitiorum caterua: sed nullus est animi morbus tam sæuus, nulla tanta criminum multitudo, quin cedat ad iussum donati Iesu. Id iam metuentes omnes, orant ut si uitari non possit, quin ejicerentur, saltem ne iuberentur abire in abyssum tartari, quem locum sciunt sibi destinatum in extremo die, post iudicij uniuersalis sententiam.

Erat autem ibi grex porcorum multorum pascentium in monte, & rogabant eum ut permitteret eis in illos ingredi. Et permisit illis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos, & impetu abiit grex per præceps in stagnum, & suffocatus est.

Pascebat haud procul ab eo loco grex numerosus porcorum in monte quodam, qui lacui imminebat, ut uel hinc intelligamus eam regionem fuisse Ethnicam, & impietati deditam. Siquidem Iudæi non uescebantur carne suilla. Dæmones autem rogabant, ut permissu domini liceret immigrare in porcos illos: tanta erat nocendi libido impijs spiritibus. Iesus autem quo miraculū esset euidentijs ac formidabilius, permisit quod rogabāt. Mox dæmonia relicto homine

demigrarunt in porcos. Et ilico totus grex impetu delatus est per præceptum in la cum, atq; ibi suffocatus interiit. Vbi notandū quod nec porcis nisi permiffa da monia nocere possunt, multo minus hoibus nisi occulta iustitia dei pmittant.

Quod ut uiderunt factum qui pascebant, fugerunt, & nunciauerūt in ciuitatem & in uillas. Exierunt autem uidere quod factum est, & uer nerunt ad Iesum; & inuenerunt hominē sedentem à quo daemonia exie rant, uestitum, ac sana mente ad pedes eius, & timuerunt. Nunciauerūt autem illis & qui uiderant, quomodo sanus factus esset à legione.

Vbi talia conspexere subulci, territi fugiunt in ciuitates & uicos, ac renun ciant quod factum est. Illi uero credentes quod narrabant pastores, egressi sunt ut uiderent rei tam incredibilis argumenta. Vident autem perisse gregem pau lō ante numerosissimum: & reperiunt hominem qui prius tenebatur à damo nijs, & ob insignem sauitiam notus erat omnibus, iam placidum ac sanā men tis, uestitum, sedentem ad pedes Iesu, & qui prius ab impijs spiritibus agebat ad omne facinus, nunc placido mitiq; spiritu clemētissimi domini dono forma tur ad omne studium pietatis. Porro qui adfuerant, quiq; oculis suis uiderant hominem prius daemōiacum, & audierant legionem esse daemōnum mox sa natum, narrabant cæteris quid accidisset. Itaq; corripuit omnes timor quida m, quum glorificare potius oporteret deum, & amplecti potentiam eius, qui misero deploratissimo restituit sanitatem.

Et rogauerūt illum omnis multitudo regionis Gerasenorum, ut dis cederet ab ipsis, quia timore magno tenebantur. Ipse autem ascendens nauim reuersus est.

Cupiunt abire Iesum Geraseni, metuentes illius potentiam, sed ignorantes bonitatem, ac magis mouentur iactura porcorum, quàm hominis restituti salu te. Non tamen audent eijcere, sed rogant publicis precibus, ut decederet de fi nibus ipsorum: tantus timor omnes occupat. Iesus autem ne projiceret ma rgaritas ante porcos, & sanctum canibus daret, reuersus est ad nauim.

Et rogauit illū uir à quo daemonia exierant, ut cum eo esset. Dimisit autem eum Iesus, dicens: Redi in domum tuam, & narra quanta tibi fe cit deus. Et abiit per uniuersam ciuitatem, prædicans quanta illi fecisset Iesus.

Qui liberatus fuerat à daemōnijs orabat Iesum ut liceret esse in illius comi tatu, cui salutem debebat, ministrareq; gratus uoluisset. Iesus autem id nō per miffit: sed redi, inquit, in domum tuam, ut te narrante, teq; conspecto, certo co gnoscant omnes qualis ante fueris, & qualis iam sis dei beneficio: me recusant hospitem tui, saltem tu testis esto apud illos, quàm sibi inuiderint me eijcientes. Paruit homo iussis domini, ac profectus in Decapolim, perq; omnes ciuitates prædicabat apud omnes, quantum beneficiorum accepisset à Iesu. Erat hoc ali quod rudimentum euangelicæ prædicationis apud homines crassos et impios, ac porcis illis in quos demigrarunt daemonia simillimos. Nec inanis fuit omni no daemōiaci prædicatio, credidere multi & admirati sunt. Hac nimirum ima gine docuit nos dominus Iesus, nullis quamlibet impijs non esse offerendam euangelij gratiam, inuitis tamen & aspernantibus non esse obtrudendam, sed rursus ita discedendum ab illis, ut scintillam aliquam relinquamus ueræ picta

tis, olim fortassis per occasionem emicaturam.

Factum est autem, cum redisset Iesus, excepit illū turba, erant autē Math. 9. c
Marci 5. b
omnes expectantes eum. Et ecce, uenit uir cui nomen Iairus, et ipse princeps synagogæ erat, & cecidit ad pedes Iesu, rogans eum ut intraret in domum eius, quia filia unica erat ei ferè annorū duodecim, & hæc moriebatur.

Reuectus est dominus unde uenerat, uidelicet in Galilæā, ubi iam celebris erat & admirandus omnibus. Redeuntē igitur excepit ingens hominū multitudo, quæ magnis desiderijs expectarat Iesu reditū à Gerasenis. Et ecce rursus occasio quæ declararet quod Iesus esset expositus omnibus ad subueniendum, diuisus simul & pauperibus, bonis ac malis, quantoque minus haberent fiduciæ quæ apud Iudeos uidebantur esse religionis proceres, quam hi qui in plebe habebantur, cui filia erat domi, puella annos nata plus minus duodecim, ea iam agebat animam. Accidit igitur ad pedes domini Iesu, rogans dignaretur adire domū suam, & subuenire filiæ moriētī. Sic uocari solet medicus: Veni, experire quid possis. Quanto plenior fiducia centurionis, qui negauit esse opus presentia corporis, sed simplici dicto Iesum sanare posse quem uellet. Morem gessit Iairo Iesus properans ad ædes illius.

Et contigit dum iret, à turbis cōprimebatur. Et mulier quædā erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos erogauerat omnem substantiā suā, nec ab ullo potuit curari, accessit retro & tetigit sinus: Quis est qui me tetigit? Negantibus autē omnibus, dixit Petrus & ceteris: Quis cum illo erant? Præceptor, turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis: Quis me tetigit?

Ecce inter eundū condensantibus undique sese turbis (tanta erat uidendi auidendi que sitis omnibus) comprimebatur Iesus. In confertam turbam ingesserat se mulier quædā, quæ iam annis duodecim laborabat foedo et abominabili morbo profluuiū sanguinis, & amore sanitatis omnem substantiā suam erogarat in medicos, semper meliora pollicentes, sed nihil opis attulerant, nisi quod morbo addiderant aliud malum, paupertatem. Ibi prudens mulier destituta auxilio hominum confugit ad opem diuinam, mira concepta fiducia de Iesu, ut si quicquam possit illius contingere, fore ut sanaretur. Pudor autem obstetit, quo mirari cupiens ab eo salutis beneficium, adrepsit à tergo, & attigit extremā oram uestis illius, quæ in compressu multitudinis huc & illuc trahebatur. Nec mora, protinus sensit abisse morbum, ac sisti profluuiū sanguinis. Iesus autē nequaquam inuidens mulierculæ salutem, quam sponte contulerat & sciens, sed archisynagogæ ceterisque Iudæis uolens exhibere formam absolutæ fiduciæ, dixit: Quis me tetigit? Quum ceteri qui aderant uicini negarent se tetigisse eum, Petrus ceterisque discipuli qui Iesu proxime hærebant, dicebant: Præceptor, undique premit & afflicta hominum confertissima frequentia, & perinde quasi unus aut alter adlit rogas, quis te tetigerit?

Et dixit Iesus: Tetigit me aliquis: nam & ego noui uirtutem de me G

exiisse. Videns autem mulier quia non latuit, tremens uenit, & proci-
dit ante pedes eius, & ob quam causam tetigerit eum, indicauit coram
omni populo, & quemadmodum confestim sanata sit. At ipse dixit ei:
Filia, fides tua saluam te fecit, uade in pace.

Subindicans Iesus se non de uulgari contactu loqui, de quo sentiebant discipuli, respondit: Aliquis non uulgari more me tetigit: sibi conscius est quisquis ille fuit: nam ipse quoque ad contactum sensi uirtutem à me profectam ad eum qui me tetigit. Quum nemo responderet, & Iesus circumferret oculos, quasi querens quis esset qui beneficium hoc suffurari uellet: mulier intelligens non latere se, sum quod furtim fecerat, multo cum tremore prodijt in conspectum Iesu, & accidens ad pedes eius, professa est coram uniuerso populo, & quam ob causam contigisset eum, & quemadmodum ilico sanata sit à morbo, quo duodecim annis laborauerat, frustra sudantibus medicis. Iesus autem consolans mulierem trepidam, & obiurgationem expectantem, ait: Filia, fiducia tua tibi promeruit salutem, uade in pace, sitque tibi hoc meum beneficium perpetuum. Hoc dicto tetigit pharisæos & scribas, qui plus spei reponebant in suis operibus, quam in bonitate dei, & menstruæ personæ contactum abhorrebant, ut malum eximium, pleni interim prauis cogitationibus, & desiderijs impuris.

Adhuc illo loquente, uenit quidam à principe synagogæ, dicens ei: Quia mortua est filia tua, noli uexare illum. Iesus autem audito hoc uerbo, respondit patri puellæ: Noli timere, crede tantum, & salua erit.

Nondum finierat hæc uerba dominus Iesus, dum accurrat quidam ex ædibus archisynagogi, qui dixit illi: Noli molestus esse domino, frustra uenturo, si filia tua iam mortua est. Qui hoc nunciabat nihilo magnificentius sentiebat de Iesu, quam de medico quopiam eximio, qui possit ægrotanti succurrere, mortuam excitare non possit. Ad hunc nunciū quum Iesus uideret exanimatum laicum, consolatus est eum, dicens: Ne metue, tantum confide, & salua erit puella.

Et cum uenisset ad domum, non permisit intrare secum quemquam nisi Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & patrem & matrem puellæ. Flebant autem omnes, & plangebant illam. At ille dixit: Nolite flere, non est mortua puella, sed dormit. Et deridebant eum, scientes quia mortua esset.

Vbi uentum est ad domum archisynagogi, Iesus non est passus e turba quemquam ingredi secum, nisi hos nominatos. Ingressus autem reperit domum pleenam lacrimarum. Flebant enim omnes amici & cognati defunctam: quod officium etiam ambitione solet exhiberi diuitibus uita defunctis: adhibent enim qui lamententur, qui canant lugubria, qui planctu testentur dolorem. Hanc pompam omnem cohibuit dominus, dicens: Nolite flere, non enim est mortua puella, sed dormit. At illi deridebant eum, scientes certò puellam esse mortuam.

Ipse autem tenens manum eius, clamauit, dicens: Puella, surge. Et reuersus est spiritus eius, & surrexit continuo. Et iussit illi dare manducare. Et stupuerunt parentes eius, quibus præcepit ne alicui dicerent, quod factum erat.

Dominus cum paucis ingressus in conclaue, ubi iacebat exanime cadaver puellæ, uelut excitaturus eam, arripuit manum eius, ac uoce clariore dixit illi: Puella surge. Quid consequutum est? Nemo facilius expergiscitur ad uocem excitantis,

stantis, quam illa reuixit ad uocem appellantis. Non enim solum redijt anima in domiciliu[m] unde fuerat egressa, uerum etiam ut alacris uegetaq[ue] surrexit & ambulabat. Iesus autē quo certius esset uitae restituta documentū, iussit illi dari cibum. Quo uiso uehementer obstupere parentes puellae. Iesus autē edixit illis, ne cui dicerent quod accidisset, quasi cupiens hoc miraculum paucis esse cognitum, siue quo nos doceret nō esse uenandam ab hominibus benefactorum gloriam, siue ut hac figura significaret in leuioribus erratis sufficere secretam correptionem. Puella enim mortua designat hominem per imbecillitatem colapsum in culpam. Mors adhuc erat recens, cadauer nondum prodierat in publicum: itaque exclusa turba, res paucis testibus peracta est. Felices autē quos comprehendere dignatur Iesus.

CAPVT IX.

Qonuocatis autem Iesus duodecim apostolis, dedit illis uirtutē & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarēt. A
Matth. 10. 4
Marc. 3. 6

Et misit illos prædicare regnum dei, & sanare infirmos. Haec enim dominus Iesus per se gessit euangelij negotium, duodecim apostolos interim uarijs modis formans atq[ue] instituens, uelut post acceptū spiritum sanctum & prædicandi munus successuros, eorū factorum ac sermonū suorum perpetuos testes esse uoluit. Verū ut interim ipsi quoq[ue] specimē aliquod sui darent in tanti muneris functionē, & uiuo adhuc domino sui periculū facerent, conuocauit omnes eos in unum, ne quid in prædicatione discordarent: ne uero prædicatio humiliū & idiotarum omnino careret autoritate, addidit illis uirtutē ac potestatem eijciendi omne dæmoniorū genus, & omne morborū genus sanandi. Congruebat enim ut qui regnū dei prædicarent, haberent ius in impijs dæmones, hostes dei: & qui prædicarent eam doctrinā quæ sanaret omnes morbos animorū, uirtutē haberent sanandi morbos corporum: simulq[ue] dederentur. Ad meum, inquit, exemplū libenter & gratis uestra potestate subuenite morbis & calamitatibus omnium, ne synceritatē euangelicæ prædicationis aliqua quæstus suspicione uitietis. Præscripsit autē quid oporteret illos docere. Nec enim mandauit illis ut docerent legis ceremonias, mox abolendas, nō humanas constitutiunculas, cuiusmodi docere solent scribæ & pharisæi, circumuehentes mare & aridam, ut facerent unū profelytū, sed ut docerent adesse regnū dei, conuersionem mundi ad deum suum, quod iam non in rebus corporalibus præparandos animos hominum doctrinæ sublimiori.

Et ait ad illos: Nihil tuleritis in uia, neq[ue] uirgam, neq[ue] perā, neq[ue] pascuum, neq[ue] pecuniam, neq[ue] duas tunicas habeatis. Matth. 10. 4
Marc. 6. 8. b

Ne remoraretur illos ab euangelij negotio sollicitudo rerū ad uitam corporalis necessitatis, ait illis: Ne quid impedimentorū tuleritis uobiscū in uia, neq[ue] baculum ad defensionem, neq[ue] peram reponendo comeatui, neq[ue] zonam reponendis nummis, neq[ue] binas tunicas, certi nihil horum uobis usquam defuturū, si synceris animis iuxta meum iussum curaueritis euangelij profectum: nusq[ue] enim non erunt quorum ultronea benignitas suppeditet, quod in diem uiuentibus & paulo contentis satis sit: nec est quod de hospitio sitis solliciti.

Et in quamcunq[ue] domum intraueritis, ibi manete, & inde ne exeatis. Et quicumq[ue] non receperint uos, exeuntes de ciuitate illa, etiam pul-

Act. 13. 8

uerem pedum uestrorum excutite in testimonium supra illos.

Vbicunque cognoueritis esse dignos regno dei, ad illos diuertite, ne subinde aliunde alio demigrantes, delicias quaesisse uideamini, sed contenti his quae illic repereritis, tamdiu manete apud illos, donec euangelij profectus uos horabitur ut alio proficiscamini. Quod sicubi euenerit ut nemo uos recipiat, agnoscite dignitatem uestri muneris, neque conemini inuitis obtrudere, quod ab omnibus oportet expeti, continuo relinquite ciuitatem illam, adeo nihil ab illis accipientes, qui reijciunt uestram praedicationem, ut etiam puluerem, qui forte pedibus uestris hesit, excutiat in illos, testificantes quod gratis illis annunciaueritis regnum dei, & quod ipsi sese reddiderint indignos tanto munere gratis oblato. Notandum primo hic a domino praecipuum utriusque, ut & uirgam ferrent, & nec uirgam ferent. Non ferre uirgam, est non esse sollicitum de necessarijs sustentationi hominis. Haec enim debentur praedicatoribus, ab his quibus praedicant. Nihil ferre nisi uirgam, est uti potestate doctoris euangelici, & dei ministri in uerbo, ut necessaria uitae in diem ab illis accipiant quibus profum, Simplex quoque uestimentum dicitur, quicquid est necessarium alicui, iuxta rationem loci temporis & personae. Non mutandus locus excurrando, ne inuolabilis hospitij iura mutantur. Non comunicandum inanibus uerbis & gestis perfidorum, quae comparantur pulueri, ne castae mentis puritas polluat.

Egressi autem circumibant per castella, euangelizantes & curantes ubique.

Huiusmodi sermonibus & alijs multis dominus Iesus instruxit suos discipulos, unde & abierunt iuxta Christi ordinationem bini & bini, peragrantes uicos, ubique praedicantes adesse regnum dei. Atque ubicunque repererunt daemones, aut aegrotos, aut alio corporis uitio obnoxios, sanabant in nomine Iesu. Hoc erat primum rudimentum apostolicae praedicationis, praedicare poenitentiam, eijcere daemones, aegros curare.

Matth. 14. 4
Marci. 6. 6

Audiuit autem Herodes tetrarcha omnia quae fiebant ab eo, & haesitabat eo quod diceretur a quibusdam: Quia Ioannes surrexit a mortuis: a quibusdam uero: Quia Elias apparuit: ab alijs autem: Quia propheta unus de antiquis surrexit. Et ait Herodes: Ioannem ego decollauit: quis est autem iste de quo ego talia audio? Et quarebat uidere eum.

Adeo celebris facta est his rebus fama Iesu, ut rumor omnium quae gerebat permanarit ad Herodem tetrarcham Galileae. Quum enim Iesum ignoraret, & audiret esse quendam, qui iussu propelleret daemones, fugaret morbos, resisteret mancos & contractos, mundaret leprosos, illuminaret caecos, excitaret mortuos, erat ancipitis perplexique animi, quis nam hic esset subito exortus. Quidam autem iactabant Ioannem esse Iesum, quem Herodes paulo ante occiderat, qui reuixisset, & ideo iam ueluti semideus tantis miraculis polleret. Alij dicebant eum esse Eliam, quem raptum igneo curru, Iudaei reditum expectabant iuxta uaticinium Malachiae. Rursus alij suspicabantur alium quempiam e praecipuis prophetis, quorum apud Iudaeos erat sacrosancta memoria. Herodes autem sibi metuens, si Ioannes reuixisset quem occiderat, & incredibile ducens, ut homo semel extinctus reuiuisceret, dicebat: Ioannem ego decollauit, quo sublato putauit neminem superesse qui magnu aliquid auderet. Quis autem est iste, de quo etiam longe maiora audio quam unquam gessit Ioannes? Proinde quarebat occurrere

bat occasionem uidendi eum, non ut melior fieret, sed ut suæ satisfaceret curiositati, aut si uideretur idem huic faceret quod fecerat Ioanni. Iesus autē quum hæc non ignoraret, non fecit illi sui copiam. Non enim in hoc uenerat ut miraculis suis pasceret oculos impiorum principum, sed ut simplices ad salutem adduceret: nec placebat decollatio, qui sibi destinarat sublime crucis uexillum.

Et reuersi apostoli, narrauerunt illi quæcūq; fecerunt: & assumptis illis secessit seorsum in locum desertum, qui est Bethsaidæ. Quod cum cognouissent turbæ, secutæ sunt illum, & excepit eos, & loquebatur illis de regno dei, & eos qui cura indigebant, sanabat.

B

Matth. 24. b

Marci 6. d. e

Post hæc reuersi sunt duodecim ad Iesum, magna cum alacritate, narrantes quomodo successisset euangelij prædicatio, quantum miraculorum ædidissent & ipsi in nomine ipsius. Iesus autem reuocauit illos ad modestiam, ne quid successu talium rerum insolescerent: nam miracula gerit uirtute dei non hominū, non nunquam autem ædi per homines non destinatos æternæ uitæ. Solam autem animi pietatem hominem reddere beatum, siue miraculorum uirtus adsit pro temporis ratione, siue non adsit. Iesus igitur ut ipso facto doceret illos quo pacto deberent cibo sermonis euangelici, quem ab ipso didicissent, pascere multitudine, secessit cum illis in locum desertum, quo paulisper requiescerent à labore itineris. Nam tantus erat illic confluxus hominum, ut non uacaret illis uel cibum capere. Abduxit igitur illos in desertum uicinum ciuitati Galilææ Bethsaidæ, quæ communis erat patria Petri, Andreæ & Philippi. Hic nimirum secessus non datus est ad ineptas uoluptates aut somnū, sed ad tranquillitatem orandi & gratias agendi deo, talem enim oportet esse relaxationem uirorum apostolicorum. Cæterum ubi rumore sparsum esset, quò se subduxisset Iesus, innumerabilis hominū multitudo undiq; cōglomerans se, sequuta est illum in desertum. Iesus autem uidens illorum auuiditatem, prodijt è latebris, in quas secesserat, & adeo non repulit eos, ut ultro etiā iret obuiam, & illud interim docens discipulos suos, à secessu breui statim redeundum ad euangelicā functionem. Iesus autem progressus ubi uidit infinitam uim uirorum, mulierū ac puerorum, uarijs ex locis pedibus tanto itinere peruenisse in desertum, uelut oues huc & illuc palantes, pastore destitutas, tactus misericordia, primum animos illorum pauit, multa loquens illis de regno dei, tum eos qui morbis alijsq; corporis malis tenebantur, sanabat.

Dies autem cœperat declinare. Et accedentes duodecim, dixerunt illi: Dimitte turbas, ut euntes in castella & uillas quæ circa sunt, diuertāt & inueniant escas, quia hic in loco deserto sumus. Ait autem ad illos: Vos date illis manducare.

Ioan. 6. d

Hæc dum agunt, cœpit inclinare dies. Apostoli uero cōsiderantes turbam esse immensam, appetere uesperam, locum esse procul semotum ab oppidis ac uicinis, nullum esse comeatum, submonent Iesum, dicentes: Dimitte turbas in tempore, ut in oppidula uillasq; proximas abeuntes parent sibi cibum, nam hic locus desertus est. Iesus autem ut ostenderet non defuturum cibum his qui toto pectore uacarent euangelicæ doctrinæ, simulq; hoc agens, ut euidentis esset miraculum quod decreuerat adere, respondit discipulis: Non est necesse ut hæc gratia diuertāt ad oppida & uillas, quin potius uos ipsi date illis cibum. Subindicans & hoc esse nonnunquā apostolici muneris, de suis facultatibus quam-

KK

uis exiguis subleuare necessitatem sui gregis. Nec deerat animus apostolis, sed dolent deesse facultatem.

At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quam quinque panes & duo pisces: nisi forte nos eamus & emamus in omnem turbam hanc escas. Erant autem ferè uiri quinque millia. Ait autem ad discipulos suos: Facite ut illos discumbere per conuiuia quinquagenos. Et ita fecerunt. Et discubuerunt omnes.

Dicunt apostoli: Non est nobis quicquam ciborum, præter quinque panes & duos pisces, hoc comeatus uix nobis paucis suffecturum est in coenam, nisi forte uis ut nos eamus in proximos uicos, empturi cibos tantæ multitudini suffecturos: atqui ad eam rem opus esset multis denarijs, quum apud nos pecunia sit quàm minimum. Erant enim ferè uirorum quinque millia. Ad hæc dominus Iesus: Facite ut discubant omnes per sodalitia, sic ut quinquageni simul accumbant. Sic enim solent qui multis exhibent conuiuium, singulis mensis certum adhibere numerum, ut sciant promi ac ministri quantum debeant apparare. Apostoli tamen nihil uiderent apparatus, tamen ad iussum domini iubent potestate obtemperat & populus, ut discumbat super scænum expectans cibum.

Acceptis autem quinque panibus & duobus piscibus, suspexit in celum, & benedixit illis, & fregit, & distribuit discipulis suis, ut ponerent ante turbas. Et manducauerunt omnes, et saturati sunt. Et sublatum est quod superfuit illis, fragmentorum cophini duodecim.

Dominus Iesus nouus conuiuator, accepit quinque panes & duos pisces, & subrectis in cælum oculis, uerbis bene ominantibus, primum consecrauit cibum, deinde fregit, mox distribuit discipulis, ut apponeret turbæ. Refecti sunt omnes ad saturitatē, & adeo nihil defuit, ut expletis omnibus collecti sunt per discipulos duodecim cophini fragmentorum. In his quoque latet doctrinæ secretioris imago. Habent apostoli comeatum, sed Iesu, is ut uilis est ac plebeius, ita pusillus est. Multiplex est enim Mosi doctrina, uaria & opipara est philosophorum eruditio, at simplex ac breuis est sermo euangelicus, sed qui sufficit reficiendis animabus omnium gentium, si quemadmodum oportet, & tradatur & accipiatur. Apostolicis uiris creditus est sermo quo saginantur animæ, sed huc non apponunt discipuli pascendo populo, nisi prius à Christo consecratum & fractum. Tum enim demum uerus est fructus euangelicæ prædicationis, si doctor quod habet sibi creditum donum eruditionis, non arroget sibi, nec ueluti de suo temere promat, sed Christo reddat consecrandum: alioquin inanis erit opera docentis, nisi ille sermonem benedixerit, nisi fregerit, nisi distribuendum tradiderit suis manibus. Efficax enim est, quicquid ab illis manibus proficiscitur, ille est qui pascit, qui reficit, qui satiat. Episcopi nihil aliud sunt, quam ministri & dispensatores liberalitatis alienæ. Populus interim per sodalitia discubere debet, nihil hæsitans, nihil murmurans, significans in cœtu ecclesiastico oportere adesse modestiam, ac simplicem animi fiduciam, & abesse discordiam ac tumultum omnem. Quin & illud cōsidera mysterij, Dominus Iesus primum docuit ac sanauit, deinde pascit. Est autem & sermo diuinus animæ cibus, sed huius alia qua portio non negatur etiã impijs & catechumenis: est enim medicina mentium, & refectio imbecillium. Idem enim agit salutaris doctrina in animis peccatorum,

Infra 14. f. 17. g
Ioan. 12. d

metipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim uoluerit animam suam saluam facere, perdet illam: Nam qui perdidit animam suam propter me, saluam faciet illam.

Quum post prædicta uerba Petrum ad mentionem mortis inhorrescentem, & ad diuersa consilia cohortantem compescuisset, coepit & suos discipulos ad imitationem suæ mortis adhortari, dicens: Sic uisum est patri hac uia perueniendum ad gloriam. Qui uult esse meus discipulus, si cupit esse particeps regni mei & felicitatis, debet imitator esse mortis & contumeliæ. Non satis est me consectari pedibus, factis sequatur oportet, alioqui non agnoscam discipulū. Quisquis enim accesserit ad euangelij prædicationem, se totum abneget, & omnibus huius uitæ curis semel renunciet, opibus, uoluptatibus, honoribus, cogitationibus, affectibus, denique uitæ ipsi, tollatq; crucem suam quotidie, semper animam habens paratum ad omnia quæ me uideris perpeti: præcedam magister, sequatur qui uolet esse discipulus. Nec est quod metuatis uobis exitium, sic perire seruari est. Quisquis enim mea causa uitæ iacturam fecerit, is uitam suam in tuto collocauit: contra, qui resiliens ab euangelico negotio, uoluerit seruire uitam corporis, is perdet animæ suæ uitam, quæ uera deniq; uita ducenda est. Huius seruandæ gratia rerum omnium iacturam accipere prudentis est.

Matth. 10. d
Marci 8. d
2. Tim. 2. b

Quid enim proficit homo, si lucretur uniuersum mundum, seipsum autem perdat, & detrimentum sui faciat? Nam qui me erubuerit & meos sermones, hunc filius hominis erubescet, cum uenerit in maiestate sua & patris & sanctorum angelorum.

Quid homini proderit si lucrifecerit quicquid hic mundus habuerit expectandum, quum suū ipsius iacturam faciat? Homine pereunte pereunt & illa quæ parauerat: totus autem perit, qui perdit uitam æternā. Ne pudeat discipulum ea perpeti quæ ego passurus sum: ne pudeat apud omnes meam profiteri doctrinam. Etenim quem mei meorumq; sermonum puduerit apud homines, offensum ignominia crucis, huius uicissim pudebit filiū hominis, cum deposita carnis infirmitate denuo ueniet proferens uniuerso mundo maiestatem suam, patris & sanctorum angelorum. Ad hæc D. Ambrosius: Arduum est crucem tollere, & animam periculis, morti corpus offerre: negare quod sis, quum uelis esse quod non uis, raroq; quamuis excelsa uirtus futuris commutat præsentia. Difficile quippe uidetur hominibus, ut spem periculis emant, damnoq; præsentium futuræ lucrum mercentur ætatis. Ergo bonus et moralis magister, ne quis desperatione frangatur aut tædio, quoniam uitæ dulcis illecebra, constantem quoque mulcet affectum, continuos uiuendi successus fidelibus pollicetur. Frigent enim solatia sub metu mortis, magnusq; amor uitæ ægre blandicias, non cum appetitæ salutis terrore compensat. Non habes igitur quod queraris, non habes quod excuses, arbiter omnium dedit, & uirtuti præmium, & infirmitati remedium, ut præsentibus sustineatur infirmitas, uirtus futuris: si fortis es contemne mortem: si imbecillis, fuge. Sed nemo potest fugere mortem, nisi uitam sequatur. Vita tua Christus est, ipsa est uita quæ mori nescit. Itaque si uolumus mortem non timere, stemus ubi Christus est, ut de nobis quoq; Christus dicat.

Matth. 16. d
Marci 9. d

Dico autem uobis uere, sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem, donec uideant regnum dei.

Minime

Minime dubitetis futurum, quod hic prædico: Sunt aliqui ex uobis qui nunc hic mecum estis, qui uidebitis gloriam meam propagatam ad terminos orbis terrarum, & me Messiam regem uniuersorum celebrari audietis, uiuentem in hac carne. Interim uero uobis crux dura ferenda erit, & persecutio magna: quin & ex uobis sunt, qui cœlestis regni mei splendidam maiestatem intuebuntur, etiam corporalibus & mortalibus oculis, sed ad horam, ut specimen aliquod & typum intueamini illius gloriæ, qua me in cœlestibus glorificandum aspicietis. De utroque enim statu intelligi hoc potest & spectro regnoq̄, ut in Matthæo latius dictum est.

Factum est autem post hæc uerba ferè dies octo, & assumpsit Petrum, & Iacobum & Ioannem, & ascendit in montem ut oraret. Et facta est dum oraret, species uultus eius altera, & uestitus eius albus & refulgens. Et ecce duo uiri loquebantur cum illo. Erant autem Moses & Elias, uisi in maiestate, & dicebant excessum eius, quæ completurus erat in Ierusalem.

Ut præstaret dominus Iesus quod erat pollicitus die ab hoc sermone ferme octauo, selegit è duodecim tres, conscenditq̄ de more in montem, ut illic oraret. Inter precandum autem subito mutata est facies eius in aliam speciem, maiestatis & gloriæ plenam, ac uestimenta eius niueo candore relucebant. Conspiciebantur autem simul & duo uiri, simili in maiestate, colloquentes cum eo, quorum alter Moses, alter Elias. Lex enim typis adumbrarat Iesum, prophetæ designant, Horum cum Iesu colloquiū, quid aliud est quam ueteris & noui testamenti consensus: Colloquebantur autem de mortis genere, quam iuxta prophetiā gloria suauitas mentione mortis temperaretur. Hic Lucas reliquis addit euangelistis, quod Moses & Elias loquerentur de transitu & excessu uel exitu domini, qui fuit uerum pascha omnium filiorum redēptionis, et exodus nostra à potestate principis mundi huius, & transitus Christi per omnes domos, id est, animas omnium, omnibus temporibus saluandorum. Omnes enim hoc loti sunt sanguine, & rubricati per mortis Christi mysterium.

Petrus uero & qui cum illo erant, grauati erant somno. Et euigilantes uiderunt maiestatem eius, & duos uiros qui stabant cum illo. Et factum est cum discederent ab illo, ait Petrus ad Iesum: Præceptor, bonum est nos hic esse, & faciamus tria tabernacula, unum tibi, & unum Mosi, & unum Eliæ: nesciens quid diceret.

Hæc non plane perspiciebant apostoli, quod oculos haberent somno grauatos. Cæterum experrecti plane uiderunt maiestatem domini, simulq̄ duos uiros discedentes, qui cum inciperent ab Iesu discedere, Petrus metuens ne pariter non est hinc usquam abeundum, ualeat Hierosolyma, quæ tibi mortem minatur, quin potius faciamus in hoc monte tria tabernacula, unum tibi, unum Mosi, unum Eliæ. Hæc Petrus uelut ebrius dulcedine uisionis loquebatur, nesciens quid diceret. Quærebat enim triumphare ante uictoriam, & brauium ante certamen. Putabat tunc Petrus consummationem esse, & incipere regnum Christi: nondum autem finis erat, nec regnum instabat, neq̄ gaudiorum fruitiones sanctis tunc communicandæ erant. Crucifigi quoq̄ timebat: quasi in hunc modum loqui

uidetur: Ne descendamus de monte, hic maneamus, & crucem effugiamus, habemus Eliam adiutorem si inuaserint Iudæi, ignem deducet cœlitus, & sicut quinquagenarios comburet; habemus Moſen, qui tot & tantas gētes perdidit: putabat enim malam esse crucem, ob hocq; uitare cupiebat, Christus autē crucem elegerat pro hominum salute promouenda.

Hæc autem illo loquente, facta est nubes, & obumbravit eos, & transiuerunt intransibilibus illis in nubem. Et uox facta est de nube, dicens: Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Et dum fieret uox, inuētus est Iesus solus. Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quicquid ex his quæ uiderant.

Hæc loquente Petro dominus repente facit tabernaculum non manufactum, & in illud ingreditur cum prophetis, ut ostendatur quod in nullo minor sit pater. Sicut enim in ueteri nubes dicebatur habere dominum, & Moſes ingrediebatur in eam, atq; sic legem suscepit; ita & nūc nubes Christum suscipit, nubesq; nō caliginosa, sed lucida. Transiit enim umbra ueteris legis, & tenebrosa obcuritas illius: uenit etiam ueritas, & illuxit gratia domini: oborta enim est nubes lucida, & obumbravit discipulos, non iam sustinētes in corpore mortali tantæ gloriæ speculum. Dum autem Moſes & Eliās ingrediuntur in nubem, euanescentes ab oculis discipulorum (Aequum enim erat ut apparente luce ueritatis euangelicæ, cederent umbræ & obscura figurarum ænigmata,) uox patris sonauit de nube, dicens: Hactenus Iudæi suspexerunt Moſen & Eliam, qui uaticinati sunt de filio meo, magni fuerunt illi, sed serui mei: Hic autem est ille filius meus unicus, unice charus animo meo, ipsum igitur audite. Hac uoce sonante repertus est Iesus solus, ne suspicarentur in alium quàm ipsum eiuſ uocis testimonium pertinere. Porrò tres illi discipuli, ita ut iussi fuerant à domino, si uerum mortuis, noluit enim dominus ante mortem suam prædicari diuinam maiestatem suam, siue ne qua res impediret illud sacrificium quo restituendū erat genus humanum, siue ne frustra prædicaretur quod nullus esset crediturus. Sed multum autem ipsa re nos docuit, si quid in nobis magnificū fuerit, celandum potius esse declarandam potius quàm prædicatione.

E Factum est autem in sequenti die, descendētib; illis de monte, occurrit illis turba multa. Et ecce uir de turba exclamauit, dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meum, quia unicus est mihi: & ecce spiritus apprehendit eum, & subito clamat, & elidit & dissipat eum cum spuma, & uix discedit dilanians eum: & rogauit discipulos tuos ut eijcerent illud, & non potuerunt.

Descendit postero die Christus de monte cum tribus discipulis, reperitq; ingentem hominum multitudinem circa reliquos apostolos, quos ascensus in montem, reliquerat. Populus autem ut uidit redeuntem dominum, occurrit illi. Desyderauerant enim illum, & acciderat recens cuius gratia requirerent illius præsentiam. Clamabat enim quidam e turba, dicens: Magister, obsecro te, moueat te calamitas filij, nam mihi unicus est, tenetur autem a sæuissimo demone, qui subinde corripit eum, ac miseris uexat modis, magno cum clamore edens

Matth. 17. d
Marc. 9. c

dens eum in terram, ac discerpens spumantem interim: quoties autem corripuit eum, uix ab eo discedit nisi corpore toto dilaniato: rogauit discipulos tuos, ut egerent spiritum: conati sunt, nec potuerunt. In monte dominus orat, docet, maiestatem suam demonstrat, patris uocem discipulis aperit, descendens a turba excipitur, miserorum fletu pulsatur, infidelitatis peccatum exprobrat, malos spiritus expellit. Hunc uero Marcus surdum & mutum describit, significans lunaticos, nunquam in eodem statu permanentes, sed per diuersa uitia crescentes, qui nec fidem confitentur, nec fidei sermonem audire sustinent.

Respondens autem Iesus, dixit: O generatio infidelis & peruersa, usquequo ero apud uos & patiar uos? Adduc huc filium tuum. Et cum accederet, elisit illum daemionium & dissipauit. Et increpauit Iesus spiritum immundum, & sanauit puerum, & reddidit illum patri eius.

Valde incredulus erat uir ille, propterea non exiit daemionium, uincebat enim infidelitas illius apostolorum fiduciam. Accedit enim coram omnibus, & accusat discipulos, ideo ei exprobrat dominus & discipulis pariter fidei imperfectionem, dicens: O natio diffidens, minimeque simplicis animi, quamdiu uerborum apud uos, & ista patiar? nondum hoc efficio ut mihi fidatis? adeo uobis obstat huius corporis imbecillitas? Et uersus ad hominem, simulque stipulatus ab eo fiduciam firmiorē, Adduc, inquit, huc filium tuum. Ut autem adductus est ad Iesum, rursus corripuit illum daemionem, elidens puerum in terram, moxque Iesus restituit eum sanitati, ac reddidit illum patri sanum, quem adduxerat insanabilem. Quo miserabilis fuerat mali spectaculum, hoc magis admirati sunt omnes praesentiam uirtutis diuinæ.

Stupebant autem omnes in magnitudine dei: omnibusque mirantibus in omnibus quæ faciebat, dixit ad discipulos suos: Ponite uos in cordibus uestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum. At illi ignorabant uerbum istud, & erat uelatum ante eos, ut non sentirēt illud, & timebant eum interrogare de hoc uerbo.

Quum huiusmodi factis indies inclaresceret fama Iesu, discipulorum animos tentabat quædam humana gloria, quod talem haberent dominum & magistrum, in cuius nomine patrarent & ipsi miracula. Iesus autem ab hoc affectu reuocare eos ad contemplationem humilitatis, qua post erant offendendi. Vos, inquit, delectat miraculorum gloria, sed magis refert ut hos sermones a quibus abhorret animus uester infigatis cordibus uestris. Hoc ergo oportet maxime meminisse, quod oportebat omnes imitari, de gloria ego uidero: futurum est enim quod iam dixi, & iterum dico, ut filius hominis cuius gloria uos nunc delectat, mox capiatur, & tradatur in manus hominum, & affligatur multis modis, ac morte demum afficiatur. Hic sermo tamen iam semel atque iterum auditus, non infederat animis discipulorum, non enim poterant meminisse quod non libebat audire: abhorrebant a mentione mortis intenti gloriæ Iesu, non intelligentes interim domini gloriam per crucis ignominiam potissimum illustrandam esse. Audiebant autem de morte, sed tanquam per somnium, nequaquam sentientes quid sibi uellet quod dicebatur, nec ausi tamen sunt illum interrogare quid sibi uellet hic sermo: memores, Petrum ingerentem sese audisse, Vade post me satana, non sapis ea quæ dei sunt, sed quæ sunt hominum.

Matth. 23. 4
Marc. 9. 6

F Intrauit autem cogitatio in eos, quis eorum maior esset. At Iesus uidentis cogitationes cordis illorum, apprehendit puerum, & statuit illum secus se, & ait illis: Quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit: & quicumque me receperit, recipit eum qui me misit. Nam qui minor est inter uos omnes, hic maior est.

Post hæc Iesus ibat Capharnaum. Discipulos uero carnales adhuc, quoniam uiderant miraculorum gloriam, quoniam audierant promissam maiestatem regni dei, quoniam ipsi quoque prodigiosa fecerant in nomine Iesu, subiectione humana quædam cogitatio, quæ tandem eò erupit, ut hac de re inter eundem in uicem commentarentur, quis esset primas habiturus in regno dei. Somniabant enim tale quiddam fore in regno cælorum, quale uiderant in oculis principum, aut in ædibus diuitem, ubi qui elatior est ac ferocior, is maior est. Iesus autem tamen non ignoraret quid inter sese disputassent, tamen egressus domum, interrogauit eos, quid hoc esset rei de quo inter eundem disputassent. Obicienscibus illis præ pudore, Iesus ut ostenderet se non latere cogitationes & clancularios sermones ipsorum, apprehendit puerum quendam, ac statuit illum iuxta se, & conuocatis duodecim, ait: Vos disputatis de magnitudine: & clancularios sermones ipsorum, apprehendit puerum quendam, ac statuit illum iuxta se, & conuocatis duodecim, ait: Vos disputatis de magnitudine: apud me maximi sunt, qui minimi sunt: quid hoc puero simplicius? quid humilior: tales oportet uos fieri, si uelitis esse primates in regno euangelico: nescit ambitionem, nescit dominatum, nescit tyrannidem regnum fidei & charitatis. Quisquis exceperit puerum hunc in nomine meo, me recipit: quisquis autem me recipit, recipit eum qui me misit. Si ego dominatum in uos exercui, disputate & uos de primatu: sin omnium potius commodis inseruiui, fugiens omnem huius mundi gloriam, scitote illum magnatem fore inter uos omnes, qui contempnit gloriam, qui modestia, qui seruiendi omnibus studio maximus fuerit omnium.

Respondens autem Ioannes, dixit: Præceptor, uidimus quendam in nomine tuo eicientem demonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Et ait ad illos Iesus: Nolite prohibere: qui enim non est aduersum uos, pro uobis est.

Audierant iam paruulos etiam esse recipiendos in nomine Iesu, ideo uenit in mentem Ioanni, quod quendam exclusissent ab euangelij consortio. Dubitat igitur quemadmodum omnes essent admittendi ad contubernium salutis euangelicæ, an itidem omnes essent admittendi ad functionem prædicationis euangelicæ & per actionem miraculorum. Suberat autem & hic tacitus quidam affectus inuidentiæ. Solis duodecim dominus Iesus donarat potestatem eicienti demonia ac sanandi morbos, Hanc dignitatem non putabant alijs communicandam. Ait itaque Ioannes: Præceptor, quum abs te missi pergeremus ad munus euangelicum, uidimus quendam eicientem in tuo nomine demonia, quum tamen non sit de numero duodecim, ac ne sequatur quidẽ te, hunc tanquam alienum à nostro contubernio prohibuimus, ne faceret. Iesus autem qui nusquam se patitur à spiritibus impijs prædicari, docet homines qualeseumque non prohibendos ab euangelico negotio, etiamsi parum sincero animo id faciant, Modo faciant, inquit, in Iesu nomine quod faciunt, & idem faciunt quod uos. Quisquis enim non aduersatur uobis hoc ipso pro uobis facit quod non facit contra uos. Rei nouæ ac modis omnibus diuulgandæ prodest omnis fauor.

fauor. Miraculum non est eius qui facit, sed eius qui uirtutem suam ædit per ministrum hominem. Quisquis igitur miraculum ædit inuocato meo nomine, illustrat gloriam meam, sibiq; ius adimit in posterũ male loquendi de me, cuius nomen expertus sit tam efficax.

Factum est autem, dum compleretur dies assumptionis eius, & ipse faciem suam firmavit ut iret in Ierusalem. Et misit nuncios ante conspicerent illum, & euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, ut pararent illi. Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ierusalẽ. Cum uidissent autem discipuli eius, Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, uis dicamus ut ignis descendat de celo, & consumat illos? Et conuersus increpauit illos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non uenit animas perdere, sed saluare.

Accidit cum instaret tempus quo Iesus relictis terris & terrena mortalitate per crucem recipiendus esset in cœlum, dominus ingressus esset iter, ipso uultu præ se ferens quod iret Hierosolymam, uelut occursurus ad mortis occasionẽ, præmisit itaq; nuncios ex apostolis aliquot in ciuitatem quandam Samaritanorum, qua erat iter, ut pararent sibi hospitium. Vt autem uenerunt, ciues occluserant eis portas ciuitatis, eo quod ex ipso habitu uultuq; coniectarent quod peterent Hierosolymam. Samaritani uero quoniã adorabant in monte Garizim, Iacobus autem & Ioannes qui missi fuerant, ubi uiderunt inhumanitatem ciuium, qui iubeamus ignem e celo descendere, quemadmodũ fecit Helias, qui consumat istos? Iesus autem ut ostenderet quantam oporteat esse mansuetudinem euangelici doctoris, increpatione coercuit illorum iracundiam, dicens: Nolite uobis Helie factum in exemplũ uocare, ille spiritu ductus, eius temporis perdidit impios, uos autem nondum intelligitis cuius spiritus uos esse oporteat, mansuetior est euãgelicus spiritus ille, erit olim uindictæ tempus: interim filius hominis uenit, non ut perdat animas, sed ut seruet: qui nunc excludunt, forsatis in posterum recipient; seruandi sunt igitur ut sint qui possint resipiscere.

Et abierunt in aliud castellum. Factum est autem ambulanti illis in uia, dixit quidam ad illum: Sequar te quocunq; ieris. Dixit illi Iesus: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, filius autem hominis nõ habet ubi caput suum reclinet.

Eo oppido relicto, diuerterunt in aliud oppidulum. Eo autem sermone prædicto Iesus exemit ex animis illorum omnem uindictæ cupiditatem, docuitq; lenitatem erga eos, qui primum excluderent doctrinam euangelicã, quod hos satis esset ad tempus relinquere, donec per occasionem conuerterentur ad doctrinam meliorem. Rursus autem accidit inter eundem, ut quereret non esse admittendos ad confortium euangelicæ functionis, qui non adferrent animos ei negotio pares, satius enim esse non suscipere negotium quàm a suscepto deficere, dixit illi: Vulpes habent suas latebras in terra, ac cœli uolucres habent suos nidos in arboribus, filius autem hominis non habet ubi reclinet caput suum. Non est igitur idoneus sectator huius, qui quicquam habet

Matth. 23. c

in hoc mundo, quo semet oblectet, aut in quo conquiescat, omnibus renunciet oportet qui me sequi uolet.

Ait autem ad alterum: Sequere me. Ille autē dixit: Domine, permittite mihi primum ire, & sepelire patrem meum. Dixitq; ei Iesus: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem uade, & annūcia regnum dei.

Rursus ubi conspexit alterum quendam, dixit illi, &c. Iesus subindicans omnibus officijs carnalibus præponendum esse negotium salutis, ait illi: Sine ut mortui sepeliant mortuos suos, &c. Hac imagine dominus illorum excusationem exclusit, qui prætextu pietatis humanæ differunt curam ac studium salutis æternæ. His deteriores sunt qui causatione rerum domesticarum prorogant & recrastringunt salutis negotium, quod ad primam statim occasionem peragendum est. Sepelire autem hoc loco significat curam gerere usq; ad sepulturam, quia & communis sermo ita habet, quum dicimus: Ille filius sepelijt patrem suum, hoc est, diligentem eius curam habuit usque ad mortem. Hoc autem dixit dominus, non prohibens nos ab alendis parentibus, sed docens pietatem præferendam incredulis parentibus, eo quod nullum ad uirtutem obitaculum esse debeat, & contemnendam etiam naturam propriam: ideo petenti sequi illum prius autem renūciare his quæ domi suæ, non concessit ire scilicet in domum suam & renūciare domesticis.

Et ait alter: Sequar te domine, sed permittite mihi primum renūciare his qui domi sunt. Ait ad illum Iesus: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno dei.

Summum & arduum est hoc negotium Christum sequēdi, & euangelium prædicandi quod qui semel aggressus sit, eum oportet perpetuo studio progredi ad perfectiora, nec deflectere animum ad curas sordidas rerum fluxarum. Agricola arans si retro respiciat, aut inutilem aut tortuosum facit sulcum, aut arantium bouum uestigia uulnerabit: sic qui aspectum suum ad impia & uana conuertit, bijugos suos, hoc est, corpus atq; animam uulnerabit, & optimi itinere periculosum nimis incurrit errorem.

CAPVT X.

Matth. 9. d

A Post hæc autē designauit dominus & alios septuaginta duos, & misit illos binos ante faciem suam in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipse uenturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

E numero discipulorū designauit Christus et alios septuaginta duos, quem admodum antea selegerat duodecim apostolos, quos mittebat binos in omnem ciuitatem in quam ipse decreuisset uenire, quo sua prædicatione præpararent animos in aduentum domini: & hoc instruxit ad munus euangelicæ prædicationis, quemadmodū prius instruxerat duodecim. Reddidit autē causam quare auxisset numerum prædicatorum. Messis, inquit, copiosa, operarij autē pauci. Rogate igitur dominum messis, ut extrudat operarios in messem suam. Late spargitur euangelij rumor, & plures accenduntur auiditate doctrinæ cœlestis, parati sunt animi, tantum desunt qui colligant homines ultro properantes ad regnū cœlorum, Septuaginta autē duo mittuntur, qui totidem linguarū gentibus euan-

bus euangelii prædicarent, ut sicut primo duodecim apostoli propter duodecim tribus Israel, ita & hi propter exterarum gentes destinantur imbuendas. Messis autem est turba credentium; operarii apostoli & apostolici uiri. Verbo quidem dei saturata est turba, tamen cultu & labore indiget, ne aues cœli sparsa semina dissipent. Et sunt quidem & hodie pauci operarii in Messis ecclesiastica, etiam dicente beato Gregorio. Ecce, inquit, mundus sacerdotibus plenus est, & tamen in messe dei rarus ualde inuenitur operarius, quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus.

Ita, ecce ego mitto uos sicut agnos inter lupos. Nolite ergo portare Matth. 10. 4 sacculum, neque peram, neque calceamenta, & neminem per uiam salutaueritis. Marc. 6. 8. 6 In quamcunque domum intraueritis, primum dicite: Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax uestra: sin autem, ad uos reuertetur. 4. Reg. 4. 6

Ita, inquit, igitur, meis præsidijis unice freti. Fremunt potentes ac mali aduersus doctrinam uestram, ijs uos nudos & inermes obijcio. Non enim mitto uos ut quenquam lædatis, sed ut simplices & innoxij studeatis omnibus prodesse. Ne quaerite igitur humana præsidia, quibus uos aduersus improborum uolentiam armetis: ac ne de uictu quidem sitis solliciti: expediti ite ad negotium euangelicum, neque sacculum, neque peram, neque calceamenta uobiscum portantes: nunquam uobis deerit quod naturæ & necessitati satis sit: ac ne de tecto quidem sitis solliciti, erunt qui uos excipient, tantum præstate uos puros & incorruptos ministros euangelicæ prædicationis. In quamcunque domum introieritis, primum precemini pacem toti familiæ: quod si ibi fuerit filius pacis, hoc est, homo cuius doctrinam mansuetæ doctrinæ, proderit illi uestra precatio, & amplectetur enim uobis bene ominantem: sin minus, ne poeniteat bene precatos fuisse: non geris hospitium, aut impudenter cuiquam uos ingeratis: res enim tanta non est obrudenda inuitis, nec ulli tamen non offerenda à uobis, quos ad hoc mitto spiritu meo imbutos. Neminem, inquit, per uiam salutaueritis, hoc est, festinanter contendite, ne alicuius obuij confabulatione reflectantur ab iniuncto itinere. Nec simpliciter ait, Neminem salutaueritis, sed locutione Hebræorum ut Hebraei, neminem in uia: ne salutationum colloquio obstaculum detur diuinis iniunctis. Sic enim propheta dicebat: Accinge lumbos tuos, &c. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum, & si salutauerit te quispiam non respondeas ei, &c. 4. Regum 4.

In eadem autem domo manete, edentes & bibentes quæ apud illos B sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in Matth. 10. 6 domum. Et in quamcunque ciuitatem intraueritis, & susceperint uos, man- 1. Timot. 5. 6 ducate quæ apponuntur uobis, & curate infirmos qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquauit in uos regnum dei.

Quilibet ac prompte uos receperit apud illum manete, non affectantes uitæ delicias, sed pro necessitate corporis edentes ac bibentes, quæ apud illos fuerint, quæ pro ipsorum communi usu suppeditare sine ipsorum grauamine, possunt. Aequum est enim, ut qui laborat in euangelico negotio, uiuat ex liberalitate eorum quibus laborat, si non aliunde suppetat unde uiuat. Illud item cauendum, ne ex alijs edibus in alias demigretis, quasi fastidito priori hospitio,

lautius & instructius quærat: sit uobis satis quodcumque primum obtigerit. Quod si contingeret uos ingredi ciuitates, si uos exceperint ciues, edite ac bibite sine delectu ciborum, nulloque fastidio quicquid uobis apponitur. Quocumque grauiores sitis hospites, maioremque cum fide prædicetis regnum dei, sanate agros eius ciuitatis, restituite debiles et mancos, liberate daemónicos: atque hæc omnia gratis ac prompte facite, neminem reijcietes, neque pauperem, neque diuitem. Ac tum dicite illis: Videtis argumenta uirtutis diuinæ, præparate animos uestros ad innocentiae studium, iam enim aduentat ad uos regnum dei, pelluntur morbi corporum, mox profligabuntur & animorum morbi peccata.

In quacumque autem ciuitatem intraueritis, & non susceperint uos, exeuntes in plateas eius, dicite: Etiam puluerem qui adhæsit nobis de ciuitate uestra, extergimus in uos: tamen hoc scitote quia appropinquauit regnum dei. Dico uobis, quia Sodomis in die illa remissius erit, quam illi ciuitati.

Quod si quam ciuitatem fueritis ingressi, in qua nemo sit qui uos recipiat, nolite illic supplices ambire hospitium, sed prodite in plateas eorum, atque ibi publice palamque dicite: Gratis obtulimus uobis nuntium æternæ salutis, quoniam autem ipernitis officium nostrum, nihil uolumus à uobis beneficii: ecce etiam puluerem qui adhæsit pedibus nostris extergimus in uos, testimonium à nobis oblati & à uobis sprete felicissimi nuntii, quod nolentibus ingeri non debet: illud tamen scitote, quod siue receperitis siue non receperitis, in proximo uobis regnum dei: si receperitis, ueniet uestro bono, sin minus, ueniet uestro malo. Hac uindicta uos eritis contenti, sicubi spreuerint uos, ueniet illis ultio suo tempore. Nam illud affirmo uobis, quod in illo die supremi iudicii mitius agetur cum Sodomis, quam cum illa ciuitate quæ tantam dei benignitatem gratis oblatam spreuit. Omnes mirantur seueram dei uindictam in Sodomos, sed hoc illos subleuat, quod non fuerint tot modis prouocati ad resipiscenciam. Et Iudæi sibi placeat, quod non fuerint tot modis prouocati ad resipiscenciam, quos ira dei horrendo exemplo funditus sustulit: sed horribilior uindicta manet ipsos, si tot beneficijs, tot miraculis prouocati, neglexerint ac spreuerint dei bonitatem.

C Væ tibi Chorozaïn, uæ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent uirtutes, quæ factæ sunt in uobis, olim in cilicio & cinere sedentes, poeniterent. Veruntamen Tyro & Sidoni remissius erit in iudicio quam uobis. Et tu Capharnaum usque ad cælum exaltata, usque ad infernum demergeris.

Israeliticis uobis urbibus Chorozaïn & Bethsaida uæ prædicatur, nam si in gentium urbibus Tyro & Sidone quas uos abominamini, prodita fuissent miracula quæ prodita sunt in uobis, iam olim resipuissent, & in cilicio & cinere sedentes agerent suorum peccatorum poenitentiam, quum uos interim erectis aduersus deum ceruicibus uobis ipsis placeatis. Et tibi uæ Capharnaum, quæ nunc opibus tumens, delicijs affluens, usque ad cælum exaltata, in die illo deficiet usque ad inferos. Impleta uidemus uerba saluatoris, quia cum illæ ciuitates domino præsentate & prædicante credere noluerunt, Tyro & Sidone post euangelium Christi discipulis prædicantibus, deuote susceperunt. Quare autem sit prædicatum euangelium non credituris, & non prædicatum à Christo credituris, nouit in specie qui omnia nouit.

Qui

Qui uos audit, me audit: & qui uos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum qui me misit. Matth. 10. d
Ioan. 13. c

Quamquam, inquit, uos estis humiles legati, quoniam tamen meo nomine uenietis, & inestimabile dei donum annunciabitis, non erit leuis cōdemnatio spernentium. Qui uos audit, me audit qui per uos loquor: contra, qui uos spernit, me spernit: porrò, qui me spernit, spernit eum qui me misit. Etenim ex me nihil loquor, quod nō acceperim à patre: neq; uos quicquam loquemini, quod ex me non didiceritis. Itaq; ut mea doctrina patris est, non mea: ita uestra prædicatio mea erit, non uestra.

Reuersi sunt autem septuagintaduo cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: Videbā fatanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce dedi uobis potestatem calceandi super serpentes & scorpiones, & super omnem uirtutem inimici, & nihil uobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus uobis subiiciuntur: gaudete autem quod nomina uestra scripta sunt in cœlis.

His sermonibus instructos dominus Iesus, emisit septuaginta discipulos, facturos sui periculum in euangelij prædicatione. Cum autem res mire successisset, reuersi sunt cum gaudio, dicentes: Domine, non solum morbi pelluntur, uerum etiam dæmonia subiiciuntur nobis in tuo nomine. Iesus autem quo munitiorum animos aduersus morbum inanis gloriæ, qui sanctis etiā solet obrepere, proponit illud exemplū Luciferi, à patribus per omnia sæcula celebratū, ut quædam talia etiam extra scripturas prædicata fuerunt & tradita, uulgi opinione suscepta & relata. Is Lucifer ob superbiam à tanta felicitate subito deiectus est. Videbam, inquit Christus, fatanam fulguris ritu de cœlo cadentē: insignis erat illius dignitas in cœlis, & tamen ob animi tumore subito deiectus est à summis ad ima. Quanto magis uobis cauenda superbia, qui mortale corpus circumferatis, omnibus obnoxij periculis? Magna est potestas quam tradidi uobis, sed des euangelio: non ut inde insolesceretis, sed ut per miracula conciliaretur uobis potestatem qua conculcatis serpentes & scorpiones: aut si quid aliud est, hoc non nocere inimicus fatanas, nihil horum nocebit uobis. Veruntamen deus non expedit uobis gloriari, quod spiritus subiiciantur uobis, sicut ista etiam per reprobos: sed de hoc gaudete quod nomina uestra scripta sunt in cœlis: nā eò uos subuehet uestra modestia, ueraq; simplicitas, unde corruit per arrogantiam Lucifer, si perstiteritis in eo quod cœpistis.

In ipsa hora exultauit in spiritu sancto, & dixit: Cōfiteor tibi pater, Domine cœli & terræ, quod abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam pater, quoniam sic placuit ante te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo scit quis sit filius, nisi pater: & quis sit pater, nisi filius, & cui filius uoluerit reuelare. Matth. 11. d
Matth. 11. d

Hæc locutus dominus, mox cœpit exultare spiritu sancto, ac de successu euangelij secundū hominem patri gratias agere, nos interim instituens exemplo suo, ut si quid feliciter cesserit nobis conantibus, exulemus nō humano affectu pro nobis, sed gaudio spirituali: non nobis arrogantes ullam gloriæ pora

tionem, sed gaudentes ex animo illustrari gloriam dei, gaudentes de profectu proximi. Gratias, inquit, ago tibi, domine pater & conditor cœli ac terre, quod hæc tam sublimia cœlaueris eos qui iuxta mundū & sibi sapientes habentur ac prudentes, ac reuelaris ea paruulis, pusillis, humilibus, idiotis, & iuxta mundū iudiciū imprudentibus. Sic profecto factū est pater, quia sic placuit æterno tuo consilio, ut reiectis elatis, per humilitatē eueheres pios & modestos homines ad ueram sublimitatē. Nulla est authoritas quā mihi nō tradiderit pater. Ne quid timeatis mundū, scientes uos habere potentē dominū: summa enim potentia à patre est in filio, sicut summa entitas & perfectio: omniumq; perfectionū societas inter patrem & me: una quoq; uoluntas & concordia uoti, quia eadem substantia: imò nemo plane nouit filiū quis sit, & qualis quantusq;, nisi pater, qui genuit ab æterno consubstantialē sibi filiū: neq; quisquam nouit quis sit, & quantus pater, nisi filius & uerbū in quo creauit omnia quæ facta sunt, ex ipso ante omnia sæcula natus, & si cui uoluerit filius reuelare: non reuelat autem nisi si modestis, mansuetis & pie credulis.

Matth. 13. b

Et conuersus ad discipulos suos, dixit: Beati oculi qui uident quæ uos uidetis. Dico enim uobis, quod multi prophetae & reges uoluerunt uidere quæ uos uidetis, & non uiderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.

Conuersus post prædicta ad apostolos suos, gratulatur illis eam felicitatem, quæ negata esset summis etiam uiris. Beati, inquit, oculi qui uident, uerbū caro factū, in benedicta humanitate uiuentē, & mysterium salutis in mundo nunc perficientem, quæ uos uidetis. Illud enim pro certo confirmo uobis, quod multi prophetae & reges populi Israelitici, optauerunt uidere promissum à sæculis Christum dominū, & redemptionis pignus ac salutis, quæ uos nunc humiles ui detis, & non uiderunt: & audire euangelicam prædicationem, quam auditis, et non audierunt. Agnoscite felicitatem uestram, sed fugite insolentiam: sumite sanctam superbiam aduersus omnia quæ mundus hic ut sublimia miratur, quæ exigua sint ac sordida præ his quæ uobis donantur.

Matth. 22. d

Marci 12. c

Deut. 6. a

Et ecce quidā legisperitus surrexit, tentans illum, et dicēs: Magister, quid faciendo uitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens, dixit: Diliges dominum deum tuū ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum sicut teipsum. Dixitq; illi: Recte respondisti, hoc fac, & uiues.

Quodam die quū dominus Iesus disputans cum Iudæis imposuisset silentiū Sadducæis, qui tentandī gratia quæstionē proposuerant de uxore septem uiris nupta, quis eam esset omnium habiturus in resurrectione, accessit ad eum quidā scriba legisperitus, uelut ex intima legis cognitione quæstionē proposuit. Magister, inquit, quod est præcipuū præceptū dei, quo seruando possim assequi uitā æternā? Iesus respondet: Quod ex me quæris, hoc alij debebant ex te discere: siquidē tu legis peritiā, pferis, in ea quid scriptū est? aut quomodo tu legis quod ibi scriptū est? Ille respondit: Diliges dominū deum tuū, &c. ex tota mēte tua, quia satis diligī non potest: post hunc autem diliges proximum tuum sicut teipsum. Iesus autē responsum approbans, ait: Tenes quid sit optimum, nihil super est nisi ut præstes quod intelligis, id si feceris, uiues. Nec enim cognitio legis dat uitam

uitam, sed ex fide in deum deuota obseruatio: qui enim non credit, nihil huiusmodi facit: qui domini uoluntatem facit, testatur facto se ex animo credere deo.

Ille autē uolens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus? Suspiciens autem Iesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Hiericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum: & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto.

Hoc domini responso tactus pharisæus, quod uerba legis teneret, quum id quod esset in lege præcipuum non obseruaret, quoniam tumebat inani gloria, noluit agnoscere uitium suum, sed perinde quasi iam præstitisset abunde præceptum de diligendo deo, quæstionem mouet de proximo, Quis, inquit, est meus proximus? quasi deum diligeret, qui in proximum immitis & maleficus esset. Iudæi uero proximi nomen ferme interpretabantur de suæ gentis hominibus, existimantes sibi fas esse odisse exteros, nec in hos quicquam conferre benedictionem. Iesus itaque sciens animum hominis, respondet huiusmodi similitudine, rem totam mystica quadam imagine depingens, ac ponens ob oculos; docensque dei præceptum de diligendo proximo non esse circumscribendum, quum sapenumero fiat, ut qui genere proximus est, alienior sit affectu quam hostis. Homo quidam, inquit, proficiscens ab Hierosolymis Hiericho, incidit in latrones, qui non contenti spoliassent uestibus miserum, inflicti etiam multis uulneribus, reliquerunt eum in uia semiuiuum, illic periturum si nemo succurrisset, atque eo facto abierunt ipsi in mortis periculo proximum contemnentes.

Accidit autem, ut sacerdos quidam descenderet eadem uia, & uiso illo, præteriiuit. Similiter & Leuita, cum esset secus locum & uideret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, uenit secus eum, & uidens eum, misericordia motus est. Et appropians, alligauit uulnera eius, infundens oleum & uinum: & imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcumque super ebi rogaueris, ego cum rediero, reddam tibi. Quis horum trium uidetur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi Iesus: Vade, & tu fac similiter.

Sacerdos primum per eandem uiam faciebat iter, is cum ob religionis professionem potissimum præstare debuerit dei præceptum, tum Iudæus Iudæum, & Hierosolymitam Hierosolymitam, spoliatum, saucium, semiuiuum uidit, nullaque misericordiae affectu tactus præteriiit. Post hæc accidit, ut eadem transiret Leuita quidam, a quo merito quis expectasset obseruationem præcepti diuini, quod deditus templo frequenter sacris operaretur, & is quoque uiso saucio præteriiit, neque quicquam opis attulit fratri ac populari suo. Post hos accidit, ut Samaritanus quidam illac iter faciens, conspiceret spoliatum & semiuiuum, & admirans quid esset, accessit propius, & intellecta hominis calamitate, misericordia motus est erga Iudæum, quum ipse esset Samaritanus. Porro Iudæi uementer abominantur Samaritanos. Nec solum misertus est, sed neglecto itinere dispedit, uinum & oleum infudit uulneribus, deinde obligauit: nec hoc officio contentus, imposuit illum in iumentum suum, ac deportauit in diuerso-

rium, atq; illic diligentius etiam illius curam egit: quoniam autem urgebat itin-
 neris necessitas, deprompsit duos denarios, deditq; hospiti meritorio, ut tantu-
 sper haberet curam uulnerati, donec ipse peracto itinere redisset, dicens: Has
 bes pretium, de meo cura hunc, quod si quid impenderis ultra summam hanc,
 tibi nihil peribit, mihi imputa quum rediero, & quicquid impederis resoluam.
 Hac locutus dominus, dixit legisperito: Quis horum trium tibi uidetur fuisse
 proximus ei, qui inciderat in latrones? Tum legisperitus: Is, inquit, qui misera-
 tus subuenit misero. Subiecit Iesus: Et hic recte respondisti, fac ut uita respon-
 deat orationi, & Samaritano malis esse similior quam sacerdoti & Leuita. Hac
 parabola dominus taxauit Iudæorum arrogantiam, qui sibi uidebantur abun-
 de obseruare ac diligere deum, quod illius templum adirent, quod immolarent
 uictimas, quod illius præcepta circumferrent in fimbrijs uestium, quod deum
 ac dominum semper haberent in ore, quum deus nihil moretur istiusmodi cultu-
 tum, sed occulto syncerae puræq; mentis affectu magis delectetur. Cæterum
 erga proximum nullo charitatis affectu tangebantur, sibi proprie uiuentes, &
 inidentes etiam quibus oportebat opitulari. Quod si quid officij præstabant,
 non præstabant nisi sui generis hominibus, quum oporteat omnem hominem
 esse proximum homini, si quando res poscat subsidium. Sacerdos & Leuitage-
 nere proximi erant uulnerato, sed Samaritanus genere hostis, charitate proxi-
 mus erat. Iudaica religio gentem discernit, Euangelica pietas nescit huiusmodi
 diuisionem, gestiens omnibus benefacere, nullo personæ respectu. Quem ad-
 modum ipse dominus uenit seruandis omnibus, aliquando Iudæis probri gra-
 tia dictus Samaritanus: sed non offendit uniuersas orbis nationes ignominia
 uocabuli, quum rem nominis experiantur salutarem. Samaritanus enim Syris
 custodem sonat. Erat nimirum uerus pastor, qui nihil è suis perire patiebatur,
 quamuis morbidum, quamuis contractum & erraticum, sed omnes optabat
 fieri participes salutis æternæ, quod quidem in ipso fuit. Vniuersum genus hu-
 manum malitia satanæ spoliatum, innocentia uestibus sauciatum, omni uitio-
 rum genere abiectum, destitutum, semiuuum, ac desperationi proximum, des-
 cendens è cælo inuisere dignatus est, quoq; facilius opitulari posset, assumpta
 hominis natura, proxime accessit ad hominem, uidens ac uisus, audiens & au-
 ditus, contrectans & contrectatus, ac misertus nostræ calamitatis, nostra pec-
 cata sustulit in corpore suo, de suo dependit quod nos commerueramus, ac no-
 stri curam egit, qui nullum peccatorem quamuis humilem aut abiectum averti
 satus est: quum interim sacerdos fastuosus prætereat morientem, quum Leuita
 negligat deploratum, pergens quæ ræperat, ne quid dispendij capiat in res-
 bus huius mundi, dum proximo subuenit. Habet autem hic Samaritanus ho-
 spites suos, quibus ipse proficiscens in cælum saucium curandum committit,
 promisso in cælis præmio, si quid ex abundantia charitatis supra quam præce-
 ptum erat impenderint sanando misero. Hi nimirum sunt apostoli, & apostolo-
 rum successores apostolici uiri, per quos etiam hodie curat genus humanum,
 & à latronum uiolentia colligit in ecclesiæ diuersorium, ubi sanantur peccato-
 rum uulnera. Vtrumq; autem præceptum impleuit, qui in Christo & deum dili-
 git supra omnia, & hominem optime meritum ut seipsum. Diligitur autem in
 membris suis, in quibus & offenditur, & afficitur ignominia & occiditur. Hac
 parabola cū dominus docuisset quantopere essent amandi, qui doctrinæ euan-
 gelicæ uacantes, nihil aliud agunt quam ut à Iesu discant salutiferam doctrinam,
 quam omnibus impartiant, quicq; relictis officijs corporalibus, toti uacant his
 quæ

quæ sunt animi: casus extitit per quem hoc quoque documentum animis nostris infingeretur. Sic enim efficacius formantur crassorum & rudium animi.

Factum est autem dum irent, & ipse intrauit in quoddam castellum, & huic & mulier quædam Martha nomine, excepit illū in domū suam, & huic erat soror nomine Maria, quæ etiā sedens secus pedes domini, audiebat uerbum illius. Martha autem satagebat circa frequens ministerium,

Quō dominus Iesus à cæteris rebus ueluti otiosus obambulare cum discipulis, qui relictis terrenarū rerum curis uni euangelio uacabant, euenit ut ingrederetur oppidulum quoddam, illic mulier quædam nomine Martha excepit eum hospitio: huic erat soror nomine Maria, Par erat utriusque pietas in domino, sed diuersa uitæ ratio, diuersa pietatis functio: quemadmodū in uno corpore sunt usus membrorum uarij, & in corpore Iesu, quod est ecclesia, uaria sunt dona spiritus. Nam Maria feruata à rebus domesticis negotijsque, assidebat ad pedes domini Iesu, audiens sermones illius, quibus adeo rapiebatur, ut oblita cæterorum non posset auelli: contra, Martha sollicita de apparatu conuiuij, sursum ac deorsum cursitabat, tumultuabatur, satagens, ne quid omnium deesset, quæ ad suauiter excipiendum dominum eiusque discipulos pertinebant. Eadem charitas erga dominum habebat utramque, sed Mariam non patiebatur auelli ab illius pedibus: Martham sursum ac deorsum circumagebat, nec patiebatur adherere sermonibus domini. Sic eadem pietas duas sorores in Iesu diligendo conuincit, ad res diuersas agebat.

quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare: dic ergo illi ut me adiuuet. Et respondens, dixit illi dominus: Martha Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Martha quum ægre sufficeret omnibus obeundis quæ pertinebant ad apparatum, & uideret sororem feruatam, assidentem ad pedes Iesu, non exposulat eam sorore, quam sciebat auelli non posse, sed Iesum subincusat, qui illam suis sermonibus à necessaria functione remoraretur. Domine, inquit, nō est tibi cura, quod soror mea patitur me solā ministrare: iube igitur, ut me adiuuet, alioquin scio nō auelletur abs te, nisi tu iusseris, tanta est dulcedo sermonum tuorum, sed interim apparandum est conuiuium, nec una par sum omnibus obeundis. Ibi dominus utriusque foeminae delectatus affectu, Martha sedulitatem non improbatur, nec obiurgat obmurmurantem sorori, sed Mariam subleuat: Martha, inquit, tu quidem sollicitudine torqueris apparandi conuiuium, ac tumultuaris distraherisque circa multa. Cæterū unum est præcipue necessarium, quod semper agendum erat, si liceret. Peragito tu functionem tuam, qualis quæ sit apparatus, Maria delegit partem longe potiorem, quæ oblita eorum queritur ab optimis quæ delegit, ac protrudatur ad inferiora ministeria. Grata est mihi tua pietas, quæ mihi meisque pro tempore necessarium parat conuiuium, sed suauius reficitur ab his qui sermones meos traiciunt in uiscera animarum suarum, ut salui fiant. Hic est enim cibus qui me unice pascit: hic est potus qui me unice reficit. Qui curat ea quæ sunt corporis, in uarias curas distrahitur, & horum officiorum tunc erit finis, quum apparente immortalitate cessabunt neces-

fitates, quibus nunc humanæ naturæ discriatiatur imbecillitas. Cæterum com-
pendium facit, qui curis huiusmodi proiectis, totus rapitur ad cœlestia, semet
in unum colligens: sed quod est uno omnibus cæteris præstantius, cuius felici-
tas non eripietur, sed augebitur, quum abolebitur quod imperfectum est, & ape-
rietur quod perfectum est. Non sunt interim carituri mercede sua, qui, quod tu
facis, pio studio subueniunt corporum necessitati tractantiū rem euangelicā,
qui pascunt famelicos, qui uestiunt nudos, qui uisunt ægros, qui adeunt in-
ctos, qui tecto iuuant uagos & hospitij egentes. Erunt & illi consortes euange-
lici præmij, sed quemadmodum in corpore plus agit oculus otiosus quam ma-
nus assiduæ, uarijs ministerijs seruiens: ita qui toti uacāt his quæ proxime per-
tinent ad æternam salutē, tamen uideantur à corporalibus officijs feriat, plus
tamen agunt, quia rem præcipue necessariam & perpetuò duraturam agunt.
Nec decet alteros alteris obmurmurare, quando pro suo quisq; dono, quod ac-
cepit à deo mihi seruit in membris meis.

CAPVT XI.

AT factum est, cum esset in quodā loco orans, ut cessauit, dixit
unus ex discipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, sicut
docuit & Ioannes discipulos suos. Et ait illis: Cū oratis, dicitur:
Cum dominus docuisset uacare doctrinæ cœlesti, quā nemo synceriter tra-
ctare potest, nisi semet excutiat ab omnibus huius mūdi curis & cupiditatibus,
supererat ut & orandi formulam doceret. Est enim precatio ueluti purissima ui-
ctima religionis euangelicæ, ad quā Iesus frequenter secessit, suosq; discipulos
consuefecit. Estq; precatio secretus ille congressus, quæ mens humana cum
omnibus curis & phantasmatis rerū terrenarū, ueluti subuecta in cœlum, cum
deo miscet colloquium. Orabant autem & frequenter & prolixè pharisei, sed
tristes & in publico. Orabant & discipuli Ioānis: orabāt & Samaritani in mon-
te suo: habebat & Ethnicorum religio suas preces. Quoniam autem nec idem
orandi ritus erat omnibus, nec eadē petebantur, cupiunt apostoli sibi formam
à Christo præscribi, quā sequi debeant. Itaq; quum Iesus ex more suo secessisset
cum discipulis orandi gratia, precatione peracta, quidā è numero discipulorū
dixit illi: Domine, quoniam tui sumus discipuli, par est ut ex tuo præscripto facia-
mus omnia. Doce igitur & orandi formā, sicut Ioannes cum uiuere docuit dis-
cipulos suos. Iesus autē, quum multis uerbis docuisset suos Christianorū pre-
cationē, nec oportere prolixā esse, nec ad ostentationē paratam, nec de rebus
quibuslibet præscripsit huiusmodi formā: quæ tamen cōmunis est omnium, tamē
peculiaris conuenit uiris euangelicis, quibus uelut exemptis ab hoc mundo,
omnis labor in hoc est, ut inter bonos illustret gloria dei, & indes magis ac ma-
gis uigeat regnū illius, deiecto satanæ regno. Et quemadmodum in cœlis, unde
præcipitatus est Lucifer cum suis coniuratis, nulla est aduersus diuinā uolunta-
tem rebellio: ita inter dei filios successuros in locū angelorum electorū, omnia
fiant ex uoluntate patris cœlestis, ut ille pascat suos pane doctrinæ cœlestis gra-
tiaq; qui uegetet & saginet animas in uitam æternā. Et si quid per humanā fra-
gilitatem cōmissum fuerit aduersus illius uoluntatē, ueluti propitius pater cle-
menter condonet filijs suis, quemadmodū ipsi inter sese uicissim agnoscunt, si
quid alter in alterū admiserit. Et quoniam quamdiu uersantur in hoc mortali cor-
pore, ut p̄ficere possunt ad meliora, ita prolabi possunt ad deteriora, præsertim
huc modis omnibus sollicitante tyranno satana, ut patris præsidio tuti sint ad-
uersus

uersus huius machinamēta, utq̄ aut nō incidāt in tentationē, aut si inciderint, eo p̄egente qui potētior est, uictōres discedant. Hęc est autē forma precandī.

Pater, sanctificetur nomen tuū. Adueniat regnū tuum. Panē nostrū quotidianū da nobis hodie. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidē et ipsi dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tētationem.

Pater noster cœlestis, nos in terris constituti, quos tua bonitas dignata est uocabulo filiorū, oramus te, ut per nostram doctrinā ac uitam tua potentia, tua sapientia, tua bonitas, magis ac magis innotescat hominibus, & intelligant omnem gloriā tuo deberi nomini, unde proficiscitur quicquid est præclarum, siue in cœlis siue in terris, quo quamuis humiles ipsi possimus in te gloriari. Hactenus toto orbe regnauit satanas per peccatum, cui seruierunt homines illecti cupiditatibus impijs, tu fac ut sublatis peccatis, & effuso tuo in eos spiritu, tuæ uoluntati pareant omnes, utq̄ te quotidie largiente cœlestem alimoniam tuæ gratiæ semper proficiamus in melius, donec perueniamus ad perfectionē euangelicæ pietatis. Porro quoniā homines sumus, si quid per errorem aut infirmitatē deliquerimus in te pater, ne desinas tuis esse ppitius, sed pro tua clemētia conter admiserit in fratrem, quo pax constet inter nos, & pacem habeamus tecum. Quoniam autē nouimus malitiā & uires illius mali tyranni, unde tua paterna bonitas nos redemit, ne sinas nos rursus ab illo uinci, sed si pateris ad p̄bationem patientiæ nos affligi, uel per illum uel per illius satellites homines impios, tuo præsidio uincamus, & illius assultus nobis cedat in bonum.

Et ait ad illos: Quis uestrū habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus uenit de uia ad me, & non habeo quod ponam ante illum: & ille deintus respondens, dicat: Noli mihi molestus esse, iam ostiū clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, non possum surgere & dare tibi. Et ille si perseverauerit pulsans, dico uobis: Et si non dabit illi surgens, **B** eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios.

Quo magis excitaret suos ad instantiam orandi, & impetrandi fiduciam adderet, adiecit huiusmodi parabolam: Quam exorabilis, inquit, sit deus, naturae beneficus erga filios suos ex uobisipsis coniecturam facite. Si quis uestrū egeat necessarijs, & habeat amicum, audebit illum etiam medio noctis adire, ac pulsatis foribus dicere: Amice da mihi cōmodato tres panes, quoniā amicus quidam meus de uia ueniens, subito oppressit me uespertinus hospes, nec habeo domi quod illi apponam edendū. Ac fortassis amicus ille non statim largietur quod petis, sed grauens aperire fores noctu, respondebit intus: Noli mihi molestus esse nocturnus postulator, iam ostiū meum clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili, nō possum surgere et dare tibi quod petis. Quod si is qui panibus eget, non statim ad hanc excusationē abierit, sed perseveranter pulsauerit fores amici, illud affirmo uobis, etiā si nō moueat illū respectus amicitiae, tamē uictus improbitate precantis, surget & dabit illi, non solum tres panes, sed quotquot opus habuerit. Si tantum homini ualet improbitas orandi apud hominē, quanto magis ualebit apud deum; qui delectatur huiusmodi improbitate, non offen-

ditur, Et si quando differt dare quod petitur, non paritas est in causa aut difficultas, sed in hoc accendit desiderium nostrum, ut uberius donet quod feruentius petimus, & nos charius habeamus quod improbis precibus impetratum est.

Matth. 7. 4. 21. c

Marci 11. c

Ioan. 14. b. 16. e

Iacob. 1. a

Et ego dico uobis, Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti, aperietur.

Si id igitur amicus egens faceret apud amicum hominē, hoc multo magis unusquisque uestrum audeat facere erga benignum patrem deum, cui grata est talis importunitas, & qui dando exhauriri non potest. Ab hoc igitur ardentibus uotis petite, si quid opus est, & dabitur uobis: quærite si quid ignoratis, & inuenietis afflatu spiritus paterni, quod humano ingenio percipi non poterat: pulsate precibus, addendo elemosynas in proximis, & aperietur uobis. Hac est improbitas qua ueluti uincitur & expugnatur deus. Apud hominem nonnumquam incassum funduntur preces, uel quia non potest præstare sine suo dāno quod rogatur, uel quia non uult: uerū apud deum quisquis petit, accipit: quilibet quis quærit, inuenit: quisquis pulsat, huic aperietur. Nouit autem pater uester quæ conducant ad salutem æternam, hæc libenter donat rogatus.

Matth. 7. b

Quis autem ex uobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum, nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo uos cum sitis mali, nostis bona dare filiis uestris, quanto magis pater uester cœlestis de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?

Pater si à filio rogaretur per errorem noxia, pro beneficio duceret negare quod male peteretur, sed pro optatis daret salutaria. Efficat hoc pietas parentum carnalium erga filios, ut negare non possint ipsos quos genuerunt, si rem petant ad corporis salutem pertinentem. Cōiecturam ex uobis ipsis facite: quis enim est ex uobis, qui si ex patre suo petat panem, existimet filio daturum pro pane lapidem? Aut si petat piscem, putet eum pro pisce porrecturum serpentem? Aut si petat ouum, existimet illum pro ouo daturum putamine tectum scorpionem? Quod si tantum ualet naturæ pietas apud homines, alioqui malos, ut in filios utilia petentes benigni sint: quanto magis pater uester, qui pater est spirituum, qui natura bonus est, impartiet uobis de cœlo spiritum suum bonum, omnia bona largiturum, si petieritis ab ipso? Habet & satanas spiritum suum, quem inspirat suis, ad omnia mala sollicitatorem: habet & mundus spiritum suum, quem in morem rerum fluxarum illectantem. Cum hoc spiritu nullum est consortium spiritui patris cœlestis: alter exeat oportet, ut alter immigret in pectus.

Matth. 9. d. 12. b

Marc. 3. c

Et erat eiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eicit dæmonia. Et alij tentantes signum de cœlo quærebant ab eo.

Ecce casus qui poneret ob oculos quid malus spiritus ageret in animis iudeorum, spiritui sancto reluctantium. Adductus est ad Iesum quidam obnoxius malo dæmonio, id erat non simplex, sed simul & mutum & cæcum, uel Iesum nec posset aspiceret nec appellare. Iesus autem ultro misertus calamitosi, iussit exire dæmonium, & exiit. Et ecce aderant Iudæi quidam, quorum animos periculosius possidebat satanæ spiritus, quam impurus ille dæmon corpus hominis.

minis possederat, quorum alij calumniabatur à dæmonio factum miraculum, dicentes quod hæc faceret non uirtute diuina, sed præsidio Beelzebub principis dæmoniorum; rursus alij post tot conspecta miracula diffidentes adhuc, postulabant ab eo signum aliquod insigne de cælo, quo planè constaret illum habere cum deo cõmeritum, qui in cælis habitat, et non cum spirítibus immundis, quorum præstigia nasci solent è terra. Hoc autem dicebant tentantes dominum, nihilo magis illi credituri, etiamsi quod postulabatur fecisset, sed siue fecisset siue non fecisset, habebant paratam calumniam.

Ipsè autem ut uidit cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in seipsum diuisum, desolabitur, & domus supra domum cadet. Si autem & satanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum eius, quia dicitis in Beelzebub me eijcere dæmonia? Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia, filij uestri in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices uestri erunt. Porro si in digito dei eijcio dæmonia, profecto peruenit in uos regnum dei.

Dominus Iesus ut uidit impias illorũ cogitationes, ad impiam calumniam respondit in hunc modum: Quomodo cõsistet uestra calumnia? Videmus nullum regnum posse consistere, si intestinis dissidijs secum pugnet: quod si fit, necesse est ut desoletur, & publica ruina domus supra domum concidat. Quod si uerum est id quod cogitatis me præsidio Beelzebub principis dæmonium eijcere nos spiritus inter sese discordes pugnare, & alios ab alijs profligari: iam si satanas pugnat aduersus satanam, quomodo consistet regnum illius? Videtis eijci dæmones, & fatemini noxios esse quos eijcio, unde igitur conijcitis hæc fieri præsidio Beelzebub potius quàm dei? An Beelzebub solet hominũ salutem conseruare, & suos satellites per quos exercet tyrannidẽ suam è possessionibus suis exigere? Et tamen si hoc fiat, arguit mox periturum satanæ regnum & instare regnum dei. Simpliciter uerbo eijcio, gratis eijcio, nihil adhibeo magicorum caritatem aut præstigiõrũ. Factum improbare non potestis: cur boni operis gloriã diuinae auctoris Beelzebub ascribere quàm deo? Quod si hoc uobis persuadet o uidistis idẽ facientes, cuius præsidio profligunt dæmonia? Simples sunt, idio-unt: sola fiducia erga deum faciunt quod faciunt. Et ideo his iudicibus cõdem- nabitur uestra incredulitas: horum simplicitas credidit, quum uestra prudẽtia pugnet aduersus gloriam dei. Itaq; cum absurdum sit dicere, quod malus dæmonia quàm malum dæmonem, nec alterius præsidio uestri filij eijciant dæmonia cuius ego eijcio, constat me malos dæmones eijcere uirtute boni dei. Huius enim spiritus potentior est omnibus spirítibus impijs, nec huic quicquã omnino cum illis conuenit: siquidem hic amat salutẽ humani generis, illi quærunt perniciem. Quod si palàm est me uirtute dei peragere quæ uidetis, dubiũ non est quin peruenerit in uos regnum dei, quod Ioannes instare prædixit. Huic igitur æquum est uosmet adiungere, & à satanæ regno mox interituro abducere. Non potestis utriusq; regni cõfortes esse, irreconciliabile bellum est satanæ cum deo, res nullis conditionibus componetur: aut uincet, aut uic- pelletur: non ueniet in deditiõnem, non præscriptis legibus recipietur.

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior illo superueniens uicerit eum, uniuersa arma eius aufert, in quibus confidebat, & spolia eius distribuit. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit.

Hactenus impune regnauit, sed adest uis illius tyranni potētior. Potentior est enim unus dei digitus ad seruandum genus humanū, quàm uniuersa Beelzebub copiæ ad perdendum. Itaq; futurum est hic, quod inter duos duces solet accidere, utrosq; potentes, utrosq; feroces, & quibus omnis fiducia in armis sita est. Itaq; quum potens armatus custodit arcem suam, in tranquillo sunt ea quæ possidet: quod si quis illo potentior eum adoriatur, & armis armatum uicerit, nullum inibit cum eo consortium, sed domum ipso profligato occupabit, arma quibus confidebat, eripiet, opes eius & omnem suppellectilem diripiet, ac suis militibus distribuet. Nunc uestrum est dispicere, ab utro stare malitis, à deo potentiore, an à satana mox expellendo: si cum satana pax est, cum deo similitudo est, si cum deo pax est, nihil conuenit cum satana. In alterutris castris pugnant dum est. Non fert hoc tempus otiosos, qui non est in parte mea, aduersarius est mihi, & hoc ipso lædit, quia cum fauere debeat non fauet: & qui non colligit mecum, dispergit. Vere opera mea non conueniunt cum operibus satanæ, quia ego ipse in nullo conuenio cum illo, sed sumus omnino contrarij, quia ego humilis & benignus animas saluare uolens, ille superbus & inuidus cupit disperdere: ego prædicatione mea uirtutes congreco, ille spargit & separat ab unitate ecclesiæ.

D Cum immūduſ spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem. Et non inueniens, dicit: Reuertar in domū meam unde exiui. Et cum uenerit, inuenit eam scopis mūdātam. Tunc uadit, & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & ingressi habitāt ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.

Quoniam autem Iudæi sumebant sibi opinionem iustitiæ, & hac fiducia uel negligebant euangelicam doctrinam, uel auersabantur, etiam proposuit anigmata, quo significaret grauius damnandos eos qui aliquousq; progressi ad iustitiam, relaberentur ad pristina flagitia, quàm qui nunquam cognita luce ueritatis euangelicæ, perseuerassent in caligine impietatis et uitiorum suorum. Populus enim Iudaicus per legem segregatus est ab idololatriæ gentibus, sed subito de relapsus ad priora crimina, tandem huc deuenit impietatis, ut quicquid maiores peccassent occidendis prophetis, conspirando aduersus Moſen, id septuaginta parabola ad unum quæq; hominem pertinet, qui semel baptismo ablutus à peccatis pristinis, semel euangelico sermone liberatus à spiritu malo huius mundi, negligenter habet donum dei, nec curat semper ad perfectiora progredi: hinc ad pristinam uitam reuoluto, ad nihil aliud proderit baptismus & cognitio sacrae doctrinæ, nisi ut grauiorem damnationem sibi accersat in die iudicij, uidebitur ad pristinos errores ingratiudinē etiam ac malitiā adiungens. Porro sic habet parabola: Quū immūduſ spiritus exierit ab homine, uirtute dei pulsus, quoniam niam illi p̄tinax uolūtas est nocēdi, obambulat per loca sterilia aridaq; quærens requiē: eam cū nusq; inuenierit, dicit apud se: Reuertar in domū meā unde exiui. Ad hanc igiſ rediens, reperit eam scopis quidē mūdātā, sed uacuam. Hoc ubi

ubi uidet, abit & adiungit sibi septem alios spiritus sceleratiores quàm esset ipse. Cumq̄ tali sodalitia commigrat in domum purgatam quidem, sed incuriosam, nullisq̄ uirtutum euangelicarum præsijs armatã. Nam ornamenta ceremoniarum præbent quidem speciem pietatis, sed quoniã inania quædam sunt maioris impietatis: itidem accidit illi homini, qui purgatus ab uno demone, factus est peioribus septem obnoxius.

Factum est autem, cum hæc diceret, extollens uocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimo, beati qui audiunt uerbũ dei, & custodiunt illud.

Quum hæc aliãq̄ multa loqueretur Iesus promiscuæ multitudinĩ, mulier quædam admirans sermones tam sapientes & efficaces, sustulit uocem e media turba, & dixit: Beatus uenter illius mulieris, quæ te portauit, & beata ubera nutricis quæ suxisti. Aduersus synagogam calumniatricem ædita uox est huius mulieris, quæ typum habet ecclesiæ. Iesus itaq̄ non reuuit, sed cõfirmat & perlicit illius prædicationem, dicens: Sanè beatus est uenter ille, & beata ubera propter me: sed & beati sunt, qui audiunt sermonem dei, & seruant illum in animo suo ne effluat, ut aliquando producat fructum æternæ salutis. Id multo feliciter est quam gessisse corpus corpore, aut lacte nutrisse: una tantum potuit gestare gratuito electa à patre, & lactare ubere de cœlo pleno, cæterum hæc beatitudo potest omnium esse communis.

Turbis autem concurrentibus cœpit dicere: Generatio hæc, gene- Matth. 12. 6
ratio nequam est, signum quærit, & signũ non dabitur ei, nisi signum Ionæ 2. 4
lonæ prophætæ. Nam sicut Ionas fuit signum Niniuitis, ita erit & filius Matth. 12. 40
hominis generationi istĩ.

Quum ad has uoces densior etiam hominum multitudo concurreret, cœpit Iesus respondere his, qui signum poposcerant e cœlo, quasi quæ hæcenus gessisset Iesus humilia essent, nihilq̄ dignum haberent magno propheta, hæc præstari plebeis, cæterum ipsis pharisæis utpote doctis ac sublimibus uiris aliã quod peculiare prodigium ostendendum e cœlo. Id autem dicebant nequaquã animo simplici, sed tentantes eum, ut si non ostenderet, causarentur cætera facta præsidio Beelzebub: si ostenderet, tum aliud quid in eo reperirent quod calumniarentur. Ait itaq̄: Hæc natio mala est, minimeq̄ simplex, tot miraculis conspectis ostentum quærit, non cui credat, sed quod calumnietur: non impetrabit quod fraudulenter petit, sed accipiet ostentũ quod meretur: non dabitur quod calumnietur, sed dabitur quo coarguetur. Dabitur enim ostentum lonæ prophætæ. Ad prædicationẽ lonæ Niniuitæ pœnitentiam scelerum suorum egerunt, quum apud illos nullum ædidisset miraculum. Hęc natio nullis miraculis, nullis beneficijs potest ad pœnitentiam emolliri, & tamen adest qui maior sit Iona propheta, quem isti mirantur, quod exceptus à ceto uixerit in eius uentre tribus diebus & tribus noctibus, deinde pro mortuo habitus subituito uiuus apparuerit. Huic simile sed prodigiosius erit, quod filius hominis septem dies & tribus noctibus, quem mortuum acceperat.

Regina austri surget in iudicio cum uiris generationis huius, & con- 3. Reg. 10. 4
demnabit illos, quia uenit à finibus terræ audire sapientiã Salomonis: 2. Par. 4. 9.

& ecce plus quam Salomon hic. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plus quam Iona hic.

In supremo iudicio hæc natio quæ præ se cõtemnit omnes, quæ sibi religio- nis arcem tenere uidetur, condemnabitur à multis nationibus, quæ uidebuntur à religione alienissimæ. Regina Sabæorum confurget in iudicio cum hominibus huius nationis, & condemnabit illos, quod mulier & à doctrina legis aliena, tamen ab extremis finibus orbis longo itinere uenerit Hierosolymam, ut audiret sapientiam Salomonis: & tamen in hoc loco est quiddam Salomoni maius, & quod adest, contemnitur. Viri quoque Niniuitæ legis expertes, & idolorum cultores, contendunt cum hac natione in iudicio, & condemnabunt eam, quod ipsi pœnitentiam scelerum suorum egerint ad prædicationem hominis ignoti & exteri, nullis miraculis, nullis beneficis sese commendantis: & ecce hic præsens est quiddam ipso Iona maius, nec tamẽ cõmouentur ad resipiscentiã.

Matth. 5. b
Marci 4. c

Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed super candelabrum, ut qui ingrediuntur, lumen uideant.

Quamquam plures essent apud Iudæos quibus euangelij lux magis etiam excæcarent animos ipsorum, tamẽ non oportebat posthac suppressi ueritatem, cuius cognitio plurimos esset adductura ad salutem æternam. Nec enim incredulorum obstinata malitia bonis obesse debet: itaque proferenda ueritas in publicum est, in malorum atrociorẽ perniciem, in bonorum salutem. Nullus, in modio, sed imponit candelabro, ut luceat domum ingredientibus.

Matth. 6. e

Lucerna corporis tui, est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit: Vide ergo ne lumẽ quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

Quod domus est sine lucerna, quod est corpus sine oculis, hoc est animus absque cognitione ueritatis, quæ per fidem simplicem contingit. Si oculus tuus fuerit simplex, ac nullis huius mundi cupiditatibus uitiatus, accipiet lumen æternæ ueritatis, ac totum corpus tuum fruetur hoc lumine, ne alicubi impingat. Si uero si oculus corporis fuerit uitiatus, totum corpus erit obnoxium tenebris. Si quidem ex fide iudicium est, ac lucerna uiuendi. Hic fons est bonorum omnium, qui si fuerit uitiatus, cetera uitiarentur oportet. Vide igitur ut hic oculus quo cernitur ueritas, in te purus sit ac syncerus, ne hoc ipsum membrum quod cernit lumen, est luminis capax, totique præluceat corpori, tenebris sit obnoxium: hoc enim uitiato, quod est caput & radix omnium bonorum operum, etiam illa quæ bona uidentur bona non sunt. Contrã, quæ pharisæis mala uidentur, mala non erunt, si fons unde proficiscuntur fuerit syncerus. Quod lucerna est oculo solum hoc sermo diuinus est animo à prauis cupiditatibus per fidei simplicitatem purgato. Quicquid ex fide non proficiscitur peccatum est. Quod si oculus corporis tui fuerit syncerus, illustratus lucerna ueritatis euangelicæ, membrum omnibus suum lumen impartiet, ut nulla in parte corporis sit aliquid tenebrarum, uidelicet omnibus prospiciente oculo: Itaque quicquid fuerit manus, quicquid pes, quicquid cetera membra, non erit obnoxium tenebris, sed totum corpus erit

trilucidū, ueluti tota domus lucida est omnibus prælucente fulgore lucernæ. Et cum loqueretur, rogauit eum quidam pharisæus ut pranderet apud se. Iesus autem ingressus, recubuit. Pharisæus autem cepit intrare reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium.

Consequutū est prædicta per quod hoc quod docuit dominus uelut explanaretur. Siquidem pharisæi cum haberent oculum uitiatum, iustitiam constituentes in ceremonijs corporalibus, negligenter ea quæ non cernuntur, nisi puris oculis quibus præluet lucerna ueritatis euangelicæ, ibi putabant esse lucem, ubi erant tenebræ, & tamen maxime impingebant, quum sibi uiderentur pulchre ingredi, & illic iudicabant esse graue crimen, ubi nullum erat, ubi uere legis, ignorantia, fastu, liuore, auaritia, hypocrisis, cæterisque malis uitiatos. Quidam igitur pharisæus rogauit Iesum, ut pranderet apud se. Non recusauit Iesus, nulli se non præbens, ut omnes ad se pertraheret. Quum autem dominus cum accubisset illorum, id est præter morem pharisæorum, cepit pharisæus tacita se cogitatione mirari, quid esset causæ cur non lauisset dominus priusquam id quod uere perpetuò malum est. Habet autem proprium illud ac genuinum ceremoniæ pharisæicæ, quæ rebus corporalibus constant, ut gignant obtreccionem, suspiciones malas, perversa iudicia, dissidium, odium, & rixas.

Et ait dominus ad illum: Nunc uos pharisæi quod deforis est calicis & catini, mundatis: quod autem intus est uestrum, plenum est rapina & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est, fecit: ueruntamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt uobis.

Dominus Iesus intelligens hanc esse præcipuam pestem euangelicæ pietatis, acriter coarguit pharisæicam superstitionem, dicens: Moses olim præscripsit aliquos ritus purificationis, qui tamen typum & imaginem habent purgandæ mentis. Nam huc pertinet quicquid lex illa figuris suis adumbrauit. Nunc uero postquam emicante ueritate par est umbras illas uetustæ legis puram euanescere, uos pharisæi, qui perfectam legis scientiã profitemini, solum eam legis partem amplectimini quæ minimum habet momenti ad ueram pietatem. Nec in hoc solum peccatis, quod carnem legis amplectimini, neglecto spiritu legis, uerum etiam carnalibus ceremonijs additis, ac uestras constitutas uinculas sanctiores haberi uultis, quam præcepta dei. Vera puritas in animi sinceritate, & nihil ad ueram animi pietatem facientes: atque interim interior ac potior uestri pars illota scetet sordibus deo abominabilibus, rapina & iniquitate. Creditis uos inquinari, si biberitis ex illoto calice, aut ederitis ex catino non loto: & puri uobis uidemini, si calix simul & catinus, & quod in illis est rapina & fraude partum sit. O stulti peruersique iudicij, nonne qui condidit corpus, & fraudem condidit animum? Itaque si puritas usque ad eam cordi est, oportebat totum hominem purum facere. Verum par erat priorem esse curam eius partis, quæ potior est: sed interim uobis ipsis blandimini, quasi abunde puris, si corpus & uita subinde lauetis aqua, & animum fraudibus, rapinis, odio, liuore, ambitione, cæterisque pestibus inquinatum purgetis eleemosyna, quam cum ad ostentationem

nem faciatis, tamen arbitramini sufficere ad summam animi mundiciem.

Sed uæ uobis pharisæis, qui decimatis mētham & rutam, & omne olus, & præteritis iudicium & charitatem dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere.

Væ uobis pharisæis, qui sub prætextu religionis agitís uestrum negotium, decimantes etiam olerum uilissima, mentham & rutam, quasi soli sacerdotes ac Leuitæ curæ sint deo: atq; interim contra mentem dei fraudulenter agitís cum proximo, nec subleuatis egentem, sed inuidetis felicioribus, opprimitis imbecilles. O uere præposterum iudicium. Hæc quæ lex præscripsit ad tempus seruanda iuxta carnem, oportuit quidem non omittere, sed illa quæ maxime uult fieri deus, quæ perpetuo bona sunt, et ipsi grata, in primis erant præstanda. Quæ ad uestrum commodum pertinent, superstitiose etiam curatis, quæ ad proximum etiam subleuandum negligitis.

Infrā 20. g
Matth. 23. d
Marc. 12. d

Væ uobis pharisæis, qui diligitis primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro.

Qui cum foris præ uobis geratis imaginem sanctimoniam, tamē intus tumētis ambitione, captantes honoratiores sellas in synagogis, & audire gaudētis magnificos illos titulos, Rabbi, Rabboni, ab his qui salutant in publico, nihil aliud agentes, nisi ut hominum oculis placeatis, pro nihilo ducentes quod animi sordibus displicetis oculis dei.

Væ uobis, qui estis ut monumenta quæ non patent, & homines ambulantes supra nesciunt.

Proinde uæ uobis cum uestra hypocrisis, qui similes estis monumentis defunctorum, quæ foris nitent opere albario, titulis, uarijsq; picturis, quum intus sint omni spurcicie referta. At interim quod apparet, blanditur oculis hominū prætereuntium: quod autem occultum, fallit. Sed homines falli possunt, deus introspicit intimos cordis sinus.

Matth. 23. d

G Respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi: Magister, hæc dicens etiam nobis cōtumeliam facis. At ille ait: Et uobis legisperitis uæ, quia oneratis homines oneribus quæ portare non possunt, & ipsi uno digito uestro non tangitis sarcinas.

Cum hæc aliāq; magna seueritate diceret dominus in fucatam pharisæorū sanctimoniam, quidam e legisperitis studens cohibere libertatem Iesu, dixit illi: Dum ista dicis in pharisæos illos religiosos, & insigniter deuotos, nos quoq; afficis contumelia. Non tolerat liberum sermonem sibi male conscius animus, & exemplum libertatis in alios metuit, ne in se recidat. At Iesus æterna ueritas, quæ nescit assentari, quum sola sit inculpabilis, nec in aliud tamen oburgat, nisi ut medeatur malis, respondet legisperito: Si quæ dico, in uos quoque comperunt, uti fateris: erit igitur & uobis legisperitis uæ, qui non contenti exigere legis obseruatiunculas omnes ab idiotis, uerum etiam præter legis auctoritatem de uestro multa adijcitis, & onus addentes oneri, sarcinam imponitis humeris simplicium, & ipsi interim uobis indulgetis, adeo non attingentes ea quibus grauatis alios, ut nec illa præcipua seruetis, sine quibus cætera nihil profunt.

Væ

Vae uobis qui aedificatis monumenta prophetarum, patres autem uestri occiderunt illos: profecto testificamini quod consentitis operibus patrum uestrorum, quonia ipsi quidem eos occiderunt, uos autem aedificatis eorum sepulchra.

Vae uobis qui ad ostentationem uestrae integritatis extruitis monumenta prophetarum, quum illorum complures maiores uestri interfecerint. Itaque sic ut hoc ipso quod studetis dissimulare malitiam uestram, prodatis: dum enim ornatis monumenta prophetarum, fatemini fuisse detestabiles qui illos occiderunt, quorum memoria sacrosancta est apud uos posteror. Porro quum ipsi in huius aetatis prophetas, illis longe superiores, deteriora moliamini, quam patrarint in prophetas antiquos maiores uestri, nonne declaratis quod quaestu, ambitione, liuore & odio excacati, scientes approbetis impia facta maiorum, quae non solum imitamini, uerum etiam superare studetis. Toties uos reuocauit ad resipiscentiam dei bonitas, ac semper in eos impie saeuistis, qui uobis ueritatem ingerebant, non ob aliud inuisam, nisi quod aduersaret uestris prauis cupiditatibus.

Propterea & sapientia dei dixit: Mittam ad illos prophetas & apostolos, & ex illis occident, & persequentur, ut inquiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista, a sanguine Abel, usque ad sanguinem Zachariae, qui perijt inter altare & aedem. Ita dico uobis, requiratur ab hac generatione.

Proinde sapientia dei, quae ineffabili consilio temperat omnia, priusquam puniar huius gentis pertinacem malitiam, statuit nihil intentatum relinquere, quo possint ad meliora conuerti. Caeterum ubi iam declarata fuerit omnibus scilicet & immensa dei bonitas, & illorum inuisita pueritas, tanto dabunt atrociores poenas, quanto diutius tolerati sunt, quanto maioribus beneficijs prouoluptius fuerint ad poenitentiam. Sic igitur apud se loquuta est sapientia dei: Quid amplius faciam huic nationi intractabili? nisi Moysen, nisi ueteres prophetas quam plures, nisi Ioannem Baptistam. Aduersus Moysen coniuratum est, prophetas uel occiderunt, uel affixerunt, ne Ioannem quidem plus quam prophetam autem dierunt, nec illi fuit impune bene monuisse: uenit filius hominis, & illi machinantur exitium: mittam ad eos postremos omnium prophetas, qui legem spiritaliter interpretentur, mittam apostolos, qui miraculis polleant, qui de omnibus gratis bene mereantur, qui salutem omnibus offerant, minimo negotio paucis, & quosdam etiam occident, adeo uincet illorum malitia dei bonitatem. Tandem cum eorum creuerit illorum malitia, ut omnium aetatum scelera superant, non solum aequarint, tum irruet in eos ultio diuina, & requiratur ab eis sanguis omnium prophetarum, qui effusus est ab inuido fratre, usque ad sanguinem Zachariae sacerdotis filij Ioadae, qui multitudinem reuocans ad saniora consilia, lapidatus est per tumultum populi inter aedem & altare. Atque ille moriens, & suam testificans innocentiam, & illorum impietatem, dixit: Videat dominus & requirat. Nunc huius ultionis tempus instat, una natio ueluti pro omnibus & facinoribus poenas dabit, quae quicquid fuit in omnibus malitiae supergressa est. Futurum est haud dubie, quod diuina sapientia futurum esse praedixit. Huius aetatis Iudaei, quoniam superant omnium ueterum rebel-

lionem, perversitatem, crudelitatem, tam atrociter punientur, quasi quicquid diversis sæculis impie designarint maiores, id soli peregerint.

Væ vobis legisperitis, qui tulistis clauem scientiæ, ipsi non introiistis, & eos qui introibant, prohibuistis.

Etiã atq; etiã væ vobis legisperitis, qui quum profiteamini legis cognitionem, quæ spiritualis est, & uendicaueritis vobis clauem scientiæ, quæ debet aperire aditum in regnum cælorum, tamen non solum ipsi non introiistis, uerum alios introire uolentes exclusistis, dum enim legem perperam interpretamini, oppugnatis id quod est totius legis caput.

Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt pharisæi & legisperiti grauius insistere, & os eius opprimere de multis, insidiantes ei, & quærentes capere aliquid ex ore eius, ut accusarent eum.

Ad huiusmodi sermones, subamaros quidem ob libertatem ueritatis, sed fataliter si uoluissent recipere pharmacum, uehementer offensi sunt simul & pharisæi & legisperiti. Sed quoniam taciti secum agnoscebant esse uerissima quæ dicebantur, dissimulant quidem apud populum, sed tamen interim obseruant omnia Iesu dicta, uenantes si quid proficisceretur ex ore eius, unde possent illi calumniam struere, ne priuato quodam odio, sed studio religionis & pietatis uiderentur illum persequi. Habet enim & hoc hypocrisis pharisaica, ut nihil tam impium molitur, cui non prætexat fucum pietatis.

CAPVT XII.

A **M**ultis autem turbis concurrentibus, ita ut se inuicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos: Attendite à fermento pharisæorum, quod est hypocrisis.

Quoniam nouerat dominus Iesus insanabilem esse malitiam pharisæorum scribarum & legisperitorum, uoluit palam illorum hypocrisim traducere, ne quis incautus eorum simulatione falli posset. Iam tum multis turbis circumstantibus, adeo ut se inuicem conculcarent, cœpit dicere discipulis suis: Cavete uobis à fermento pharisæorum, quod est hypocrisis. Tales esse studere quales haberi uultis. Nihil posthac fucatum diu latere poterit, ueniet tempus quod in apertum proferet & uestram innocentiam, & illorum malitiam.

Nihil enim opertum est, quod non reueletur: neque absconditum quod non sciatur. Quoniam quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, prædicabitur in tectis.

Nihil sic nunc opertum est, quod mox non sit relegendum: neque quicquam tam absconditum, quod post non sit uenturum in notitiam hominũ. Quare re curate, ut omnis uita uestra fucato careat, neque quicquam dicatis faciatisque aut cogitetis etiam soli, quod nolitis ab omnibus sciri: quoniam quicquid nunc clanculum in tenebris dixeritis, olim narrabitur clara luce: & quicquid nunc in aurem dixeritis in cubiculis, olim prædicabitur in tectis. Offendet ueritas homines impios, fucatos imagine pietatis, sed nullius mali metus abducatur uos à sincera prædicatione ueritatis euangelicæ.

Dico

Matth. 10. c
Marc. 4. c

Matth. 13. d
Marci 5. b

Dico autem uobis amicis meis: Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quod faciant. Ostendam autem uobis quem timeatis: Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico uobis, hunc timete.

Extremum malorum est ut occidant, sed corpus duntaxat. Ego uero illud dico uobis amicis meis, ne meo fretos præsidio quicquam terreat istorum crudelitas, qui, ut omnia moliti sint, corpus possunt occidere, quo facto non habent præterea quo lædant: at non moritur qui mea causa occiditur. Quod si metum adhibere placet in consilium, æquum est ut leuior metus cedat maiori, & ille potius timeatur, qui totum hominem nutu potest perdere. Hunc si uultis uobis ostendi, deus est qui solus habet potestatem, ubi corpus occiderit, etiam animam mittere in gehennam. Ne quid terreat hominum impiorum crudelitas, qui leuiter possunt lædere, imò ne lædere quidem, nec hoc ipsum enim possunt nisi permissu dei. Quod si terrore hominum degeneraueritis à sinceritate prædicationis euangelicæ, uirantes leuia ac tēporalia mala, incidetis in æterna mala. Clauus igitur clauum pellat, & dei timor exigit timorem hominum, ne propter eam à fide deciscatis uerborum meorum.

Nonne quinque passeris ueneunt dipondio, & unus ex illis non B est in obliuione coram deo? Sed & capilli capitis uestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis uos.

Nolite metuere, ne pereatis ante diem. Omnino moriendum est omnibus, nec refert quamdiu uixeris, sed quam bene. Et feliciter hinc exit quisquis obis, ut nihil diutius uicturi sitis, etiamsi maxime uos scrutaret metus mortis. Et hoc erit curæ patri uestro, ut suo quisque tempore moriatur, quanquam ista uidentur casu fortuituq; geri, tamē nihil accidet uobis nisi permissu patris, cui uestra omnia curæ sunt. Quid passerulo uilius aut contemptius? nonne quinque licet emere dipondio? & tamen horum cura est deo, neque quicquam perit etiam uilissimorum animantium inscio patre. Vos autem quos ex omnibus paucissimos delegit, ad illustrandam sui nominis gloriam, adeo non negligit, ut omnes etiam capitis uestri pilos habeat numeratos. Aduersus huius uoluntatem pugnare impium est. Nihil autem uolet ille, nisi quod optimum fore no- uerit. Itaque de uita sollicitudinem omnem in illum conijcite, cui curæ sunt passerculi, non negliget uos tanto passerulis omnibus meliores. Itaque nolite metu malorum quæ possunt homines inferre deciscere à professione nominis mei, memores per has temporarias afflictiones iter esse ad felicitatem æternā.

Dico autem uobis, Omnis quicumque confessus fuerit me coram Matth. 10. d hominibus, & filius hominis confitebitur eum coram angelis dei: qui Marci. 8. d autem negauerit me coram hominibus, denegabitur coram angelis dei. 2. Timot. 2. b

Non erit socius gaudij qui recusat esse socius doloris, nec erit consors gloria qui nunc recusat esse particeps ignominia: quanquam hæc ignominia apud homines, uera gloria est apud deum. Nam illud affirmo uobis: Quisquis confessus fuerit nomen meum coram hominibus, quod apud mundum erit inuisum & execrabile, profitebor & ego illum, quæ proferetur filij dei maiestas coram

ram angelis dei. Contra, qui me non agnouerit hic apud homines; nec à nobis agnosceretur coram angelis dei.

Matth. 12. e
Marc. 3. d

Et omnis qui dicit uerbum in filium hominis, remittetur illi; ei autem qui in spiritum sanctum blasphemauerit, non remittetur.

Scio huius corporis infirmitatem multis futuram offendiculo, sed culpa quæ uel ab humano proficiscitur errore, uel ab imbecillitate naturæ, quamuis atrox fuerit, tamen facile condonabitur. Proinde quod me uocant Samaritanum, uini potatorem, amicum publicanorum, & Iesum fabri filium, facile remittetur, si resipiscant. Est enim conuictum cui locum dedit huius corporis imbecillitas. Cæterum qui conuictum dixerit in spiritum sanctum, per quem deus operatur hæc miracula, quoniam destinata malitia sciens ac uolens repugnat gloriæ dei, non inueniet ueniam, nec in hoc sæculo nec in futuro. Quemadmodum angelis impijs non est relictus reditus ad pœnitentiam, quoniam nulla infirmitate, sed obstinata malitia odio ueritatis & iustitiæ resisterunt conditori deo: nec resipiscunt unquam, nec ueniæ spem habent. Eodem in statu fuerint homines, peruersitatem illorum imitantes. Me uident hominem dormientem, esurientem, uidebunt & morientem, ignosci potest, si quid in me dicunt, quod in hominem competere potest. Cæterum quod inuidia corrupti calumniatur agnitam ueritatem, & odiunt iustitiam solidam, cui præferunt suam fictionem, quod tribuunt facta mea miraculosa & fructuosa ac sancta spiritui Beelzebub, quæ sciunt esse uirtutis diuinæ, & deum fraudantes sua gloria, & in impios demones transferentes quod dei est; hæc nimirum est diabolica malitia, qua: ideo non impetrabit ueniam à deo, quanquam ad miserendum propensissimo, quia nescit pœnitere. Multis igitur modis obstrepetur uestræ prædicationi: quidam enim aut simpliciter errantes persequentur uos, aut errori mixta malitia: quidam aduersus animi conscientiam ueritatem perspectam & cognitam oppugnant, non ob aliud nisi quod aduersetur prauis ipsorum affectibus. Per hos spiritus satanæ malus rebellabit spiritui dei bono, ac per suos satellites omnium machinarum genere uos impetet.

Matth. 10. b
Marc. 13. b

Cum autem inducent uos in synagogas, & ad magistratus & potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis. Spiritus enim sanctus docebit uos in ipsa hora quid oporteat uos dicere.

Quamuis estis idiotæ, tenues & humiles, non est quod metueris mundi tumultum aduersum uos. Sufficit spiritus dei benignus ac simplex aduersus omnem uel fraudem uel uiolentiam huius mundi. Quum igitur pertrahimini in synagogas illorum, delati de magnis criminibus, quum pertrahimini ad magistratus & principes, nolite facere quod uulgus reorum solet, qui solliciti sunt quid respondeant, aut quid loquantur, quo possint elabi à causa. Dabitis hoc publicæ potestati, ut uocati compareatis. Cæterum non est quod uereamini conspectum illorum, aut solliciti sitis, ut meditata oratione uos ipsos defendatis. Semper erit in promptu ueritatis simplex oratio. Hanc quoties opus erit uobis superpediet spiritus sanctus. Qualis est uita uestra, talis erit & oratio. Nihil autem efficacius simplici ueritate. Quemadmodum autem terror iudiciorum nonnullos transuersos abducit à sinceritate professionis euangelicæ, ita multos pecunia studium corrumpit. Ut igitur & hunc affectum penitus eximeret dominus ex animis

ex animis discipulorum, uelut humilem & indignum aggressis cœleste negotium, oblatum est argumentum per quod ita fieret.

Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo ut diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit ei: Homo, quis me cōstituit iudicem aut diuisorem super uos?

Quum esset frequentissima turba circa Iesum, neq; quisquam antehac rem tam humilem ausus fuisset ab illo petere, quidā dixit illi: Magister, frater meus occupat hæreditatem communem, ac tergiuersans prorogat partitionem, hic mihi succurrat tua autoritas, dic illi ut mecum diuidat hæreditatem. Iesus autem uelut indignans, quod à negotio cœlesti ad carnales ac sordidas curas interpellaretur, simul interim docens neutiquā oportere implicari negotijs profanis ac sordidis eum qui gerit munus apostolicū, respondit: Homo, qua fronte me interpellas aduersus fratrem tuum de diuidenda hæreditate? Quis me cōstituit iudicem inter uos dissidentes de re leui, ac mox peritura? Aut quis me uobis dedit diuisorem hæreditatum? An mundus hic non habet iudices, qui lites tam humiles dirimant? Mihi non est delegatum, ut hic aut ille ditescat hæreditate, sed ut omnes perueniant ad hæreditatem uitæ immortalis.

Dixitq; ad illos: Videte & caute ab omni auaritia, quia nō in abundantia cuiusquam uita eius est ex his quæ possidet.

Dominus deinde uersus ad discipulos ac ceteros qui aderant, cœpit eos exemplo interpellatoris dehortari à studio diuitiarum, non quod per se malæ sint, sed quod in his præcipuum uitæ præsidium ponere, & harum studio reuocari ab his quæ pertinent ad æternam felicitatē, stultitia sit. Etiam atque etiam caute, inquit, ab omni cōfinio auaritiæ, frequenter enim sub prætextu necessitatis ac prouidentia obrepit triste uitium, quod semel admissum abducit hominem in omne dedecus, ac uix uitari poterit, nisi leuiter & contemptim possideamus etiam ea quæ nostro iure possidemus. Cæterum qui sic fidunt diuitijs suis, ut in his ingens aliquod humanæ felicitatis præsidium collocent, uementer fallunt seipos. Non enim abundantia facit ad felicitatem, sed potius ad solitudinem, & contemptum eorum quæ uel sola quærenda sunt. Siquidē naturæ necessitas exiguo placatur. Id quo crasso populo altius infingeret adiecit dominus similitudinem, ad quam suum quisque affectum exigeret atq; examinaret, & sequitur.

Dixit autem similitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiusdam diuitis Ecclēsi 11.6 uberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quod non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, Destruam horrea mea, & maiora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem paraasti, cuius erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in deum diues.

Erat, inquit, homo locuples, cuius agri fructus attulerant uberrimos, ut

sunt anni prouentus impares. Ille uero nihil interim cogitans de subleuanda proximorum egestate, sed perinde quasi quod natum esset uni natum esset, de recondendo sollicitus est, non de erogando. Dixit enim apud se: Quid faciam? annonæ ubertas maior est, quam ut horrea mea sufficiant recondendis ijs que prouenerunt. Si charitatē adhibuisset in consiliū, cum fiducia in domini largitatem pro annis posterioribus, quum sic estuaret animo, dixisset illi: Circumspice quam multis desit quod tibi superest, agnosce cui debeas etiam istam anni tui felicitatem: sortem indulxit deus unde colligas usuram operum cœlestium, permuta fluxa bona perennibus, terrena cœlestibus, humana diuinis, ita lucro tibi fuerit tua liberalitas. Sed quoniam stultitiam & incogitantiam maluit adhibere in consiliū, huius impulsu dixit apud se: Demoliar horrea mea uetera, & extruam maiora, & in his recondam uniuersum huius anni prouentum, cetera quæ bona mea, ne quid pereat. Constabilis autem & in tuto collocatis omnibus, securus omnium dicam animæ meæ: Anima habes repositam magnam rerum copiam, quæ sufficiant in multos annos, requiesce, ede, bibe, & oblectate. Hoc diutinæ felicitatis somnium, quum diues ille uersaret in animo suo, subito uenit ad illum uox dei, dicentis: Stulte, quum ipsa uita tua tibi sit incerta, cur recondis in multos annos, quum his quæ reponis, frui non possis, nisi in hac uita, quæ nulli uel ad unum diem certa est? Quid tibi promittis annos plurimos? Hac ipsa nocte repetent abs te animam tuam: & ista quæ parasti cuius erunt? Certe tua non erunt, hæredi relinquo oportet, aut si quis alius occuper. Ceterum spirituales opes, quas erogandis diuitijs licebit comparare, etiam mortuum fuissent comitari. Habes exemplum ac statum hominis, qui sibi recondit opes huius mundi, ac sibi tantum diues est, nec est diues erga deum, qui cupit in suis membris refocillari per eos quibus res superest, ac felicius diuites sunt, qui sic pauperescunt.

Matth. 6. c
2. Pet. 5. b
Psal. 54. d

Dixit quæ ad discipulos suos: Ideo dico uobis, nolite solliciti esse animæ uestræ, quid manducetis, neque corpori, quid induamini. Anima plus est quam esca, & corpus plus quam uestimentum.

Hæc promiscuæ multitudini locutus dominus, mox conuersus ad discipulos suos, quos oportebat non solum abesse ab omni auaritia, uerum etiam uacare omni sollicitudine huius uitæ, ne qua res illorum animos remorarentur ab euangelico negotio: Ideo, inquit, iam antehac dixi uobis, & repetens iterum iterumque monebo, nolite solliciti esse de uita uestri corporis, anxij ne desit uobis aut potus, neque rursum de corporis incommodo, ne desit illi uestis. Pater uester cœlestis qui uobis dedit quod præstantius est, etiam illud addet quod est in uita. Anima potior est cibo, quanquam sine cibo interim non durat in domicilio corporis, & corpus preciosius est uestimento. An putas diuitem iuxta ac benignum patrem passurum, ut cum largitus sit uitam, desit uobis, quo uita prodegetur? aut qui dedit corpus, commissurum ut corpori desit quo tegatur?

D Considerate coruos, quia non seminant neque metunt, quibus non est cellarium neque horreum, & deus pascit illos. Quanto magis uos pluris estis illis?

Si dei prouidentia non cessat in animantibus brutis ac uilibus, an cessabit in uobis quos ad rem tantam delegit? Considerate coruos, neque serunt neque metunt, nec penuarium habent nec horreum, & tamen deus etiam illis prospicit

prospicit de pabulo, nihil eorum negligens quæ condidit. Quanto magis uobis prospiciet pater, quos tanto coruis habet chariores? Quid quod non solum diffidentia est anxie distorqueri cura rerum huiusmodi, uerumetiam stultitia? Stultum enim est solitudine nihil profutura scrutari.

Quis autem uestrum cogitans potest adijcere ad staturam suam cubitum unum? Si ergo neque quod minimum est potestis, quid de cæteris solliciti estis?

Nemo solitudine sua uitam suam reddere potest uno die longiorem: quid quod ne corporis quidem modus aut figura uobis in manu est? Deus dat illi formam quam uult, dat illi modum quem uult, sic dat illi & uitam quamdiu uult.

Quis autem uestrum solitudine sua possit ad sui corporis staturam adijcere cubitum unum? Aut quis solitudine sua possit unum capitis pilum ex albo nigrum, aut ex nigro album reddere? Si igitur in his quæ sunt minimi momenti nihil profuerit uestra sollicitudo, quorsum attinet esse sollicitum de uita?

Considerate lilia quomodo crescunt, non laborant neque nent: dicite autem uobis, quia nec Salomon in omni gloria sua uestiebatur sicut unum ex istis. Si autem scenum quod hodie in agro est, & cras in clibanum mittitur, deus sic uestit, quanto magis uos pusillæ fidei?

Ne sitis anxij quoque de uestitu, considerate mihi lilia, quæ in pratis nullam hominum cura proueniunt, quomodo nullo curante surgunt ad iustam magnitudinem, non laborant neque nent, neque texunt, & tamen prouidentia patris adeo non sinit ijs deesse uestem, ut nec opulentissimus ille Salomon, quum maxime ostentaret strepitum suæ fortunæ, sic uestitus fuerit ut unum quoduis ex illis pratensibus, ad breue tempus duraturum. Quod si deus tanta prouidentia uestit herbam etiam uulgo nascentem, & mox perituram, & quæ hodie uidetur in agro, cras arefacta conijcitur in clibanum, quanto magis non sinet uos esse nudos o parum fidentes? Nec enim aliunde nascitur ista sollicitudo, nisi ex diffidentia erga patrem & potentissimum & liberalissimum & prouidentissimum. Si is pascit, si uestit, si gubernat uniuersa quæ condidit, abijcete uos quæque solitudinem de rebus infimis, cibo, potu & uestitu.

Et uos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis, & nolite in sublime tolli, hæc enim omnia gentes mundi quærunt. Pater autem uester scit quoniam his indigetis. Veruntamen quærite primum regnū dei & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur uobis.

Istarum rerum nec uos deiciat penuria, nec efferat exuberantia, neque sicut pinus pendeatis à cælo, obseruantes omnia tempestatum præfagia, pallecentes quoties astra minitantur annonæ penuriam. De his enim rebus etiam in longinquum inquirere gentium est, qui mundo dediti nesciunt deum: uos autem qui nostis quam benignum habeatis patrem in cælis, quid inani solitudine torquetis animos uestros? Scit enim pater uester, quod his quæ pertinent ad corporis alendi regendiq; necessitatē indigetis. Nec tam durus est, ut uos suum agentes alendi regendiq; necessitatē indigetis. Nec tam durus est, ut uos suum agents negotium, sinat harum rerum inopia perire. Quin potius prima sit uobis cura promouendi regni dei, cuius uos delegi præcones ac ministros. Huius iustitiam ante omnia quærite, non sitam in ceremonijs Iudaicis, sed in his rebus quas antea docui uos, & toto animo hoc agite, quod est omnium maxima.

mum: cætera leuiores deus ipse uobis adiiciet omnia, neque quicquam patietur desiderari.

Matth. 6. 19

Nolite timere pusillus grex, quia cõplacuit patri uestro dare uobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite uobis sacculos qui non ueterascunt, thesaurum non deficientem in cælis, quo fur nõ appropriat, neq; tinea corrumpit. Vbi enim thesaurus uester est, ibi & cor uestrum erit.

Nulla uos terreat res, pusille grex, pauci estis, humiles estis, idiotæ estis, nullis opibus, nulla potentia, nullis armis, nullis copijs instructi estis aduersus mūdum hunc impium & omni genere machinarum in uos coorturum. Non est tamen quod formidetis, sic complacitum est patri uestro, reiectis potētib; doctis & elatis, uobis iuxta mundum abiectissimis dare regnum hoc, quod arcanis opibus animorum, quod cœlestibus præsidijs inuictum est. Quare delecti ad tantam dignitatem regni cœlestis, contemnite ista humilia, destinati bonis perennibus, negligite mox peritura. Quod si terrenæ possessiones remorantur uos à rebus tanto melioribus, uendite quæ possidetis, & pecuniam inde collectam erogate in subleuandam pauperum inopiam. Non possunt diuitiæ magis in tuto collocari; non possunt maiore certioreq; cum fœnore deponi. Qui dat eleemosynam deo fœnerat, qui non potest fallere, & ut diues est ac mox auferens pro uilibus reddet pretiosissima, pro terrenis cœlestia, pro fluxis ac mox auferendis æterna. His igitur opibus studete ditescere. Parate uobis sacculos, qui non ueterascunt, reponite uobis thesaurum in cœlis, qui nunquã deficiet, ut ubi uobis tutus sit & à furibus & à tineis. Siquidem hoc uidemus usuueneri, ut ubi quisq; thesaurum habet, ibi habeat & cor. Quod enim quis uehementer amat, eius non potest obliuisci. Veluti diues qui domi conditas habet aut desolatas opes, etiã si foris agat, tamen animus domi est, sollicitus ne fur compilet, ne quis casus prodat, aut uitiet thesaurum: rursus qui amant, semper in eo quod amant habent intentum animum. At oportet uestrum cor semper esse in cœlis: atque illic semper erit, si in terris nihil habueritis, quod uel miremini uel ametis, sed uniuersum thesaurum uestrum reconditum habueritis in cœlo. Tempus breue est, toto studio hoc agendum, ut quàm plurimum bonorum operum recondatis in cœlo.

E Sint lumbi uestri præcincti, & lucernæ ardētes (in manibus uestris) & uos similes hominibus expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptijs, ut cum uenerit & pulsauerit, confestim aperiant ei.

Instat dies quo quisque pro semine rerum temporalium messurus est meliorem æternam. Is dies quoniam uobis incertus est, oportet in eum semper esse paratos et accinctos. Eritis autem si nullis mundanarum rerum impedimentis remorabimini, si nullam occasionē benefaciendi prætermiseritis. In hunc igitur diem sint lumbi uestri semper præcincti, sint lucernæ ardentes in manibus uestris, ut similes sitis prudentibus & fidelibus famulis, qui quoniam incertum habent quando dominus sit rediturus à nuptijs, perpetuò stant accincti cum reuerdis, ut simul atq; reuersus pulsauerit, confestim adsint, & ad uota paratos se accommodent, sine aliqua mora ad officia domino præstanda, ut nihil nisi uenturum dominum cogitent & affectent cum summa fide.

Beati

Beati serui illi, quos cum uenerit dominus, intenerit uigilantes: amē dico uobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si uenerit in secunda uigilia, & in tertia uigilia uenerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi.

Non erit ingrata domino hæc famulorum sedulitas, sed beati fuerint, si dominus subito ueniens offenderit illos uigilantes. Nam illud affirmo uobis, quod dominus pro officio, quod tamen debebant, amplissimam mercedem reponet. Siquidem ipse uicissim præcinget se, & iubebit illos discumbere, ac præteriens obseruando quid quisque postulet, ministrabit illis. Nec refert qua parte noctis uenerit (id enim incertū esse uoluit) sed quacumque noctis uigilia uenerit, siue in secunda, siue in tertia, uel intempesta nocte, beati futuri sunt serui, si dominus offenderit eos paratos. Non est igitur unquam cessandum in hac uita, sed ita uiuendum, quasi dies illa hodie esset uenturus: sic enim uult dominus, id requirit a seruis. Obreper enim improuisus, proinde semper curandū ne opprimat imparatos. Siquidem ubi semel ille uenerit, iam seruum fuerit sarcire superiorem somnolentiam.

Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamiliās qua hora fur ueniret, uigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam. Et uos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis ueniet. Matth. 24. d

Nullus est paterfamiliās tam socors, qui passurus sit à fure nocturno perfodi domum suam, si nosset quo tempore fur uenturus esset. Quod si ille uigilante spoliatur bonis terrenis, quanto magis uobis est uigilandum, ne perdati sitis sine aternam. Sicut fur nocturnus obreperit eo tempore quo dormitur altissime, minimeque expectatur suffosor: ita filius hominis subito ueniet eo tempore quo minime uenturum suspicabimini. Proinde quoniam uobis id tempus ignotum est, certum tamen est illud affuturum, sitis perpetuò parati, instructi fide in dominum uiua, & bonis operibus omnibusque mundanarum rerum impedimentis expediti.

Ait autem ei Petrus: Domine, ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes? Dixit autem dominus: Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituet dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille seruus, quem cum uenerit dominus inuenierit ita facientem; uere dico uobis quia supra omnia quæ possidet, constituet illum. Apoc. 16. e

Hos sermones quum audisset Petrus, ait domino: Num istam parabolam uis ad nos proprie pertinere, an ad omnes pertinet? Dominus autem ita temperat responsum, ut non neget aliqua ex parte pertinere ad omnes, qui cupiunt aternam salutem, sed præcipue significet ad eos pertinere, quibus credita est dispensatio sermonis euangelici. Adiecit autem & aliam parabolam, quo magis accenderet suos ad perpetuam instantiam officij sui, proponens & præmium functis officio, & poenam ei qui cessaret in officio. Inter homines, inquit, rarū est inuenire fidelem ac prudentem dispensatorem rei familiaris, qui peregre agente domino curet illius familiam cui præfectus est, non ut tyrannidem in eam exerceat, sed ut ex opibus domini cuique suum dimensum quantum opus est & quando opus est depromat. Beatus erit ille seruus, quem subito reuersus

dominus offenderit in officio. Siquidem expertus fidem & diligentiam in di-
mensis, præficiet eum omnibus bonis suis, ac ueluti rerum omnium cõsortem
habere dignabitur.

F Quod si dixerit seruus ille in corde suo: Morã facit dominus meus
uenire, & coeperit percutere seruos & ancillas, & edere & bibere & ine-
briari, ueniet dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ne
scit, & diuidet eum, partemq; eius cum infidelibus ponet.

Contrã, si seruus ille nec bonæ fidei fuerit nec prudens, sed elatus absentia
domini, ac delegata præfectura, dixerit suo cum animo: Dominus meus iam in
longum proferi reditum, & fortasse nunquam rediturus est, interim moram ge-
ram animo meo: coeperitq; sæuire in conseruos & ancillas, non solum non pa-
scens eos ex tritico domini communis, uerum etiam pulsans illos & uerberans,
ac tyrannidem quandam usurpans, ipse interim edat & bibat, cõmessetur, ine-
brietur, heri bona foedis uoluptatibus luxuq; prodigēs. Quid futurum arbitra-
mini tali dispensatori? Nimirum redibit dominus die quo non expectabatur, et
hora qua nesciebatur, ac famulum illum secure quidlibet facientem, diuidet, &
amputabit à familia sua, nec dignabitur eum domus suæ contubernio, sed an-
numerabit eum reliquis infidelibus, luiturum poenas, qui noluerit esse memor
officij. Nulla re magis sibi conciliare potest animũ domini sui dispensator euan-
gelicus, quales esse debent episcopi omnes, quã ut absentis domini benigni-
tatem & fidem representent in proximum, in ecclesiasticos omnes, nec se putet
esse dominum, sed meminerit esse conseruum. Quo uero perfectior fuerit cog-
nitio ueritatis euangelicæ, hoc erit grauior condemnatio, si quod didicit esse
rectum sequi negligat. Leuius enim puniuntur gentes, quibus nec per legem
nec per euangelium annunciata est ueritas, quã Iudæi, quos lex erudit ad
liquem proectum pietatis. Et rursus inter hos acrius punientur pharisæi & le-
gisperiti, quã idiote. Sed omnium grauißimas poenas dabunt, quos cognita
ueritas euangelica, quos tot miracula, quos exemplum meum, non prouocari
ad studium ueræ pietatis. Ego nihil cælaui uos, quicquid pater cœlestis uos per
me scire uoluit, communicauit uobis. Cauete igitur exemplum serui negligētis.

Ille autem seruus qui cognouit uoluntatem domini sui, & non se
præparauit, & non fecit secundum uoluntatem eius, uapulabit multis:
qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, uapulabit paucis. Omni-
autem cui multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commen-
dauerunt multum, plus petent ab eo.

Seruus ille quem dominus præ cæteris habuit eximium, cui concedidit di-
spensationem rerum suarum, cui communicauit arcana cõsilij sui, cui filius est
abiens peregre, nisi fecerit quod iussus est, seseq; prepararit ad exequenda que
sciebat ex animo uelle dominum, uapulabit plagis multis. Qui uero fuerit de
grege seruorum cui dominus non indicauit animi sui uoluntatem, si quid com-
miserit animaduersione dignum, plagis uapulabit paucis. Non est igitur quod
euangelici sermonis dispensatio uobis commissa reddat uos insolentiores, sed
potius sollicitiores. Onus suscipit potius & uerius quã honorem, qui funcio-
nem suscipit ecclesiasticam. Gratuitum est quod conceditur, & in hoc concre-
ditur, ut proferatur in utilitatem communem totius familie. Quoniam seuerè
admodum heri rationem exactionis exigunt ab eo, cui plus commiserunt: sic
ab eo

ab eo cui copiosius cognitionis & authoritatis munus datum est à deo, plus requiratur quam à cæteris, & cuius fidei latior ac maior functio delegata est, quo pluribus prodesse debuit, hoc plus exigitur ab eo: quo doctior es, hoc docebentius: quo ditior es, hoc libentius subleua pauperes: quo potentior es, hoc plures authoritas pertrahat ad euangelium. Alienum est quod habes, dominus uult erogari quod credidit.

Ignem ueni mittere in terram, & quid uolo nisi ut accendatur? *Baptismo* autem habeo baptizari, & quomodo coartor, usquedum perficiatur?

Sitio salutem hominum, & huius gratia ueni in mundum, ac meo desiderio iam omnis mora longa est. Non est diluta nec humana doctrina, quam è cælis aruli. Merus ignis est, aut purgaturus hominem aut uolurus. Et ideo ueni, ut hic ignis accendatur in terris. Quid enim aliud desidero? Semel accensus late corripit uniuersum mundum incendio. Sed non exiliet hic ignis, nisi percussus fuerit in cruce hic silex corporis mei. Superest adhuc ille baptismus, quem mihi præscripsit pater, ut tingar proprio sanguine, ut mea morte pœnas luam pro peccatis totius mundi. Tum demùm ericabit inter homines illa scintilla charitatis euangelicæ, quum uiderint innoxium ultro pro noxijs sustinuisse mortem ignominiosam. Hæc enim est scintilla perfectæ charitatis, & ab hoc baptismo non solum non abhorreo, sed amore salutis humanæ uehementer angor, ut quam primùm perficiatur. Abhorret natura corporis, sed desiderat charitas spiritus. Verùm hic ignis accensus excitabit magnos in orbe tumultus. Vehemens enim erit ignis & cœlestis, discutiens & excutiens omnes affectus humanos.

Putatis quia pacem ueni mittere in terram? Non, dico uobis, sed *separationem*: erunt enim ex hoc quinque in domo una diuisi, tres in duos, & duo in tres: diuidentur pater in filium, & filius in patrem suum, mater in filiam, & filia in matrē, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam. *Matth. 10. d*

An creditis quod uenerim allaturus pacem in terras, quam mundus hic amat, cui tum tranquillitas est, quum satisfactum est animi cupiditatibus, quum mali cum malis cōsentiant? Non profecto, non ueni cōglutinaturus tales concordias, sed immittiturus dissidia. Non omnes obedient euangelio, & euangelij mala contemnenda sunt omnia. Itaq; fiet, ut in eadem domo, in qua prius erat mea causa diuident inter sese, tres aduersus duos, ac rursus duo aduersus tres. Quid enim coniunctius quam patri filius? & tamen pater euangelij gratia similiter mater dissidiū habebit cum filio, & filius euangelij causa patrem contemnet. Similiter mater dissidiū habebit cum filia, sed apud filiam plus ualebit charitas euangelica quam affectus parentum. Socrus item bellum suscipiet cum nuru sua, sed apud alteram præponderabit amor salutis æternæ affinitati carnis. Vehementius enim urgent uincula spiritus quam naturæ.

Dicebat autem & ad turbas: Cum uideritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: *Nimbus uenit, & ita fit: & cum austrum flantem, dicitis: Quia æstus erit, & fit.* Hypocritæ, faciem cœli & terræ nostis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem & à uobis ipsi non iudicatis quod iustum est? *Matth. 10. d*
Marc. 8. b

Post hæc dominus Iesus cōuersus ad turbas, dixit: Cur igitur uos non præparatis animos uestros regno dei, quod in proximo est? An non sentitis imminere tot indicijis rerum? Cur hic estis parum boni coniectores, quum in rebus tanto leuioris momenti tam sagaciter coniectetis? Quum enim conspexeritis nubem emergentem à mari ab occasu, statim prædicitis futurum imbrem, & ueniet sicut prædicitis. Ac rursus cum senseritis austrum flantem, statim prædicitis æstum fore, nec fallit uos uestra diuination. Parum refert autem, utrum pluat an non pluat, sed plurimum refert ut per euangelicam fidem salutem assequamini perennem. O hypocritæ, ut omnia uestra fucata sunt, qualis est uestra sanctimonia, talis est & prudentia, in his quæ sunt huius uitæ sapitis, in his quæ sunt æternitatis nihil uidetis. Obseruatis faciem cœli & terræ, & hinc colligitis præfagia rerum futurarum: quum sit autem ut hoc tempus quod omnibus uel salutem adfert æternam, si fuerit acceptatum, uel exitium æternum, si fuerit neglectum, ex tot proditijs indicijis non animaduertitis instare? Scitis quid propheta promiserint: uidetis & auditis tam multa quæ dicuntur & geruntur inter uos: uidetis innouari mundum, & nondum ex uobis ipsis cōiectatis adesse tempus promissum? Hoc solum erat omnibus studijs agendū, nec oportet rem ullam uobis esse tantū, cuius gratia dispendiū faciatis euangelici profectus.

Matth. 5. d

Cum autem uadis cum aduersario tuo ad principem, in uia da operam liberari ab illo, ne forte trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exies inde, donec etiam nouissimum minutum reddas.

Si tibi res est & possessio à fide & iustitia impediens, uende: si quis laetit, con dona potius quàm persequaris ius tuum. Quod si res eò processerit, ut eatur ad iudices, uel inter eundem da operam ut libereris ab aduersario tuo. Præstat uel iniquis conditionibus finire litem inter uos, quàm incertum euentum iudiciorum experiri, ubi non semper superior causa est quæ melior. Alioqui committis te ipsum periculo, ne iudex tradat te damnatorum exactori, & exactor conijciat te in carcerem. Quod si fiat, illud affirmo tibi, non exabis inde, donec resoluas quod petitur, usque ad extremum quadrantem. Negotiosa res est litigare, nec uacat his immorari tricis qui properat ad metā euangelicæ perfectionis. Primum igitur expende quanto plus lucri sit in condonanda iniuria, quàm in persequenda, in deserenda re quàm in uindicanda. Primum lucrifeceris amicitiam, quæ suscepta lite periclitatur. Deinde temporis compendium facis, quod erat tibi nō parum multum in lite periturum. Ad hæc animi tranquillitatem lucraris quam lites adimere solent. Postremo uitas quicquid malorum adferre potest infelix litium exitus.

CAPVT XIII.

A Derant autem quidam ipso in tempore nunciantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificijs eorum. Et respondens, dixit illis: Putatis quod hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico uobis, sed nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.

Dum hæc aliæq; multa promiscuæ multitudini loquitur dominus, præmissis inuitans

inuitans ad officia pietatis, supplicij territans, nullumque non mouens lapidem ut animos auditorum accenderet ad melioris uitae studium, commodum aduenere quidam, qui rem nouam & horrendam auditu nunciarent de Galilaeis quibusdam facinorosis, in quos Pilatus praeses nouo exemplo animaduertat, sic ut sanguinem hominum nocentium misceret cum sanguine pecudum, quas immolabant ritu Iudaico: quoniam autem erat enorme quod illi perpetrarant, ad terrorem omnium horrendo supplicio puniti sunt. Solet autem uulgus hominum execrari sic punitos, sibique plaudere quod tale nihil patrarit, quum saepe plausor ille sceleratius sit malus quam illi quorum manifestum scelus publico supplicio fuit expiatum. Iesus itaque uolens huius exempli terrorem, quem illi non putabant ad quenquam pertinere, nisi ad eos qui eadem facinora patrassent, ad omnes peruenire, respondit illis: An creditis, quod isti Galilaei soli scelerati fuerint inter omnes Galilaeos, quod in hos solos defauit seueritas iudicis? Non satis est uos non admittere quod admiserunt illi, ab omnibus peccatis resipiscendum est: quod nisi feceritis, quanquam interim dei lenitas tolerat uos ut conuertamini, tandem omnes simili dei uindicta peribitis.

Sicut illi decem & octo supra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos: putatis quia & ipsi debitores fuerint praeter omnes homines habitantes in Ierusalem? Non, dico uobis, sed si non poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.

Non uobis spem impunitatis faciat ultio aliquantisper dilata: nisi mature resipueritis, subito ueniens opprimet uos, quemadmodum nuper illi decem & octo ruina turris oppressi sunt in Siloe: ut suffugiatis ultionem hominum, dei uindicta uitari nullo modo potest. Ad omnes uos pertinet paucorum exemplum, An creditis quod cum istos opprimeret ruina turris, non fuerint Hierosolymis multi his etiam sceleratioribus: sed hos dei clementia differt in spem poenitentiae. Quorundam crimina manifesta sunt, quorundam latent, & suis quisque malis blanditur, sed nemo bonus est inter uos, nec erit cuiquam impunita sua malitia: quin illud affirmo uobis, nisi resipueritis a pristinis malis, similiter opprimet ultio diuina. Videte igitur ne lenitate dei abutamini ad licentius peccandum, memores hoc grauiorem uenturam ultionem quo serius uenerit.

Dicebat autem hanc similitudinem: Arborem ficum habebat quidam Bplantatam in uinea sua, & uenit quaerens fructum in illa, & non inuenit. Dixit autem ad cultorem uinea: Ecce anni tres sunt ex quo uenio quaerens fructum in ficulnea hac, & non inuenio; Succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat. At ille respondens dixit ei: Domine, dimitte illam & hoc anno usquedum fodiam circa illam, & mittam stercorea, & si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam.

Prouocat deus multis modis ad poenitentiam, nunc blandiens, nunc territans: tandem ubi uidet obstinatam hominum malitiam, nullis rationibus emendari, semel totum hominem funditus perdit, ut alijs exemplum sit utile, qui sibi bonus esse noluit. Hanc sententiam quo dominus Iesus altius infigeret animis, crassa similitudinis, adiecit similitudinem ad rem accommodam: Quidam, inquit, habebat arborem ficum plantatam in uinea sua, qui plantauerat suo tem-

pore uenit ad illam, quærens fructum iam primum ex foliorum protentu promissum, neque quicquam inuenit præter folia. Accito itaque uinæ colonos ait: Ecce iam tertius præterijt annus, quod uenio ad hanc ficum, quærens ex ea fructum, nec inuenio, itaque succide illam, ad quid etiam terram occupat, umbra efficiens uitæ, & succum ad se trahens, quo poterant ali arbores frugiferæ. Colonus autem respondit domino suo: Domine passus illam triennio, ut soli uis huc & hoc anno, donec experiar extremam curam. Nam fieri potest, ut soli uisatio sterilis sit, fodiam igitur circa illam, & inijciam stercora. Hoc fomento excitata, si fructum produxerit seruabis arborem: sin autem uideris eam esse deploratæ sterilitatis, uenies ad id quod supremum est, & succides eam ne saltem officiat uinæ tuæ. Hac parabola dominus in genere quidem communiter notauit gentem Iudæorum, quæ toties prouocata ad meliora per patriarchas, per Moysen ac legem, per prophetas, per Ioannem, denique per tot miracula, per euangelicam prædicationem, tamen quia perstitit in obstinata malicia, summa excindendam à Romanis. Et ecce mox exemplum fici sterilis, ut quod parabola typus deliniarat, res ipsa subijceret oculis. Ceremoniarum legalium obseruatio ueluti folia erant synagogæ, quæ uidebantur ceu polliceri dulcissimum ac deo gratissimum fructum ueræ pietatis, & charitatis erga proximum, quum non solum nihil huiusmodi produxerit, uerum etiam amarus fructus adiderit, inuidiæ, odij, obrectationis, blasphemix, homicidij.

C Erat autem docens in synagoga eorum sabbatis. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere. Quam cum uidisset Iesus, uocauit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus, & confestim erecta est, & glorificabat deum.

Domini cum ex more suo doceret sabbatis, aderat ibi in synagoga mulier quædam, cui decem & octo annis res fuerat cum morbo immedicabili in flexu: erat enim adeo contracto corpore, ut non posset erigere caput, nec aspicere sursum. Ecce materiam exerendi fructus boni, nisi ficus omnino sterilis fuisset. Mulier hæc imaginem gerebat gentium, & eorum qui palam impij & selecti, calamitatem suam præ se ferebant, toti defixi rebus terrenis, de rebus æternis & cœlestibus ne cogitantes quidem. Contra, Iudæus erectus stabat in uisua domini, quæ est synagoga, uerbis legis et ceremonijs corporalibus ceu non dibus ornatus, qui nihil aliud nouit quam inuidere & calumniari. Dominus autem primum elementissimis illis oculis suis intuitus est mulierem. Iam hoc mox sequuturæ salutis omen est. Nec hoc contentus, ultro uocauit ad se: felix quemcunque accersierit ad se Iesus, & felix qui audit uocantem. Venit mulier plena bonæ spei. Morbus diutinus erat, & immedicabilis, sed nulla est tanta infirmitas aut impietas, quæ per euangelicam fidem non aboleatur. Videamus igitur fructum bonæ arboris quem in synagoga desiderabat Iesus. Mulier, inquit, libera es ab egritudine tua. Non dedignatur eam sui sacri corporis contractum. Imposuit illi manus, ac protinus erecta est, & agnoscens cœlestis beneficium, glorificat deum. Ita subito mutata gentium ecclesia, relictis simulachris, relicto studio pecuniæ, relictis foedissimis cupiditatibus, quibus diu sic fuerat alligata, ut nec aspirare posset ad cognitionem rerum cœlestium, cœpit laudare eam

nam diuinam, cuius gratuito beneficio semel liberata esset ab uniuersis uitijis suis, quibus obnoxia miserè seruierat satanæ. Iam ex aduerso considera malæ arboris fructum malum.

Respondens autem archisynagogus, indignans quia sabbato curasset Iesus, dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari, in his ergo uenite & curamini, & non in die sabbati. Respondens autem ad illum dominus dixit: Hypocrita, unusquisque uestrum sabbato non soluit bouem suum aut asinum à præsepio, & ducit ad aquam? Hanc autem filiam Abraham, quam alligauit satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit solui à uinculo isto die sabbati?

Quum factum uidisset archisynagogus, uidelicet ficus illa sterilis, & folijs tantum legis sese uenditans oculis hominum, indignans quod Iesus sabbato curasset mulierem, ueluti rem magnam docturus, uertit sese ad cõcionem. Nunc audi uocem uere pharisaicam, & ex hac totam illorum doctrinam aestima. Homo pius, timens ne populus exemplo Iesu prolaberetur in impietate, consulit Ilium salui, dicens magna cum auctoritate: Sex dies sunt in quibus fas est opus facere; proinde si quis sanari cupit, ueniat illis diebus, sabbatum autem uiolare nefas est. Hanc tam stolidam uocem non tulit clementissimus dominus, qui sabbatum non in hoc condiderat, ut à iuuando proximo cessaretur, sed à male factis esset perpetua quies, quam illa sabbatorum otia figurabant. Quoniam autem hæc uox archisynagogi ex omnium pharisaorum, scribarum ac legis peritorum sententiâ proferbatur, per unum respondit omnibus: Hypocrita, inquit, qui neglecta uel legis, corticem duntaxat urgetis, ac speciem iustitiæ prædicatis, quum procul absitis à uera pietate: uidete quam hic sitis iniqui in uobis geritis, cui sabbati religio obsistat, quo minus à præsepio soluat bouem suum, aut asinum, adaquaturus illum? Si iudicatis non uiolari sabbatum, ob beneficium quod muto iumento impenditur, mihi uelut facinus atrox impingitis, quod hanc Abraham filiam germanam uidelicet, parentem sinceritate fidei referentem, sanari sabbato? Vobis tanti est priuatum commodum, ut ueltra gentis mulierem, quam satanas decem & octo annis habuit astrictam soluere sabbato? Si opus interdicitur sabbato, uter plus operis facit? qui soluit asinum & ducit ad aquam, an ego qui solo uerbo & contactu sanauit totam mulierem? Siccine mitiores estis in bouem aut asinum quam in sororem aut fratrem? & sic legem obseruatis, ut eius superstitione negligatis id quod totius legis est caput: charitatem in proximum, cum fide in deum.

Et cum hæc diceret, erubescabant omnes aduersarij eius, & omnis populus gaudebat in uniuersis quæ gloriose fiebant ab eo. Dicebat ergo:

Hic sermo Iesu quoniã perspicuam habebat ueritatem, & ad sensum etiam communem, humanæ naturæ consentaneum, pudorem incussit obrectatoribus illis, qui multi fuisse præsentem intelliguntur in synagoga, quorum egerat personam & negotiũ archisynagogus. Dolebant enim aliquid suæ gloriæ decedere apud multitudinem, apud quam eatenus sese uenditarant.

Matth. 13. d
Marci 4. e

Cui simile est regnum dei, & cui simile esse æstimabo illud: Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & factum est in arborem magnam, & uolucres cœli requieuerunt in ramis eius.

Dominus Iesus indicare uolens omnem illam phariseorum inanem ostentationem, quæ magnificam habebat sanctimonix speciem, breui euanituram: contra, uim euangelicam ex humilibus initijs profecturam in tantam amplitudinem, ut totum orbem ad se pertrahat, idq; per mortẽ, per apostolos humiles & idiotas, proposuit duas parabolas eiusdem sententix. Videtis, inquit, regnũ synagogæ pugnare cum regno dei: euincet tamen id quod potentius est. Itaq; uelut afflatus nouo spiritu dominus, quo redderet attentiores multitudinem, dixit: Cui rei dicam esse simile regnũ dei, aut cui cõparabo illud, ut ex hac nulli uestrum non notissimũ intelligatis quale sit: Quumq; iam omnes expectarent magnificam aliquam similitudinem de sole aut fulmine sumptam, maluit a contemptissimo legumine ducere parabolã. Simile est, inquit, grano sinapis, quod quamdiu est integrum, ut minutissimum est, ita uilissimum est, nec colore nec odore blandiens oculis, & si quid habet uigoris, intus habet. Hoc homo quidã prudens nactus non contempsit, sed seuit in horto suo. Enatum est autem illud contemptissimum semen, & excreuit in arborem ingentem, adeo, ut in ramis eius etiã aues nidularentur, pro uno granulo multa millia producerent. Sic regnum dei quum maxime uidebitur extinctum, tum sese latissime proferet. Rursus autem cui rei simile dicam regnum dei?

Matth. 13. e

Et iterum dixit: Cui simile æstimabo regnum dei: Simile est fermentum, quod acceptum mulier abscondit in farinæ fata tria, donec fermentetur totum.

Simile est regnum dei exiguæ massulæ fermenti, quod prudens mulier abscondidit in farinæ conspersæ tribus mensuris, atq; ibi reliquit ueluti sepulcrum, donec nec paulatim fermenti uis afficeret totam illam quamuis multam farinam. Sic humilis doctrina euangelica quondã occupabit uniuersas orbis nationes: quin & si quando malitia antichristianorum abscondi uidebitur euangelica uis & doctrina, sic, ut abolita uideri possit & timeri, nihilominus tamen prodibit magnifica uis illius, & fructus pietatis propagabit inuitis omnibus hostibus suis.

Matth. 7. b

Et ibat per ciuitates & castella docens, & iter faciens in Ierusalem. Ait autem illi quidam: Domine, si pauci sunt qui saluantur: Ipse autem dixit ad illos: Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico uobis quærunt intrare, & non poterunt.

Hæc locutus Iesus properabat eò, ubi granum erat infodiendum terra, ubi fermentum abdendum in farina. Faciebat enim iter Hierosolymam, ubi sciebat se occidendum, sed inter eundem per singulas ciuitates ac uicos docebat omnes, ne quid temporis periret ab euangelio. Quoniam autem sublimia quedam docuerat de uendendis facultatibus, de uiuendo ex tempore coruorum & liuorum ritu, de non contendendo cum aduersario, quidam adiens eum dixit: Domine, an pauci sunt qui salutem consequuntur? Nam ista quæ doces haud ita multos reor amplexuros. Rursum autem parabola de grano sinapis & fermento uidetur diuersum polliceri, nempe uim regni dei peruenturam ad multos.

tos. Iesus autem ostendere uolens famam quidem & cognitionem euangelicæ doctrinæ, ad hæc & miraculorum gesta peruentura iam ad plurimos: ceterum neminem fore saluum, qui non depositis omnibus huius mundi cupiditatibus sequatur humilem Christum, dixit: Contendite intrare per angustam portam, id non cōtingit oscitantibus, conandū est, angustus est ingressus, sed ducit ad latitudinem regni cœlorum. Non capit hæc porta onustos diuitijs, cumulatōs honoribus, distentos luxu, graues auaritia, turgidos & elatos fastu. Qui tales sunt eligunt uiam latam, spaciosam, & prima specie blandam, sed ducentem ad mortem. Nunc igitur contendite intrare dum patet aditus, excutite sarcinas omnes ut uos capiat angustus ingressus. Nam illud affirmo uobis, Erunt complures olim qui cupient intrare, nec licebit, uidelicet occluso iam aditu.

Cum autem intrauerit paterfamiliās & clauerit ostium, & incipietis foris stare, & pulsare ostium, dicentes: Domine, aperi nobis. Et respondens, dicet uobis: Nescio uos unde sitis. Tunc incipietis dicere: Manducauimus coram te, & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet uobis: Nescio uos unde sitis: discedite à me omnes operarij iniquitatis.

Matth. 7. d

Psal. 5. c

Matth. 7. b. 25. d

Quum intrauerit paterfamiliās & clauerit ostium, quod nunc patet omnibus adnitentibus, tunc sero respicientēs agnoscetis errorem uestrum, & inuidentes his qui sunt ingressi, incipietis obsidere ostium & pulsare fores, dicentes: Domine, aperi nobis. Tunc ille qui prius non est auditus inuitans ad ingressum, uicissim non audiet uos, sed respondebit hunc in modum: Audio uos uos incipietis dicere: Quis fit domine, sed ego uos nō agnosco famulos, quærite eum cui seruistis. Tunc uos es, edimus & bibimus tecum, & in plateis nostris docuisti, & sumus tui discipuli, atque etiam in tuo nomine sanauimus ægrotos, & dæmonia eiecimus. Hic respondebit paterfamiliās: Ista quæ commemoratis non efficiunt mihi germanos discipulos: qui meis uestigijs ingressus fuerit, hunc ego pro meo agnoscam, uos unde sitis nescio: discedite à me, nihil uobis proderit nouisse legem, audisse me & uocem meam, nihil gentis cognatio, aut consuetudinis familiaritas, nihil ædita in nomine meo miracula: quisquis inuidet aut odit fratrem, quisquis sua gloria consulit cum iniuria gloriæ dei, quisquis pecuniam anteponit charitati proximi, hic quacunque de gente uenit meus non est. Abite igitur recepturi uobis dignum præmium ab eo quem coluistis.

Ibi erit fletus & stridor dentium, cum uideritis Abraham, & Isaac, & Iacob, & omnes prophetas in regno dei, uos autem expelli foras. Et uenient ab oriente & occidente, & aquilone, & austro, & accumbent in regno dei. Et ecce, sunt nouissimi qui erunt primi: et sunt primi qui erunt nouissimi.

Matth. 19. d. 20. b

Marc. 10. d

Famuli mei quoniam mecum & mea causa passi sunt, mecum æterni conuiuij iucunditate fruuntur. Vos qui sæculi uoluptates praposulistis æternæ felicitati, illuc abite, ubi erit fletus et stridor dentium. Augebit enim calamitatem uestram aliorum conspecta felicitas, quos hic fueratis persequuti. Videbitis

enim progenitores uestros, Abraham, Isaac et Iacob, et prophetas omnes, quos uestri maiores uel afflixerunt uel occiderunt, accumbentes in regno dei, in celestibus gaudijs mecum regnantes, quin & in ecclesia fidelium, etiam adhuc militante constitutos in maxima gloria, quos orbis totius fideles admirabuntur, & pro magistris fidei & pietatis agnoscent, exemplaria sanctimoniarum, & omnium uirtutum, quos uos Iudaei contempstis, & contemptus illius in regno dei, ac uos ab his prognatos expellemini foras, nec quicquam uobis prodesse poterit generis & cognationis prerogatiua, nihil profuerit legis obseruatio, nihil audisse me, nihil adidisse miracula: per fidem intrandum erat ad hanc felicitatem. Accedet & aliud quod acrius etiam uret animos uestros, Vobis reuulsis qui credebatis uos solos recipiendos, uenient ex omni totius orbis natione, ex omnibus mundi plagis, promiscue nulloque delectu, quibus nihil fuit cognationis cum Abraham, Isaac & Iacob, nulla notitia legis, nulla communio priuati foederis, nulla mecum familiaritas, & subito per fidem adoptati in filios Abraham accumbent in regno dei. Ita res praeter expectationem uestram in die uersum uertetur: qui uidebantur proximi saluti, procul a salute reuoluentur: & qui uestro iudicio habebantur alienissimi a deo, idololatrae, centuriones, publicani, milites, meretrices, primum honorem habebunt in regno dei.

G In ipsa die accesserunt quidam pharisaeorum, dicentes illi: Exi & uade hinc, quia Herodes uult te occidere. Et ait illis: Ite, & dicite uulpi illi: Ecce eicio daemones, & sanitates perficio hodie & cras, & tertio die consummor. Veruntamen oportet me hodie & cras & sequenti die ambulare, quia non capit prophetam perire extra Ierusalem.

Quoniam erant haec inuisa Iudaeorum auribus, passim magna cum libertate docebat Iesus. Pharisei quidam ut iniecto metu obturarent os euangelicum, adierunt Iesum, dicentes illi: Consule uitae tuae, & relinque Galilaeam, nam Herodes huius prouinciae rex tibi male uult, & uenatur occasionem occidendi te, quod nisi caueris, nihilo mitius tractabit te quam tractauit Ioannem. Iesus autem declarans sibi nihil esse periculi a quoquam homine, nisi uellet ipse, nec se moriturum, nisi eo tempore quo decretum esset, nec alio genere mortis, nec alio loco, quam constitutum esset, ait illis: Ite & dicite uulpi illi, qui uersuta humana credit se aliquid posse aduersus consilium dei: Ecce non est Herodis quod gero, nec licet desinere ante tempus a deo praescriptum. Nihil Herodis curaris in hoc negotio: quemadmodum enim illius auctoritas nemini potest praestare ut haec agat, ita neminem potest impedire ne quod agit peragat. Cur autem tem impediatur si bona sunt quae facio? Eicio daemones, & propello morbos, haec gratis operor, non diu facturus. Breue tempus est quod multi cuperent esse longius, sed ita mihi patris meo decretum est, ut ad salutem hominum haec agam hodie & cras, & tertio die summam manum meis factis impono. Non oportet igitur hoc exiguo tempore ab officio delegato cessare, sed tanto maiore re conatu quod delegatum est agere, quo spacium est breuius. Non igitur mihi fugiendus est Herodes, sed petenda est Hierosolyma, ubi mori decretum est, ut palam fiat omnibus ciuitatis huius impietas, quae se nomine religionis iactat. Siquidem illa est uetus illa prophetarum interfecitrix, neque conuenit ut propheta quisquam pereat extra Hierosolymam.

Ierusalem

Ierusalem Ierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties uolui cōgregare filios tuos, quemadmodum auis nidum suum sub pennis, & noluisti? Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta. Dico autē uobis, quia non uidebitis me donec ueniat, cum dicetis: Benedictus qui uenit in nomine domini.

Interim misericors dominus, qui pro sua bonitate cupiebat omnes saluos fieri, prouidens imminere insanabili ciuitati supremum excidium, deplorat illam, quæ toties spreta dei bonitate ad meliora uocantis, meruerat extremam uisionem: O Hierosolyma Hierosolyma, illa uetus interfecitrix prophetarum, ac lapidatrix eorum qui mittuntur ad te, quoties conatus sum cōgregare filios tuos, mihi cōp adiungere, non secus atque gallina congregat pullos suos sub alas suas ne pereant, tua uero pertinacia uicit meam bonitatem, & quasi deuota exitio, sic omnia respuis per quæ possis sanari? Proinde quando tu nullum imus ueltra deserta, sic ut uix ullum uestigium superfuturum sit istius urbis, quæ nunc se iactat ut religionis caput. Transferetur à uobis omnis gloria, ac demigrabit ad gentes, ipsi feretis sententiam aduersus uos, occidetis quidem me, sed illud affirmo, non prius uidebitis me, quàm dicatis: Benedictus qui uenit in nomine domini. Hæc erit uestra professio, quam ueritas à uobis extorquebit, sed tamen mox reuersi ad ingenium progenitorum uestrorum occidetis quem prædicastis.

CAPVT XIII.

Factum est cum introisset Iesus in domum cuiusdam principis pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Iesus, dixit ad legisperitos & pharisæos, dicens: Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse uero apprehensum sanauit eum, ac dimisit.

Dominus sciens satis pharisæorum morositatem & inuidiam, quamlibet nonnunquam dissimularent eam officiose inuitando ad prandia, ingreditur in eorum domos. Curæ enim ei erat animarum utilitas, et propterea ingressus est. Potuissent enim uel ex doctrina uel exemplo uel etiã ostensione miraculorum utilitatem percipere, si quidem uoluissent. Accumbebant illi & multi alij pharisæi, qui more suo obseruabant Iesum, si quid diceret facerētue quod in eo cauerunt. Et ecce in promptu parata calumniæ occasio. Aderat enim illic homo quidam hydropi obnoxius malo ferè immedicabili, colore lurido, corpore turgido, sed huic misero profuit uenisse in cōspectum Iesu: infelix enim peccator qui se subducit ab eis aspectu, qui cupit omnes saluos fieri. Non hic considerauit dominus quomodo non offenderet multos, sed quomodo sanaret eos qui cura sua indigebant. Oportet enim nos ubi magna prospectat utilitas non cogitare insipientes qui scandalizantur. Non igitur ignarus quid apud se cogitarent pharisæi & legisperiti, eos rogabat an sabbato fas esset conferre sanitatem homini perituro. Nonne manifeste irridet eos ut insipientes? Siquidem quum deus sabbatum benedixerit, ipsi benefacere prohibent in eo, & per hoc

faciunt omnino maledictum. Non enim benedictus est dies in quo bona fieri non sinuntur. At quum hi scientes quò tenderet interrogatio silerent, Iesus quod suum erat facit, & accersens hydropicum contactu suo subito sanat, & iubet abire. Illico mutatus est homini color, subsedit corporis tumor.

B Et respondens ad illos, dixit: Cuius uestrum asinus aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati? Et non poterant adhuc respondere illi.

Hoc factum cum esset mirabile, tamen pharisæos offendebat uiolata sabbati religio. Iesus autem ostendens illorum religionem esse praposteram, qui in salute hominis offenderentur, in asino sanato non offenderentur, respondit illorum tacitis cogitationibus, ac dixit: Si cuiusquam uestrum asinus aut bos decidisset in puteum die sabbati, utrum expectaret donec præterisset sabbatum, an potius nihil moratus statim eodem die extraheret iumentum suum ne periret? Si tantum apud uos ualet bouis aut asini salus ut non putetis uiolari sabbatum, cur offenditur animus uester quod hunc hominem, cui præfens erat periculum ab aquis intercutibus seruauerim die sabbati? Si opus expenditur, plus est operis in extrahendo iumento quam in hoc homine seruando, uidi, contigi, dimisi: si personam æstimatis, potior esse uobis debet unius hominis salus, quam plurimorum asinorum aut bouum. Ad hunc quoque sermonem obticere pharisæi, quorum animi sic erant corrupti deprauatiq̃, ut quum non haberent quod dilucide ueritati responderent, tamen approbare non possunt quod à Iesu fieri uidebant. Quod si quid ipsi eiusmodi facere potuissent, omnibus tubis ebuccinassent gloriam suam.

C Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & ueniens is qui te & illum uocauit, dicat tibi: Da huic locum, et tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere: Sed cum uocatus fueris, uade, recumbe in nouissimo loco, ut cum uenerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram similibus discumbentibus: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

Dominus Iesus Christus omnium factorum suorum gloriam uolebat esse penes patrem deum, pharisæorum fucatam sanctimoniam ubiq̃ detegebat, qui nimium diu imposuissent simplici populo. Venabatur enim gloriam suam apud homines, & ideo inuidebant gloriæ dei. Atq̃ hic erat uerus hydrops animi, nascens ex corrupto iudicio mentis, ueluti ex epate uitiato. Collocantes enim gloriam in his rebus in quibus non erat gloriandum, tumebant foris inani fastu, intus intestinis omnibus misere corruptis ac putrefactis. Proinde dominus mede contactu sanarat hydropicum, cupit & horum morbo salutiferi sermonis mederi pharmaco. Quicquid enim agebant pharisæi ad fastum, & inanem ostentationem agebant, obambulabant in phylacterijs, orabant in triujs, dabant elemosynam præcinente tuba, ieiunabant arte obscurata facie, in foro uenabantur magnificas salutationes, in conuiujs captabant honoratiores accubitus. Tanta erat sitis stultissimæ gloriæ, tantus erat tumor, sed intus nihil erat synecurum.

Prover. 25. 6

Injra 13. c

Matth. 23. 6

rum. At facile sanatus est ille, qui aqua intercute laborabat, quia morbum agnoscebat, & sanari desiderabat. Morbus animi sanari non potest, si non agnoscas. Iesus itaque taxare uoluit fastum illorum, quos princeps ille pharisaeorum non ad hospitalitatem sed ad ostentationem inuitarat, quod uocati ad conuiuia ambirent locum honoratiorem, sibi placentes si sella contigisset honestior, tristes si locus cessisset inhonoratior. Quales uidemus adhuc esse ferme solennes Romanorum pompas, quoties a synagoga proceditur ad conuiuium, in synagoga sedent in sublimi, caeteros uelut ex alto despectantes, citius cubito deturbantur quam cuiquam cessuri locum suum. Viator ingredientibus uiam facit subinde repetito honorifico titulo, offenduntur si quis non assurgat praetereuntibus, si quis caput non aperiat, si quis ausit considerare priusquam ingrederentur, si quis illi Rabini in hoc conueniunt, ut discant aut doceant, sed apud populum uenentur gloriam. Magna pompa ueniunt, sed maiore egrediuntur, dices ludos agi solennes, aut diuitis funus incedere. Hic rursum claudat latus eius qui uidetur inferior. Rursus in conuiuio mira de loco contentio. Quid multis: hydrops est quicquid agunt, inanis gloriae uenatus est, quum interim apud populum pro dijs haberi uelint. Iesus igitur cupiens huiusmodi morbo laborantes docere, non esse ueram gloriam quae ambitur, sed quae cum promerearis uitatur, proposuit huiusmodi parabolam, ciuilitate tangens uniuscuiusque conscientiam, ut neminem tamen proderet. Quum fueris inuitatus ad nuptiale conuiuium, caue ne ipse primum occupes locum, ne forte posteaquam tu accubueris, superueniat alius te honoratior, iamque ueniens is qui te & illum inuitauit, iubeat te surgere, & locum dare honoratiori, tum pro captata gloria lucrifacies ignominiam, & cogeris cum rubore tenere locum extremum. Quin potius si inuitatus fueris ad honorabile conuiuium, sume tibi locum accubitus postremum, ut cum uenerit conuiuator, dicat tibi: Amice, ascende ad locum honoratiorem, tunc tua modestia cedit tibi in gloriam apud conuiuas reliquos: modestiam tuam noscent ex eo, quod tibi postremum locum delegeris, dignitatem agnoscent ex conuiuatore. Sic est in hominis uita, quo quisque maior est, hoc se magis debet deicere, donec ueniat ille qui uera perpetuamque gloria subuehit humiles iuxta mundum, & elatos ac sublimes deiecit. Sic in regno dei populus receptus est usque ad apostolicae dignitatis fastigium, sacerdotes, pharisaei, scribae, & legisperiti reiecti sunt. Gentes agnoscentes humilitatem suam euecti sunt ad aeternae gloriae consortium, Iudaei qui soli regnare uolebant in hoc conuiuio, nunc aut nullum habent locum, aut habent postremum. Atque haec quidem parabola pertinebat ad superbos pharisaeos. Adiecit dominus & aliam, quae peculiariter pertinebat ad pharisaeorum principem.

Dicebat autem & ei qui se inuitauerat: Cum facis prandium aut coenam, noli uocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque uicinos diuites, ne forte & ipsi te reuident, & fiat tibi retributio: sed cum facis conuiuium, uoca pauperes, debiles, caecos, & claudos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.

Diuites dum uolunt hospitales uideri, non uocant quos reficiant, sed eos a

Tob. 4. 6

Prouer. 3. 6

quibus uicissim inuitentur, & unde gloriam aucupentur sibi. Atque hæc quidem non est hospitalitas, sed ambitio, uel auaritia, uel utrumque. Liberalitas enim est, quæ libenter cuius præstat beneficium, sine spe reducturæ gratiæ. Parabola sic habet: Si uis bene collocare conuiuium tuum, si quando est tibi animus exhibere prandium aut cœnam, noli uocare amicos tuos, qui tua liberalitate non egeant, aut qui bene de te meriti sint, ne uel referre gratiam uel captare beneficium uidearis, uel pudore uocare ne uidearis ingratus, neque fratres tuos aut uicinos, ne beneficium cognationi datum uideatur non affectui, neque uicinos diuites, ne tibi pereat exhibitæ beneficii gratia. Peribit autem si illi te uicissim inuitent, & conuiuium aut æquale aut lautius etiam exhibeant: sic enim pensato beneficio nihil debent gratiæ. Sed si cupis bene collocare conuiuium, unde tibi readeat amplissima merces, non ab hominibus, sed à deo, uoca pauperes, debiles, cæcos & claudos: in his refocillandis deum refice, non dicas, in his opera & impenſa perit, non enim habent quod rependant, & semper egent. Hoc ipso beatus eris, quia non habent quod referant, sed habent opulentissimum patrimonium, qui sibi patietur imputari quod in illos collocatum fuerit, is restituet pro temporarijs æterna. Noli præpropere poscere mercedem, bonæ fidei est cui certe restituet enim haud dubie, si non in hac uita, quanquã hic quoque restituet, certe in resurrectione iustorum. Hæc autem domini parabola non solum pertinebat ad pauperes conuiuio reficiendos, sed ad subleuandam omnem proximam necessitatem, siue docendus est, siue monendus, siue consolandus, siue alio quocumque charitatis officio promouendus ad salutem. Hæc autem deo sunt præstantia non homini.

D Hæc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus qui manducabit panem in regno dei.

Hæc cum de conuiuio nuptiali dominus dixisset, de quo resurrectione iustorum, quidam è conuiujs ueluti per somnium tactus desiderio celestis illius conuiujs, dixit: Beatus cui contingeret edere panem in regno dei: ueluti subindicans paucos fore quibus cessura sit eadem felicitas, quasi non quilibet ad illud conuiuium sint admittendi, sed duntaxat Iudæi aut Iudæorum primores.

Math. 22. a
Apoc. 14. b

At ipse dixit ei: Homo quidam fecit cœnam magnam, & uocauit multos. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis ut uenirent, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire & uidere illam: rogo te habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga bouum emi quinque, & eo propterea bare illa: rogo te habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo nō possum uenire. Et reuersus seruus, nūciauit hæc domino suo.

Domini Iesus proposita parabola docuit primo quidem loco uocatos Iudæos, ne queri possent sese spreto esse, sed dum ipsi dediti rebus mundanis uocati recusant uenire, plures habentes peritura bona quam uitam æternam, uocandas esse omnes promiscue nationes, ut impleretur ecclesiæ cœtus. Parabola erat huiusmodi: Homo quidam prædiues constituerat exhibere cœnam magnificam, ad eam uocauerat quam plures. Quumque iam instaret cœnæ tempus, & horam, properarent. Inuitat olim per prophetas, denunciatur rursum per Iohannem ac filium hominis: Venite, inquit, iam enim parata sunt omnia. Hic qui

fruiliceret expectata diu cœna, cœperunt simul omnes excusare, alius alio prætextu. Primus enim intentus augendæ rei domesticæ, ac prius habens lucrum terrenæ possessionis quàm æternæ felicitatis, respondit urgenti famulo: Prædium habeat me in agro, & necesse est eò proficisci, ut inuisam quod emi; rogo te mercatus sum in agro, & necesse est eò proficisci, ut inuisam quod emi; rogo te habeat me dominus tuus excusatum. Itum est ad alterum, ille simili morbo laborans, respondit: Iuga bouum emi quinque, eundum est igitur ut ea probem an feliciter emerim; rogo te effice ut dominus tuus habeat me excusatum; liberet enim uenire, si liceret. Itum est ad tertium, & is excusauit, dicens: Vxorem duxi, & scis quàm sit res operosa, quot curas secum trahat, & idcirco si maxime uelim non licet nunc uenire. His atque alijs prætextibus quum sese excusassent omnes, seruus reuersus renunciauit domino suo.

Tunc iratus paterfamiliâs, dixit seruo suo: Exi cito in plateas & uicos ciuitatis, & pauperes ac debiles & cæcos & claudos introduchuc. Et ait seruus: Domine, factum est ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait dominus seruo: Exi in uias ac sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico autem uobis quod nemo uirorum illorum qui uocati sunt, gustabit cœnam meam.

Dominus indignans quod ultro uocati ad tam honorabile tamque felix conuiuium, ob res friuolas excusarent omnes, quo magis urerentur in posterum, simulatque intellexissent, & quantam rem spreuissent, & nunc in spretæ felicitatis societatem successissent, dixit seruo inuitatori: Abi celeriter in omnes plateas & uicos huius ciuitatis, & quoscunque habueris obuios debiles, cæcos, & claudos, adducito ad conuiuium meum. Illos honoris gratia primos uocaui, non habent quod querantur: illorum fastidium non perdet conuiuium meum; erunt qui fruuntur, etiam si illi contemnant oblatum honorem; efficiam ut qui tibi uideantur magni, cæcis, debilibus, claudis et omnium abiectissimis hominibus inuideant. Redijt seruus, & peractis quæ mandarat paterfamiliâs, ait illi: Domine, adduxi quoslibet etiam e medijs uijs, & tamen adhuc aliqua pars tui conuiuii uacabit; nam apparasti copiosissimum & innumerabilium conuiuiarum carum. Dominus autem cupiens apparatus conuiuium quàm plurimis esse usui, dicit seruo: Abi rursum uel extra ciuitatem, in uias ac sepes, & undecunque colige mendicos, hospites uel ignotissimos, qui si grauentur uenire, uel improbitate compelle ut ueniant ad me, & tandem impleatur domus mea. Illud autem affirmo uobis, quod nemo uirorum illorum quibus id honoris habitum est, ut primi uocarentur, & fastidierunt, gustabit cœnam meam; fortassis poenitebit illos olim quum uiderint lautitias ac splendorẽ conuiuii, & inuidebunt his qui uobis ipsorum fastidium locum fecit; sed frustra tum cupient ingredi, qui cum liceret excusauerunt. Quotidie cœna præparatur, & uocamur omnes ad regnum; propter scientiæ curiositatem, alij uero propter rerum terrenarum cupiditatẽ, alij autem propter carnalitatẽ non meremur illud. At dei misericordia alijs quæ sit uoluntas dei, uel intelligunt quidem, sed claudi sunt, ad operandum tardis, & immobiles, & omnino debiles ac pauperes, eo quod superna gloria exciderint, neque immaculata uita conspicui fuerint. Illis igitur peccatoribus in latitudine & spaciosis peccatorum uijs errantibus, mittit pater filium suum, ad cœnam in-

uitantem, qui secundum carnem seruus fuit, qui non uenit ut uocet iustos, sed peccatores, inuitatq; eos liberaliter, præ doctis illis & diuitibus, & carni indulgentibus: multos autem morbos & pericula immittendo facit eos etiam inuoluntarios renunciare huic uitæ, quibus indicijs solet inducere illos ad coenam suam. Necessitatem enim faciens periclitationē, & huius exempla multa sunt.

Matth. 10. d

Fabant autem turbæ multæ cum eo, & conuersus dixit ad illos: Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus: & qui non baiulat crucem suam & uenit post me, non potest meus esse discipulus.

Matth. 10. d. 16. d

Marci. 9. d

Hæc in conuiuio pharisæorum Christus locutus perrexit ire Hierosolymam: comitabatur autem illum ingens hominum multitudo, sequebantur multi pedibus, qui uitæ exemplo sequi non potuissent: ibat enim ad crucem, ad quam oportet esse paratum quisquis uult esse illius discipulus. Cōuersus igitur ad sequentes se, dixit: Non omnis qui me sequitur pedibus corporis uere meus est discipulus: nemo se mihi iungat nisi paratus ad eadem ad quæ ego propero: omnibus humanis affectibus renunciet oportet qui uolet perpetuus meus esse discipulus. Etenim si quis uenit ad me, nec adhuc odit patrem, & matrem suam, uxorem, filios, &c. quin insuper & suam ipsius animam aut uitam, non potest meus esse discipulus: & qui grauatur baiulare crucem suam, atq; ita sequi me, non potest meus esse discipulus: alioqui si quis ad me ueniat obnoxius humanis affectibus, diuitiarum, honorum, uoluptatum, parentum, cognatorum, affinium, cupiditati uitæ, formidini mortis, ad obiectam occasionem resisteret ab instituto. Proinde priusquam aggrediaris negotium, nequaquam tolerabilis est animum præpara ad omnia dura quæ sint perpetienda: alioqui tolerabilis est non aggressum esse, quam ab eo quod cœperis deficere: saltem hic ea prouidentia præstanda est, quam homines præstant in rebus multo leuioribus.

Quis enim ex uobis uolens turrim ædificare, nõne prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum, ne posteaquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui uident incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare?

Quis est ex uobis tam improuidus, ut in animo habens ædificare turrim, statim autē temere aggrediatur quod cogitat? Non enim solum supputat apud se, turrim, sed antequam iaciat fundamenta, sedens per otium supputat apud se, quantis impendijs sit opus futurum ad turrim absoluendam: quod si deprehenderit rem familiarem angustiorem esse, quam ut sumptum necessarium ferre possit, abstinet, ne si semel iacto fundamento postea destiterit, eo quod perficere non possit, omnes qui prætereuntes conspexerint opus cœptum & intermissum, incipiant ei illudere, dicentes: Hic homo, &c. Itaque si tantum habet momenti pudor apud homines, ut nemo ausit ædificium incipere, nisi consultis facultatibus domesticis, quanto magis oportet expendere robur animi uesstri, priusquam profiteamini uos fore sectatores meos, à quo si semel cœperis resiliere, grauis sit ignominia apud angelos dei. Non est delicata res sequi me, nec satis est magnifice dicere, nisi robur adsit par tanto negotio.

Aut

Aut quis rex intrus committere bellum aduersus alium regem, non G sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus uenit ad se? alioquin adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt.

Et hæc quoque parabola nos docet, ne bellum ineamus cunctanter cum uicinis, & duplici animo contra malignos dæmones hostes nostros, sed cum circumspectione & fiducia in dominum adoriamur. Rex est animus noster à deo inditus, & corpori mortali insertus. Rex quoque est & fortior, peccatum regnans in mortali nostro corpore. Grauis & terribilis est eius exercitus, maior & numerosior nobis. Quippe dæmones peccati sunt milites, qui censentur uiginti millia contra nostra decem millia: sunt enim incorporei infestatores nostrorum corporum, alioqui propensorum ad pugnandum contra animū. Ut cuncti tamen fortes sint, nos tamen resistere poterimus, si dei gratiam imploremus, & dicamus: In deo faciemus uirtutem, dominus illuminatio mea & salus mea, quem timebo? Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Vnde dominus nobis tradidit uirtutem calcandi omnes hostes: unde in carnem quidem existentes non carnalia arma habemus. Honestius, inquit, est ante prælium commissum agere de rebus componendis, quam post eladem acceptam inhonestioribus etiam legibus accipere pacem, & inuocare auxiliatoris amicitiam, ut constet tranquillitas quæ non est in potestate nostra, sed dei, à quo omnino bonum nostrum pendet, quem & ob id unice obseruare, colere & pro auxilio inuocare debemus.

Sic ergo omnis ex uobis, qui nō renunciat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Si homines in rebus huiusmodi subducere rationem norunt quid præstare possint priusquam incipiant, quanto magis oportet idem facere in negotio sequendi Christum, & prædicandi euangelium, suscipiendi discipulatum Christi, & contemptus rerum mundanarum, quo negotio non est aliud maius aut fortius. Quisquis igitur est ex uobis, qui sequitur me, nec toto affectu renunciat omnibus quæ possidet, sed adhuc carnis cupiditatibus permouetur & non tranquillitati studet amator sui ipsius, tenui fide & cunctabundus audire sermonum & promissorum meorum, nō potest meus esse discipulus. Is mere sequetur diutius, non permanebit mecum in tentationibus, sed in tempore crucis recedet. Oportet aut ingenuum esse discipulum meum, & studiosum fidei in me, aut nullum. Nihil enim abiectius eo, qui à suscepta professione professionis euangelicæ uictus cupiditatibus carnis resilit, Oportet autem discipulum meum esse similem sali.

Bonum est sal: si autem sal quoque euanuerit, in quo condietur? Nebet in terram, neque in sterquilinum utile est, sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi audiat.

Sal si uigorem suum habeat, ualet seruandis & condiendis omnibus cibis: quod si semel sal esse desierit, & uis illa natiua euanuerit, ut ipsi sali sale sit opus, fiatque intra se insipidum & languens, nulla ratione potest effici, ut ad ullum ualeat usum, nec enim condire potest aliquid, nec ab alio sale condiri aut conseruari. Cæteræ res etiam si corrumpantur, tamen aliquem de se præbent usum: ueluti uinum ubi uapuerit, uertitur in acetum: sal uero magnæ quidem rei, sed

uni natus, si factus fuerit insipidus, nulli hominum usui accommodatus est, adeo, ut ne in sterquiliniū quidem sit utilis, quò conijciuntur etiam ea quæ sunt corruptissima. Adfert enim sterilitatem admixtus lætamini, & adeo nullam affert usquam utilitatem, ut lædat etiam quicquid attigerit. Hoc sermone dominus Iesus admonuit quorundā temeritatem, qui uolebant uideri discipuli Christi, quum non ignoraret etiam eos, quos ex omnibus paucos selegerat, ad crucis horrorem defecturos esse, & concupiscentijs eneruandos, ut ludam, ad crucis sermo infingeretur animis eorum in posterum intelligēdus, adiecit: Audiat hæc cui sunt aures talium rerum capaces. Non enim quorumlibet aures huiusmodi dicta ferre possunt.

CAPVT XV.

A Rant autem appropinquantes ei publicani & peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant pharisæi & scribæ, dicentes: Quia hic peccatores recipit & manducat cum illis.

Cum conflueret ad dominum uniuersa populi multitudo, nec ille quenquā submoueret aut fastidiret, ausi sunt etiam propius ad illum accedere publicani quidam & peccatores: quod genus hominum pharisæi uehementer abominari solent, ad ostentationem sanctimonie, quum certissimum sanctimonie signum sit non fastidire peccatorē, sed adniti modis omnibus ut resipiscat, & resipiscenti gratulari, familiariterq; complecti, donec ad omne bonum coalescere conspiciamus conuersum. Itaq; pharisæi qui cum essent intus pleni fastu, liuore, odio, auaritia, superbia, tamen sibi iusti uidebantur, uidentes quod Iesus non grauate sui copiam faceret publicanis, cæterisq; ob palam admissa infamibus, quod genus sunt lenones ac meretrices, murmurant aduersus illius clementiam, dicentes: Hic qui nouam quandam sanctimoniam profitetur, tamen non uitat malorum consortia, sed notos etiam peccatores admittit ad colloquiū, & adeo non fugit congressum, ut cibum etiam cum illis capiat, non cogitans quod malorum contubernio contaminentur boni. Iesus autem ut hunc fastum inclementer penitus eximeret ex animis suorum, tres parabolas proposuit, diuersis argumētis eodem adhortantes, nimirum ad summam clementiam erga peccatorem resipiscentem, qui non solum repellendus non est quum redit ad mentem meliorem, uerum etiam modis omnibus inuitandus est ut resipiscat. Prima parabola sic habet.

Matth. 18, 6

Et ait ad illos parabolam istam, dicens: Quis ex uobis homo qui habet centum oues, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonagintanouem in deserto, & uadit ad illam quæ perierat donec inueniat eam? Et cum inuenierit eam, imponit in humeros suos gaudens, & ueniens domum conuocat amicos & uicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, hi, quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico uobis, quod ita gaudium erit in cælo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonagintanouem iustis qui non indigent poenitentia.

Quam inquit deus non auersetur peccatorem resipiscentem, ex suo quisque animo coniectare potest. Est ne uestrum quisquam cui sint oues centum (nimirum sua cuique res chara est) nec cupit aliquid inde perire. Quid faciat autem si e centum ouibus contingat unam aberrare? An non unius damno tantopere commo-

commouebitur, ut relictis nonagintanouem in deserto, sollicitus cursitet ad illam quæ perijt, neque conquiescat donec inuenerit: Quid autem si contingat & gregi iunget, lætior de una recepta, cui timuerat, quàm de incolumitate totius gregis cui non metuebat. Tanta est autem gaudij magnitudo, ut sese non contineat, quin & apud alios effundat. Nam domum ueniens, perinde quasi insigni lucro auctus, conuocat amicos & uicinos, dicens illis: Gratulamini mihi, meoq; gaudio uelut amici gaudeatis: quandoquidem decet inter amicos esse omnia communia, quoniam inueni ouem quæ mihi perierat. Si hic est affectus boni pastoris erga gregem suum, quo affectu putatis esse deum erga genus humanum, quod condidit, quod alit, quod in sui nominis gloriam duxit satanas: An ille spereturus est peccatorem, quem à grege sehil non facturum est, ut perditum asserat, multoq; cum gaudio recipiat poenitentem, quem doluerat perijisse: Illud affirmo uobis, quod quemadmodum pastor ille ob unicam ouiculam receptam gaudet cum amicis & uicinis suis: ita maius gaudium erit omnibus angelis in cœlo de uno peccatore resipiscente, quàm de nonagintanouem iustis, quibus non est opus poenitentia. Hæc imago summe bonus, qui collapsum genus humanum patri reconciliauit, de suo dependens quod nos commeruimus, nostraq; peccata baiulans in corpore suo. Quoniam autem nullam reperit nationem, quæ non esset multis peccatis obnoxia: tamen Iudæi ad cæteras gentes collati, uidebantur habere speciem iustitiae, quod deum unum colerent, quod legem à deo traditam obseruarent. Eterant inter Iudæos, qui præceptorum legalium tenatiores, sibi uidebantur non egere poenitentia. Sed horum iustitia minus attulit gaudij pio pastor, quàm Gentes à maximis ac manifestis criminibus resipiscentes, ab idololatrijs, ab adulterijs, à libidinibus prodigijs. Et inter Iudæos magis illustrauit dei misericordiam Paulus, ex persecutore factus apostolus, quàm si Christum tacitus cum suo Iudaismo miscuisset, quod à multis tamen factum est. Pertinet autem parabola generaliter ad apostolos, & apostolorum successores episcopos. Nam non oportet Christi principis affectum erga gregem ipsius representare, si tantum pastores mercenarij non sint. Fit enim frequenter, ut qui ab enormibus præcursis peccatis conuertuntur ad ueram pietatem, studio pietatis longe fastidiet euangelicus pastor, sed omnia tentabit, donec ad ecclesiae caulas redierit, resipiscens multo publicoq; gaudio recipiet. Obmurmurent pharisæi, qui fucata iustitia freti, non intelligunt quanto gratior sit deo misericordia quam sacrificium. Qui uere iusti sunt, qui amici boni pastoris, maiori gaudio gratulabuntur receptæ oui, quàm multis in sua frigida iustitia confidentibus. Non enim imputant pristinos errores, quos semel gratis condonarit & obliuiscit, sed applaudunt ad nouæ uitæ studium recurrenti. Redire non potuit nisi pastor humeris suis reuexisset, atque ideo sanctorum chorus applaudit bonitati diuinæ, non inuidens alteri quod in se quisque expertus est, & omnium commune ducens, quod unicuiquam membro contigerit, seu bono seu malo. Aequum autem est esse totius ecclesiae communem lætitiã, quum moeror & sollicitudo fuerit omnium communis. Hæc igitur erat prima parabola, qua dominus taxat pharisaicam & arrogantem iustitiã, quæ peccatores tan-

tum oderat ac uitabat, quum ueræ pietatis sit omnium procurare salutem, peccantes summa cum mansuetudine reuocare ad meliora, respicientes summo cum affectu charitatis recipere. Hac clementia si Christus qui solus peccatum non nouit usus est, quanto magis decet hominem, & ipsum peccatis obnoxium, idem facere erga proximum suum:

Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdidit drachmam unam, nonne accendit lucernam & euertit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eam? Et cum inuenerit, conuocat amicas & uicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. Ita dico uobis, gaudium erit coram angelis dei super uno peccatore poenitentiam agente.

Altera parabola sic habet: Quæ est inter uos mulier, cui si ex decem drachmis una perierit, negligat damnum unius nummi, quum nouem sint incolu-
mes? Quid igitur faciet? Nimirum accendet lucernam, euerret totam domum, scrutabitur omnes angulos, nihil non mouebit loco: breuiter, non faciet quærendi finem, donec inueniat drachmam perditam. Quod si contingat inuenire, tantum est de una recepta gaudium, ut sibi non temperet, quin & apud amicas suas ac uicinas effundat, quibus conuocatis, dicit: Gratulemini mihi quod inuenerim mihi drachmam, quæ mihi perierat. Non iactat nouem drachmas quæ non perierant, de una recepta gloriatur, & hac una sibi uidetur lo-
cupletior, quam nouem illis. Si mulier sic est affecta erga nummos suos, ut doleat quicquam perire, & ut uehementer gaudeat receptum esse quicquid perijt, quamuis pusillum, quanto magis deus nihil uolet perire ex hominibus, pro quibus seruandis seipsum impendit, quos ad imaginem suam condidit?

C Ait autem: Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me con-
tingit. Et diuisit illis substantiam, Et non post multos dies congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, & ibi dissipauit substantiam suam uiuendo luxuriose.

Tertiam parabolam adiecit, quæ quanquam & ipsa generaliter pertinet ad omnem peccatorem, post ingentia flagitia resipiscentem, tamen pro temporis illius quo dicta est ratione peculiarius notat Gentes ad euangelij gratiam receptas, & Iudæos qui sibi iusti uidebantur illorum inuidentes felicitati. Parabola sic habet: Homo quidam, inquit, habuit duos filios, ex his qui minor erat natu, adolescentiam & stultitiam in consilium adhibens, adiit patrem, & ait illi: Pater, da mihi portionem facultatum quæ redit ad me, experiar enim meo more quid adlucrifacere possim. Pater indulgens partitus est inter duos filios substantiam, & unicuique data est sua portio, cum facultate utendi ut uellet, non tamen sine spe profectus. Ac maior quidem haud longe seiunctus est à domo paterna: minor uero intra dies paucos diuenditis omnibus, contracta præsentem pecuniam peregre profectus est in regionem longinquam. Quid faceret adolescens, & semotus à patre, & uiuens peregre? Diuortium facit cum benignissimo patre deo, qui facit se aduenam mundi. Non est ista locorum seiunctio

o, sed affectuum. Corruptunt bonos mores colloquia praua. Iudaicus populus legem acceperat, cuius ductu sciret quid esset sequendum, quid fugiendum. Habuit & Gentium populus dotes suas, uim ingenij, cognitionem rerum conditarum, ex quibus licuisset cognoscere conditorem, sicut & cognoscere mores, quin & de ratione recte uiuendi libros absolutos adiderunt, sed immendulsi, ut stulte abuterentur, uerum ut ex his parentem beneficium colerent, suorum cultu ad longiorem munificentiam prouocarent. Quantum autem aberrarunt à deo, qui ligna, lapides, qui canes, boues, simias, serpentes, cepas & porrum colebant pro dijs? qui in eas turpitudines prolapsi sunt, à quibus brutitia quoque animantia semouet naturæ sensus? Infelix autem libertas, quam patris præsentia non moderatur. Quid enim accidit iuueni emancipato? Inter perigrinos prodegit omnem substantiam, non ipsius qui nihil habebat suum, sed patris. Prodegit autem per luxum, alea, scortis, conuiujs. Luxus enim est, quicquid extra necessitatem carnis cupiditatibus impeditur. Hæc nimirum corruptunt ac uitiant, quamuis præclaras naturæ dotes.

Et postquam omnia consumpsisset, facta est fames ualida in regione illa, & ipse coepit egere. Et abiit, & adhæsit uni ciuium regionis illius, & misit illum in uillam suam ut pasceret porcos. Et curiebat implere uentrem suum de siliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat.

Vbi profudisset totam substantiam suam, per omnia morem gerens animo suo, orta est fames ingens in ea regione, in qua iuuenis peregrinabatur. Nihil enim habet hic mundus quod explere possit animū hominis, præter summum illud bonum, quod non est nisi in domo patris. Quid faceret adolescens peregrinus inter ignotos, inudus & fame periclitans? cui graue fuit obtemperare & barbaro. Quum recusant homines accipere suauem iugum domini, coguntur ferre durissimum iugum satanæ. Vis audire quàm sit misera seruitus satanæ seruire cupiditatibus mundanis? Ciuis ille misit illum in uillam suam, ut illic pasceret porcos suos. A quanta dignitate in quantam contumeliam sua stultitia deuenerat miser adolescens? Ex ditissimæ domus hærede factus est seruus & bubulcus. Nec interim crudelis ille dominus dabat quod ederet. Quid mulantis? Tanta erat fames ueritatis & gratiæ diuinæ, quæ sola explet animum hominis, ut cuperet implere uentrem quibuslibet uel siliquis, quibus saginantur porci. Neque quisquam erat qui uel hoc pabulum illi daret, ut iam infeliciores esset ipsis porcis, quibus seruebat uerius quàm imperabat. Iam illa ipsa naturæ bona destituerant iuuenem, perierat arbitrij qualiscunque libertas, & tamen corruptissimus animi stomachus aliquid cibi flagitabat. Omnis inanis mundi uoluptas ad breue tempus deliniens, nec satians nec faginans animum, porcorum siliquæ sunt. His delectantur dæmones ac sibi addictos inescant uerius quàm satiant. Nec harum semper est parata copia, aut si est, multo felle dolorum uitiata est.

In se autem reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereor? Surgam, & ibo ad patrem meum.

trem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in caelum & coram te, & iam non sum dignus uocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenarijs tuis.

Iam igitur erat uentum ad extremam calamitatem: sed felix calamitas quae compellit ad resipiscentiam. Siquidem hic primus ad salutem gradus, reminisci unde decideris, et agnoscere quo degeneraris. Atque hic erat patris attractus. Aberat quidem ille à patre, sed pater nusquam non adest. Antea iuuenis mente captus erat, dementatus huius mundi praestigijs, fugiens ea quae sola fuerant expetenda, expetens ea quae sola fuerant fugienda. Sed bene habet quum peccator afflatu tacito benigni patris redit ad cor. Iuuenis igitur tandem reuersus ad se, sic sibi locutus est: Vnde, quò ueni miser? Ex patria in exilium, ex opulenta domo in regionem famis, à libertate in seruitutem, ab amantissimo patre ad crudelissimum dominum, à dignitate filij familiars ad foedissimam conditionem, à consortio fratris & famulorum ad porcos. Quàm multi sunt mercenarij in domo patris mei, quibus ex patris benignitate suppetit larga panis copia, & ego filius familiars hic fame pereo. Mercenarij sunt plerique Iudaei, qui praecipua legis utcumque seruant, non ex affectu pietatis, sed ob meritum aut praemium rerum temporalium. Et tamen est aliquid apud patrem familiars tam opulentum pariter & largum, uel conductitium agere, nec diuelli à domo felici. Fiet enim ex mercenario filius, si filij sumpserit affectum. Sancta autem inuidia est, quae iuuenem prouocat ad spem ueniae. Posteaquam enim deplorauit suam infelicitatem, in qua totus iacebat, incipit erigere se, dicens: Surgam, & ibo ad patrem meum. Qua tandem fiducia? An habes quo te purges illi? Abusus es illo indulgentissimo, flagitasti tuam portionem, non negauit: ultro reliquisti amantem ac propitium: prodegisti turpiter substantiam paternam, non in hoc tractam. Calamitatem istam nulli potes imputare, nisi tibi ipsi: in defensione facti nullum est praesidium mihi. Vna spes est, quoniam noui patrem esse uere patrem, natura clementem, & exorabilem, fortasse aliquid pristinae charitatis residet in illius pectore: etiamsi ego totum filium exui, non eleuabo, non negabo culpam admissam: plus apud illum ualebit simplex confessio, & animus sibi uere displicens, quam accurata purgatio: quo simplicius odero me ipsum, hoc facilius redaccendam illius in me charitatem. Postremo in summa rerum desperatione, cui me potius committam quam patri? Solus ille potest restituere colapsam, & si quisquam uolet, ille uolet. Non expectabo ut meum crimen, ut meam calamitatem ex alijs cognoscat, qui ultro prouocent ad uindictam: placabilis erit, si rem ut est, ipse narraro. Statuat ipse quicquid uolet, pater est, filius sum: in illum peccatum est quicquid peccatum est. Dicam illi: Pater, peccaui supra modum & coram angelis dei, & coram te, nec posthac me eo loco iudico, qui dicar filius tuus: mihi satis erit, si misertus mei, habeas me eo loco, quo habes unumquemque mercenarijs tuis, liceat modo haerere in aliqua parte familiae tuae. Nulla sane accommodatior oratio ad prouocandum optimi patris misericordiam, quo simplicius confitetur admissum, quod nec calari, nec excusari poterat, quo uehementius sibi displicet, quo magis sese deijcit, quo magis declarat sibi nullam esse spem, nisi in una patris clementia, hoc magis illius animum in leges pertrahit suas. Atque hanc orationis formam non ars suggerit iuueni, sed conscientia sibi quidem tota displicens, sed tamen non omnino pessime sentiens de bonitate patris.

Et surgens uenit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, uidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater, peccavi & in coelum & coram te, iam non sum dignus uocari filius tuus.

Hac igitur concepta fiducia surgit iuuenis. Hic est, ut dixi, primus gradus ad salutem, erigi. Relegit totum iter lachrymans ac gemens, qui ferox & amens a patre recesserat. Habes imaginem hominis ab extremis malis resipiscens: nunc mihi diuinæ clementiæ simulachrum intueri. Nondum iuuenis peruenit ad ædes paternas, quum procul etiam illum pater aduententem prospiceret, ut est oculata pietas. Prior uidit qui tenerius amabat: uidit autem miserabili spectere redeuntem, qui ferox & insolens profugerat. Videbat pannosum, macie confectum, squalidum, gementem, & lachrymantem. Hæc ipsa rerum species statim commouit paternum pectus, & iustam iram flexit ad misericordiam. Procurrit obuiam uenienti, & non expectatis filij precibus, pietate natua uictus, irruit in collum filij, & osculatus est eum. Hæc tametsi essent argumenta propeccati ad ignoscendum animi, tamen sibi etiamnum iratus iuuenis, ait: Pater, peccavi supra modum, & coram angelis dei, & coram te, & tamen audeo uenire in conspectum tuum, quum indignus sim qui posthac nominer filius tuus, quandoquidē a me omnia pietatis iura rupta sunt. Hic mihi in homine qui ex instinctu naturæ sic afficitur ad filium, dei bonitatem intellige, qui multo clementior est erga peccantem hominem, si modo uere & ex animo resipiscat, sibi quæ displiceat, quam quisquam pater esse possit erga filium, quem tenerrime diligit. Nondum omnia dixit filius quæ fuerat meditatus, singultu sermonem interrumpente, plus autem loquebantur lachrymæ quam oratio. Quid autem intentionem? Num intonat sæuis uerbis? Num minuitur uerba? Num abdicationem? Num exprobrat suam in illum benignitatem? Num fugam? Num inuoluntariam, aliaque uitæ dedecora? Nihil horum meminit, tantum est gaudium de recepto filio. Iuuenis abdicat sese, pater restituit: filius seipsum damnat, pater absoluit: filius abiicit sese ad indignitatem mercenariorum, pater pristinam dignitatem restituit.

Dixit autem pater ad seruos suos: Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date anulum in manum eius, & calciamenta in pedes eius, & adducite uitulum saginatum & occidite, et manducemus & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, et inuentus est. Et ceperunt epulari.

Pater ad famulos uersus, ait: Cito depromite huic stolam pristinam, et induite illum, & addite anulum in manum eius, & induite calciamenta pedibus eius: quin & e pascuis adducite uitulum illum insignem & saginatum, & occidite: apparemus conuiuium & gaudeamus, quoniam hic filius meus mortuus fuerat, & reuixit. Tantum ualet apud deum animus uere resipiens. Nullum exiguum supplicium, tantum resipuisse satis est amanti patri. Qui se reddiderat indignum oculis paternis, hunc procul etiam aduentantem conspexit pater: qui commeruerat perpetuo excludi ab ædibus paternis, ut quas turpiter ingratus ultro reliquerat, huic redeunti processit obuiam pater ipse, qui neminem habet domi suæ clementiorem, qui ut intercedat rogari debeat pro filio: qui sese turpi

bus dominis dederat in seruitutem, hunc pater amplexu suo dignatus est: flagra commérito datur osculum, charitatis & pacis argumentum, Felix autem ille peccator quem dominus suo amplexu suoq; dignatur osculo. Culpā confesso, & filij nomen ob conscientiam admissorū recusanti, proferuntur omnia pristinae dignitatis insignia. Perierat quicquid erat uestium quæ decerent filium, profertur illi prima stola prioris innocentiae quam amiserat, & prioris gratiae. Perierat omnis dignitas filij familiās spontanea seruitute, restituitur anulus: & ne quid desit ornatus, uestiuntur & pedes. Nihil horum sperare ausus est iuuenis, & quo minus sperat de merito, hoc plus gratiae impetrat: ac ne quis eum minoris faciat in domo ob erratum adolescentiae, pater uitulo mactato totā familiam ad commune gaudium inuitat, & iustas laetitiae causas reddit. Qualis qualis erat, inquit, filius erat, is mortuus fuerat, & reuixit. Peccatum enim animae mors est: & ad mortem properat quisquis authorem uirae deserit. Deserit autē, quisquis amat ea quæ sunt huius mundi, procul enim absunt eius uoluptates à disciplina dei. Reuiuiscit autem qui respiscit. Perierat irrecuperabiliter, quod ad ipsum attinebat, sed inuentus est. Discedere à familia patris, perire est, extra hanc enim nulla est salus; nec est reditus, nisi pater semet in memoriam ingerat, filio ad extrema deducto. Suggestio patris est beneficium: sed quod suggestio minis pro satisfactione est. Perierat suapte stultitia, sed inuentus est charitate paterna. Quoniā autem toto pectore respicit, quin totus sibi displicuit, non solum pristinae dignitati restituit eum paterna clementia, sed conuiuium etiā addit, quo magis comendaret filium suum omnium suorum affectibus. Qualem autem se praeiuit pater parabolicus in recipiendo filio, tales praeberere se debent pastores & episcopi erga peccatorem respicientem. Verum ab hac imagine multū absunt superciliosi pharisaei, qui suis blandientes uitjs, nihil aliud quam sauiunt in lapsus alienos.

F Erat autē filius eius senior in agro, & cum ueniret & appropinquaret domui, audiuit symphoniam et chorum, & uocauit unum de seruis, & interrogauit quæ hæc essent. Isq; dixit illi: Frater tuus uenit, & occidit pater tuus uitulum saginatum, quia saluum illū recepit. Indignatus est autem, & nolebat introire.

Ecce dum communi gaudio gratulationeq; perstrepat tota domus patris, hoc est, omnis ecclesia uere sanctorum, solus frater pharisaicus inuidet. Dum enim hæc geruntur, filius nati maior domi non erat, sed uersabatur in agro legis Mosaiçae, sudans gestandis oneribus præceptorum, & exandans opera legis grauiā, quoniā frater interim minor acceperat mitissimum patris iugum. Quum autem cœpisset esse uicinus ædibus paternis, audiuit nouum strepitū præ gaudio concinentium ac ducentium choreas. Affixus enim insipidae literæ legis, non nouerat quantum habeat gaudiorum euangelicus spiritus. Hæc dum negligit iudæus, nihil aliud quam in agro legis fodiens & baiulans, intrat rim magno cum gaudio receptus est Gentium populus in domum patris, in aliud sitientis quam salutem suorum omnium. Demiratus autem affectator ueritatis legis & legalium operum suorum ac meritorum, phariseus fidens in propria iustitiam & obedientiam, quid esset nouæ rei, quæue causa insolitorum gaudiorum, non dignatus est ingredi, futurus & ipse particeps communis lætitiæ: quod quidem uehementer optabat pater. Non enim sic receptæ sunt Gentiles, nec

tes, nec recipiuntur conuersi ad pœnitentiam, sic ut exclusi sint Israelitæ, & homines qui semper pietati student, & à uitijs magnis se cōtinent, sed nunc quoque stant pro foribus indignantes, quod ob Gentes ad salutem euangelicam receptas sibi gratuletur ecclesia. Euocauit igitur unum è seruis patris, ac percontatus est quid nam esset nouæ lætitiæ. Is respondit: Frater tuus uenit, quo recepto gauisus pater, occidit uitulum illum insignem, quem diu saginarat, propterea quod illum quem crediderat perisse, incolumē ac saluum receperit. Hic mihi considera uere Iudaicum animum, qui fratri recepto gratulari debuerat, qui patris optimi clementiam prædicare, maluit inuidere fratri & indignari patri.

Pater ergo illius egressus, cœpit rogare illum. At ille respondens, G dixit patri suo: Ecce tot annis seruius tibi, & nunquam mandatū tuum præterui, & nunquam dedisti mihi hœc dum, ut cum amicis meis epularer: sed postquam hic filius tuus qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, uenit, occidisti illi uitulum saginatum.

Mansit foris murmurans & indignabundus. Id ubi rescieuit amantissimus pater, qui cupiebat domus suæ lætitiā omnibus esse communem, progressus est ad illum, ac cœpit blande rogare illum, ut omisso stomacho, iungeret se communi conuiuio, scēq; paterni gaudiij consortem præberet. Nec tanta patris optimi comitate mitescit maior ille filius, sed arroganter exposulat cum patre, & impie fratrem accusat. Ecce, inquit, tot annos seruius tibi, nec unquam præterui præceptum tuum, & tamen nulla est habita ratio diuturni obsequij mei. Cæterum posteaquam ille filius tuus qui tuam substantiam deuorauit cum scorderis tibi uidere filium hunc maiorem indignantem ingredi, & hæc murmurantem aduersus patrem, quē legis pharisæos obtrectantes Christo, quod cum publicanis & peccatoribus cibum capiat: Iudæos indignantes aduersus Gentes, quod admitterentur ad ministerium apostolorum: destomachantes quod Gentes ab idololatria uenientes, absque legis onere per solam fidem admittantur ad gratiam euangelicam, baptismo donentur, & spiritu sancto confirmentur, inuidentes quod ipsis abstinentibus à conuiuio Gentium ecclesia cum inenarrabili gaudio spiritus comedit uitulum illum eximium, quem pater pro salute totius orbis mactari iussit?

At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt: & reuixit: perierat, & inuentus est.

Quamquam & hunc murmuratorem placare conatur parentis optimi benignitas. Fili, inquit, nihil tibi decedit, quod in fratrem utor clementia: nam tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Non enim perinde uoluptati est nunquam interrupta felicitas, sed quemadmodum morbus præcedens commendat nobis redditam corporis sanitatem: ita calamitas præcedens, auxit nobis lætitiā de filio recepto. Debes autē & tu gratulari fratri, nec abesse ab huius conuiuij lætitiā, quia frater hic tuus mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus est. Itaque putato non tibi rediisse eundem, sed pro male frugi probum esse reuatum. Non decet meminisse qualis fuerit, sed gaudere quod talis sit quem optamus. His tribus parabolis dominus Iesus adhortatus est suos ad clemen-

tiam & facilitatem in recipiendis peccatoribus. Nusquam enim magis illustra-
ri gloriam dei, quam cum qui insigniter fuit improbus, subito mutatus affilia-
tu spiritus, fit alius, ex idololatra seruus Iesu Christi, ex raptore subleuator
pauperum, ex libidinoso pudicus, ex ambitioso modestus, ex uindice tolerans
ac lenis. Porro natu minor hoc reperit animum patris propensorem ad igno-
scendum, quod gentes quæ deum non nouerant, errore deliquerunt uerius
quam destinata malitia. Solet enim adolescentiæ esse comes rerum imperitia &
incogitantia: & idcirco huic ætati libentius ignoscimus. Porro Iudæus qui sibi
uidebatur esse iustus, sibi placens ex obseruatione legis, grauius peccat in ui-
dendo fratri quam ille peccauerat aberrando.

CAPVT XVI.

A Dicebat autem & ad discipulos suos: Homo quidam erat diues,
qui habebat uillicum: & hic diffamatus est apud illum, quasi
dissipasset bona ipsius. Et uocauit illum, & ait illi: Quid hoc
audio de te? redde rationem uillicationis tuæ: iam enim non poteris
uillicare.

Quæ hæcenus dicta peculiariter tangebant phariseos, indignantes quod
dominus Iesus uelut immemor suæ dignitatis, publicanos & peccatores admit-
teret ad uitæ consuetudinem. Mox uersus ad discipulos suos, inuitat eos ad u-
beriore clementiam, ut non solum non obmurmurent bonitati diuinæ, ue-
rumetiam ipsi hanc modis omnibus imitentur, per omnem occasionem benefa-
cere studentes proximo suo, subleuantes eum subsidio rerum corporalium, con-
solantes, exhortantes, docentes, admonentes, cõdonantes admittit: decens non
perituram nobis benignitatem nostram, sed in futuram uitam reponi quicquid
hic impenditur proximo. Hanc sententiã huiusmodi parabola proposuit: Ho-
mo quidam erat diues, qui rerum suarum dispensationem crediderat œcono-
mo suo. Is delatus apud dominum suum, quod profusior quam par esset, dissi-
paret bona ipsius. Dominus igitur accito œconomo, dixit illi: Cur isthuc rus-
moris audio de te? redde rationem dispensationis tuæ, posthac enim nolum te re-
rum mearum œconomum. Oeconomus autem ut intellexit breui futurum, ut
amoueretur à dispensandi munere, callide sibi prospexit in breui. Alijs sunt o-
pes, alijs eruditio, alijs rerum usus, alijs aliæ dotes, quod autem par esset largi-
ter in proximum erogare. Nullus enim est dominus earum quas habet dotium,
sed dispensator duntaxat. Cito aufertur hæc dispensatio, quoniam hic omnis ui-
ta breuis est, & post hanc uitam non est benemerendi facultas. Dissipat autem
facultates domini quisquis suis affectibus impedit quod habet, nec deinde pro-
ximum subleuat.

Ait autem uillicus intra se: Quid faciam? quia dominus meus aufert
à me uillicationem: fodere non ualeo, mendicare erubesco. Scio quid fa-
ciam, ut cum amotus fuero à uillicatione, recipiant me in domos suas.
B Cõuocatis itaque singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quan-
tum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi:
Accipe cautionem tuam, & sede, cito scribe quinquaginta. Deinde alio
dixit: Tu uero quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi:
Accipe

Accipe literas tuas, & scribe octoginta.

Oeconomus igitur mox amouendus à dispensatione sua, suo cum animo consultat, dicens: Quid facturum sum? quandoquidem dominus aufert à me dispensandi facultatem: nec est unde uiuam. Nihil enim mihi collegi dum licuit; superest ut aut ad stipem diurnam fodiam in agro, aut publicitus mendicem; unde mihi subito prospiciam; Parabo mihi amicos ex facultatibus domini mei: hi submotum ex officio dispensandi, memores meae erga se benignitatis, recipient me in domos suas. Conuocatis igitur, &c. scribe ait quinquaginta, dominus praediues est, uolo ut dimidium lucrifacias opera mea. Eo peracto, dixit alteri: Tu uero quantum debes? &c. Accipe, inquit, codicillos tuos, & scribe octoginta. Viginti coros non sentiet abductos dominus, tibi uero pauperi usui. Ad eundem modum egit cum caeteris debitoribus.

Et laudauit dominus uillicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius saeculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Et ego uobis dico: Facite uobis amicos de mamona iniquitatis, ut cum cecideritis, recipiant uos in aeterna tabernacula.

Ea frans si comperta fuisset illi diuiti, non fecisset impune oekonomus. Sed tamen dominus Iesus ad exemplum beneficentiae laudauit apud discipulos suos oekonomi illius fraudulentum, sed tamen prudens consilium: & ad huius imitationem pro tanto adhortatus est suos, taxans nostram socordiam, quod homines huic mundo seruientes, in prospiciendo sibi de uictu corporis prouidentia, in prospiciendo quam hi qui abdicato mundo, sectantur ea quae sunt aeterna, in prospiciendo sibi in uitam caelestem. Turpe est autem illos in suo genere sapere ac prouidere, quam agatur in rebus leuibus ac mox perituris, quum nos celsius officijs in proximum conferendis, nobis parare praesidia uitae immortales, quum ob incertum huius uitae terminum expectare debeat quisque futurum, ut audiat a domino, quod audiit oekonomus ille. Posthac non poteris dispensare. Tempus autem hoc quoniam & incertum est cuique, & alioqui nulli non breuis, ut audiat a domino, quod audiit oekonomus ille. Posthac non poteris dispensare. Tempus autem hoc quoniam & incertum est cuique, & alioqui nulli non breuis, ut audiat a domino, quod audiit oekonomus ille. Posthac non poteris dispensare. Tempus autem hoc quoniam & incertum est cuique, & alioqui nulli non breuis, ut audiat a domino, quod audiit oekonomus ille.

Qui fidelis est in minimo, & in maiori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod uerum est, quis credet uobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod uestrum est, quis dabit uobis?

Qui dispensat opes hominis ita demum fidelis dispensator inuenitur, si quam parcissime dispense quod creditum est. At contra, deus qui diues est in omnes, cupit largissime erogari quod dispensandum tradidit: & pro infideli habet, quibus quis ueluti proprium tenuerit quod dominus uoluit esse commune, quoties exigit proximi necessitas. Proinde qui in dispensanda re uilissima secus se gesserit, quam ex sententia liberalissimi domini, nonne uidebitur indignus cui dominus credat rerum sublimiarum dispensationem? Quicquid habemus domini est. Diuitiarum corporales, & quicquid gignit hic mundus, dei benignitas est. Doctrina euangelica reliquaque dotes spiritus dei dona sunt, non in hoc datae, ut his solis fruamur, sed ut in utilitatem proximi dispensemus. Verum hoc interest, quod ea quae pertinent ad refocillandum corpus (quonia extra nos sunt, nec propria sunt neque perpetua) mundi opes potius sunt quam nostrae. Deinde quoniam speciem habent felicitatis iuxta mundum, quum reuera uehementer officiant uerae hominis felicitati, nec hoc sunt quod dicuntur. Dicuntur enim bona, quum uere non sint, quae reddunt hominem infelicem. Igitur opes animi uerae sunt ac nostrae, non quod has deo non debeamus, sed quod possessorem suum non deserant, etiam in futura uita, si quis nunc ut oportet utatur. Ut autem in re publica nemo prouehitur ad consulatum, nisi prius in aedilitate aut praetura alibiue minoribus magistratibus specimen suae integritatis dederit, & in familia non creditur dispensatio rerum pretiosarum, nisi quis prius fidelem se declararit in rebus uilioribus: ita dominus docet non esse credendam dispensationem opum euangelicarum, quae uerae propriaeque sunt diuitiae, ei qui pecuniam, rem uotomnium uilissimam, ita & alienam parum fideliter dispensarit. Quisquis enim non potest contemnere diuitias terrenas, insincere dispensabit animi diuitias. Haec dominus inculcans animis suorum discipulorum, aiebat: Qui fidelis est in minimo, hunc consentaneum est & in re magna fore fidelem. Rursum, qui in puillo iniustus est, is & in magno erit iniustus. Etenim cuius animum uilissimae rei cura sollicitare potest ad peccandum, hic multo facilius occasione maiore pertrahetur ad peccandum. Quod si in mammona iniquo, hoc est, falso, & ut ferè sit fraude partis diuitijs non praebueritis uos domino fideles, qui eos deinde dispensandas, ueras animi diuitias quis credet uobis? Et si in re aliena quae nulli perpetua esse potest, parum fideles fuistis, quis committet uobis quod perpetuo uestrum erat futurum? Leuius laedit qui mala fide tractat diuitias huius mundi quam opes euangelicas.

Matth. 6. c.

Nemo seruus potest duobus dominis seruire: aut enim unum odiet, & alterum diliget: aut uni adhaerebit, & alterum contemnet. Non potest quis deo seruire & mammonae.

Totum hominem postulat regnum dei: animum postulat ab omnium mundanarum rerum amore liberum. Nec est quod quisque tentet miscere mundum cum euangelio, quod est regnum caelorum. Etenim si nemo potest esse seruus communis duobus dominis, quod uix inter ullos homines sic conueniat, ut unus seruus utrique satisfacere possit suo obsequio, sed alterutro contempe-

cogatur

rogatur uni adherere: quanto minus uos potestis deo seruire & mammonæ dominis tam discordibus, ut inter illos nihil conueniat: Seruit autem mammonæ, qui magnam felicitatis partem collocat in diuitijs, eaq; causa magno studio laborat, ut quam plurimum possideat, ut quod partum est tueatur & augeat. Hic gestit accrescente re, discutiatur erepta. Deo seruit, qui uel reiectis istius mundi bonis uel neglectim possidendo summo studio curat ea quæ faciunt ad æternam salutem.

Audiebant autem omnia hæc pharisæi qui erant auari, & deridebant illum. Et ait illis: Vos estis qui iustificatis uos coram hominibus, deus autem nouit corda uestra: quia quod hominibus altum est, abominatio est ante deum.

Hos sermones omnes, tamen dicebantur ipsi his qui se credebant esse posse Christi discipulos, onusti sollicitudine diuitiarum, tamen audiebant & pharisæi, quorum animi uelut utres antiqui non capiebant hoc euangelicæ doctrinæ mustum. Erant enim auari, non solum pecuniarum, uerumetiam gloriæ, erant elati, feroces ac mendaces. Proinde deridebant doctrinam domini Iesu, prouocantem ad beneficentiam, ad neglectum uindictæ, gloriæ, uitæ denique. Habet autem & semper habebit hic mundus suos pharisæos, qui suis freti præsidijs derideant doctrinam modestiæ, clementiæ, mansuetudinis ac liberalitatis. Abhorret ab hoc musto cœlesti palatum asuetum uappæ mundanæ prurientia. Vtinam & horum fannas dignetur retundere dominus Iesus, qui pharisæos irrisores se uere redarguit, dicens: Vos, inquit, tumetis inanibus bonorum simulachris, uenditantes uos apud homines, qui aestimant homines ex opulentia, ex uestitu, ex obseruatione ceremoniarum, ex quibus uobis conciliatis etiam sanctimoniam laudem, quum reuera nec diuites sitis, nec sancti, nec felices, nec magni. Deus enim ex ipsis animi bonis aestimat hominem, qui solus intuetur corda uestra. Atq; is demum diues est, qui apud deum diues est: is iustus est, qui apud deum iustus est: is magnus est, qui sibi paruus, dei iudicio magnus est. Nam ferè fit, ut quod hominibus uidetur sublime quiddam ac suspiciendum, apud deum habeatur abominandum.

Lex & prophetæ usque ad Ioannem, ex eo regnum dei euangelizatur, & omnis in illud uim facit. Matth. 6

Vos adhuc mordicus tenetis corticem legis, & in umbris gloriamini, quum nunc aperiendus sit nucleus, ut umbras dispellat exorta lux euangelicæ ueritatis. Desuescendum est à uappa Mosaicæ legis, & hauriendum mustum firmioris doctrinæ. Legis figuris suum fuit tempus, expectabatur quod promittebant prophetarum oracula, sed cessant figuræ posteaquam apparuit ueritas. Nec expectatur iam prophetica pollicitatio, posteaq; exhibetur id quod illi promiserant. Ab umbris oportet ad ueritatem proficere. Ex fide promissorum proficiendum est ad amorem rei iam exhibitæ. Ioannes confinium fuit, dirimens legem cum suis figuris & prophetijs, cum suis promissis, ab euangelio, quod re ipsa exhibet & quod lex umbris suis designarat & quod prophetæ deo afflatis uenturum prædixerant. Prædicauit Ioannes adesse regnum dei. Hoc nimirum est quod lex adumbrauit, hoc est quod prophetæ præcinerunt. Videtis autem rem ipsam congruere cum Ioannis prædicatione. Ab huius enim tempore nunciatur omnibus regnum dei, & multi latius animis arripiunt felix nuncium. B.

bunt mustum nouum, hauriunt doctrinam cœlestem; contemnunt terrena, discescunt bonis cœlestibus; abijciunt pecuniam, sed ædunt miracula; non habent arma, sed propellunt morbos: non gerunt magistratus, sed efficiunt demonia; non sunt opulenti, potentes & gloriosi iuxta mundum, sed modestia, mansuetudine, tolerantia, beneficentia, cæterisque bonis animæ, uere sunt & diuites & potentes, & gloriosi apud deum. Ad hanc felicitatem nulli præcluditur aditus. Quod si uos pharisæi non dignamini intrare, occupabunt alij, intrabunt Gentiles, intrabunt quælibet orbis nationes. Excludi non possunt postquam semel apertum est ostium, irrumpunt uel, si non admittuntur. Videtis accurrentes publicanos, milites, peccatores, meretrices. Hi speretis omnibus quæ possident, contemptis omnibus huius mundi uoluptatibus, freti promissis euangelicis, toto pectore student ueris animi bonis, ac uobis qui primi debebatis ingredi, & alios conantes inducere, foris stantibus, ardore fidei promptitudine animi, uelimus nolimus irrumpunt. Amat autem huiusmodi uiolentiam regnum dei.

Facilius est autem cœlum & terram præterire, quam de lege unum apicem cadere.

Non est quod clamitent legis amatores abrogari legem, antiquari prophetas, imò hæc est legis non abolitio, sed absolutio. Nec enim mater plorat sibi perisse filium, qui ex puero factus sit uir. Stultissimum autem sit amplecti pictam hominis imaginem, quum liceat amplecti hominem ipsum, qui pictus erat, & appellare promissorem, quum tenere liceat id quod promissum est, & amanda res cum imagine, quæ si congruunt, agnosce quod adumbratum est, & amplectere quod exhibitum est. Si rerum euentus congruit cum promissis prophetarum, libera fidem illorum, & amplectere quod præstat. Maxime si iam multa uides euenisse quæ legis umbris designata fuerant. Lex enim spiritualis est. Si in plerisque rerum exitus respondet ad prophetarum uetusta uaticinia, crede simili fide præstanda, & olim omnia, quæcunque lex & prophetae futura prædixerunt. Quod erat in lege carnale & crassum, id cedit perfectioribus: quod autem spirituale est, id non solum non antiquatur, uerum etiam perficitur.

E Omnis qui dimittit uxorem suam & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à uiro ducit, mœchatur.

Lex permittit marito dato repudiij libello dimittere uxorem, & aliam dolum ducere. At iuxta legem euangelicam, quisquis repudiata uxore duxerit alteram, committit adulterium: & qui repudiatam duxerit, adulterium committit. Neuter enim suam habet uxorem, neutra suum maritum, & induit se in perditionem, non solum in matrimonio, uerum etiam in omni amicitia. Nec est quod quisquam causetur euangelicam doctrinam pugnare cum præscriptis Mosi. Moses enim ob duritiam uestram non ausus exigere, quod optabat matris quam sperabat, & inuitus indulgit diuortium, ne si negatum fuisset, odium uestrum erumperet in atrociora facinora. Perficit igitur non abrogat, qui pridem indulgentior in filium tenerioris ætatis, post ab adulto plus pugnare quam exigebat antea. Illud autem affirmo uobis, citius præteribit cœlum & terra, quibus nihil est durabilius, quam unus apiculus legis pereat, quin perficiatur quod prædictum est: tantum abest ut uenerim aboliturus legem. Quum autem

Matth. 5. c
 Marci 10. b
 1. Corin. 7. b

autem dominus Iesus paulò ante proposita dispensatoris callidi parabola, cohortatus est ad beneficentiam erga egenos, ut post hanc uitam reciperent non in æterna tabernacula, quum iam uersis rerum omnium uicibus illi bonis omnibus abundabunt, contra, diuites malis omnibus cruciabantur, uelut exemplum huius rei depingit, quo tenatius inhareat mentibus hominum: & sic habet litera.

Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & bysso, & ex pulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, hulceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat. Sed & canes ueniebant, & lingeabant hulcera eius.

Erat, inquit, homo quidam prædiues, cui nihil deesse uidebatur ad absolutam huius mundi felicitatem, magni nominis apud homines, apud deum obsecurus & ignotus. Is uestiebatur purpura & holosericis, non minus molliter quam splendide. Et ne quid deesset ad oblectamentum corporis, commessabatur quotidie magnifice, simul & ambitioni seruiens & luxui & uoluptati. Erat simul huic multum dissimilis medicus quidam, obscurus et ignotus apud homines, sed clarus ac nobilis apud deum. Habebat enim nomen ex re, dictus Lazarus, quod omnibus mundi præsidij destitutus, dei solius auxilio niteretur. Huic nec domus erat, nec uestis, nec cibus, ac ne corporis quidem prospera ualetudo. Erat enim hulceribus plenus, qualis legitur fuisse Iob, iacebat autem ad ianuam diuitis, expectans ut aliquid mitteretur de micis quæ cadebant de mensa diuitis, quo placaret latrantem fame stomachum. Non admissus est hulcerosus, ne funesto spectaculo contristar et oculos undequaque lautis conuiuij. Audistis factum opulentiam, sed in tanto luxu & profusione tanta erat erga pereuntem proximum parsimonia, ut ne micæ quidem darentur roganti, quum canes illic pauperibus essent saturi: quin & canes exprobrabant inhumanitatem delicati diuitum, ueniebant enim & lingeabant hulcera Lazari. Quis non iudicasset diuitem illum absolutum exemplar felicitatis, & hunc Lazarum exemplar infelicitatis extremæ? Sed nequaquam ex his quæ contingunt in hac uita æstimanda est hominis felicitas.

Factum est autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahamæ. Mortuus est autem & diues, & sepultus est in inferno.

Subito rerum uices inuersæ sunt. Mors enim omnibus imminens, ut diuitibus finis est omnium uoluptatum, ita afflictis omnium terminus est dolorum. Euenit enim ut moreretur medicus, & qui neglectus erat ab hominibus quum uiueret, mortuus ab angelis dei deportatus est in sinum Abrahamæ. Hoc honore dignatus est eum deus, quem diues non dignabatur tecto suo. Eodem autem tempore mortuus est & diues ille. Mors enim omnium communis, sola docet hoc diuites quod homines sunt quemadmodum ceteri. Ac Lazaro ne honor quidem sepulturæ est habitus; diues autem magnifica funeris pompa pro more elatus est.

Elevans autem oculos suos cum esset in tormentis, uidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans, dixit: Pater Abraham,

miserere mei, & mitte Lazarū ut intingat extremū digiti sui in aquam
ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

Quum uterque iam esset apud inferos, diues cum esset in grauibus tormen-
tis, nec ibi minus dure tractaretur rerum suauium inopia, & omnium malarū
copia, quā in uita seipsum tractarat suauiter & molliter, sublatis tandem ocu-
lis, conspexit Abraham eminus, agnouit & Lazarum illum antē spretum, in si-
nu illius summa quiete solatioq; fruentem, in mollissimo complexu sanctissimi
patris. Agnouit enim ille filium suum, quamlibet Lazarum, id est, barbarum
genere, Israelitam autem fide & gratia, quem diues hominem agnoscere no-
luit. Augebat cruciatum alienæ felicitatis conspectus. Hic diues frustra blan-
dus factus ac mendicus, miserabili uoce clamabat: Pater Abraham, miserere
mei, ac mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, quo uel una
guttula refrigeret linguam meam, adeo discrucior amarissime in hac flamma
infernali.

Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quod recepisti bona in uita
tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu uero cru-
G ciaris. Et in his omnibus inter nos & uos chaos magnum firmatum est,
ut hi qui uolunt hinc transire ad uos, non possint, neq; inde huc transi-
meare.

Fili, inquit, refrigerium quod nunc sero petis, quum in uiuis esses, proxia-
mo refocillando tibi parare debueras, sed tum rebus præsentibus delinitus, ne-
micis quidem mensæ tuæ dignabar̄is subleuare Lazarum pereuntem. Agnos-
sce rerum uices iuste cōmutatas, id agnoscas oportet si meminisse uoles, quod
tu quum uiueres tua bona receperis, Lazarus contra suis malis defunctus sit
in uita: nunc inuersis rebus, hic post afflictiones patienter toleratas refocilla-
tur, tu uero post delicias, quibus te male oblectasti, merito cruciaris: auerfabar̄
ris hulcerosum ipse delibutus unguento, nunc est in amplexibus meis totus ni-
tidus: non dignabar̄is illum tecto tuo, ego dignor illum sinu meo: tu nec cibo
nec potu refocillasti egentem, nunc reficitur æterna quiete, quæ nec famis nec
sitis molestiam nouit. Et qua fronte nunc petis ab hoc refrigerium, qui pri-
dem nullum abs te refrigerium impetrauit? Si tu nudum uestisses, si esturien-
tem pauisses, si sitienti dedisses potum, si iacentem pro foribus collegisses in
domum tuam, si curasses hulcerosum, nunc ille uicissim impetraret tibi sola-
tium, & relaxationem tuorum cruciatuum, ac te uicissim reciperet in hoc con-
tubernium. Miser ubi nunc est tua byssus & purpura? ubi unguenta? ubi con-
uiuia? ubi choreæ? ubi tot ambitiosæ uoluptates? Viuus ad omne uinum
fastidiebas, tantæ erant palatus tui deliciae, nec interim aquam impartiebas siti-
enti: nunc ne aquæ quidē guttam impetrare potes, ad refocillandum incēdium
linguæ tuæ. Pro superbis ædibus habes tartarum, pro delicijs cruciatum æter-
num, pro iocis & cantionibus perennem eiulatum. Et hoc deploratio est ue-
stra calamitas, quod ingens hiatus nos dirimit, ut si qui uelint hinc isthuc ire,
uobisq; opitulari, non liceat: neque si quis isthinc huc conetur ascendere, posse
sit, posteaquam incommutabili dei iudicio sua quibusq; sedes designata est.
In uita tempus erat mutuis officijs subleuare proximum, & uicissim ab eo
subleuari: nunc seruum est hic uelle quod fieri non potest. In delicijs solus
esse

esse uoluisti, cum tibi similibus, quos nunc habes pœnæ socios. Lazarum ac Lazari similes non passus es uenire in tuum consortium: nunc paria referuntur.

Et ait: Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi ueniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen & prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis irerit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Hæc ubi locutus est Abraham, diues exclusus spe subleuandi sui, cupit saltem fratribus, quos habebat superstites, consulere, ne si similiter acta uita, uenirent in eundem locum, tali consortio cresceret etiam misero mali sensus. Sed nunc frustra supplex est, qui supplicem proximum repulit. Si chaos, inquit, obstat quo minus mihi subuenire queat, saltem illud te rogo, ut Lazarum mittas in domum patris mei: habeo enim quinque, &c. ut illos admo- neat, ne si meis uestigijs ingrediantur, ueniant in huius calamitatis consortium, quin potius opibus suis egentium necessitatem subleuent, nec ad carnis uoluptatem, sed ad animi pietatem utantur diuitijs suis: nec ament quæ ad tempus delectant in uita, sed quæ pariant eternam requiem. Ita diues, quem experta calamitas sero iam & supplicem fecit & doctorem: sed à morte nec uis, nec uicissim, Abraham itaque respondit: Nihil necesse est hac gratia Lazarum auocari à quiete sua: fratres tui si uolent esse frugij, habent Moysen & prophetas, audiant illos dum leguntur in synagogis, & credant. Loquuntur enim omnibus in suis libris. Tum diues improbus deprecator sed serus, Nec Moysen, inquit, nec prophetas audient pater Abraham, sed si quis ex mortuis redierit ad eos, qui certa renunciât, quàm dira patiantur hic, qui illic uitam meo exemplo transigunt, quod ferè diuites faciunt omnes, resipiscunt, seseque componunt ad meliorem frugem. Ad hæc Abraham: Isti sunt prætextus eorum qui nunquam uolunt quod male amant relinquere. Maior est apud illos Moysi & prophetarum autoritas, quàm esset Lazari mendici & barbari. Quod si illos non audiunt, nec audituri sunt si quis resurrexerit ex mortuis, causa buntur esse phantasma aut dæmonium. Hoc sermone dominus tacite notauit incredulitatē gentis Iudaicæ, quæ quoniam non uere credidit Mosi & prophetis, hodie quoque Christo è sepulchro reddito, & ad dextram patris considentis, reclamât, utique creditura quod factum est, si Mosi & prophetis credidisset, prædicentibus hoc ita futurum. Hac parabola dominus Iesus consolatus est suos discipulos, qui propter amorem regni cœlestis multas afflictiones perpeffuri erant in hoc mundo, ac phariseos, scribas, legisperitos, sacerdotes, primores, diuites, elatos, feroces, ac sibi uiuentes territat, ut uel meturur, qui hic dominum Iesum ad meliora uocantem irridebant. Referta est hæc parabola, ut patet, saluberrimis locis communibus tractandis, de diuitijs bene administrandis, de frugalitate & eleemosyna, de impiorum pœna ac beatorum gloria, de autoritate scripturæ, & non consulendis mortuis, sed nec iuuandis, de miraculorum abusu sine fide, & cætera multa.

Matth. 18. 4
Marc. 9. f

Ait ad discipulos suos: Impossibile est ut non ueniant scandala: uæ autem illi per quem ueniunt. Vtilius est illi, si lapis molaris imponatur circa collum eius, et proijciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis.

Sic erat à patre cœlesti definitum, & expediebat ad salutem humani generis, ut humani corporis imbecillitate, quod assumpserat dominus, offenderentur superbi Iudæi & pharisæi, ut humilem ac mansuetum affligerent atque occiderent, nihilo mitiores futuri in illius discipulos, sui præceptoris uestigijs ingredientes. Vt autem incredulorum improbitas affligit bonos, ita bonorum tolerantia malis est occasio maioris exitij: sed tamen horum malitia deus abutitur in bonorum totius mundi. Ait itaque Iesus ad discipulos suos, inter quos erat Iudas, athor offendiculi futurus, ac Iesum iuxta mundum pusillum et humilem in mortem traditurus. Sed huius impietas salutem maturauit orbi: & huius exitium exemplum salutare fuit omnibus. Fieri non potest, inquit, quin eueniant offendicula, sed tamen hoc non excusat eum cuius culpa uenerit offendiculum. Magis enim expediret illi ut alligato circa collum saxo ingenti, quod in mola substermitur, præceps detur in profundum maris, quam ut offendiculo sit unum ex istis pusillis iuxta mundum. Habent enim ultorem deum, qui se putat in illis lædi. Leuius autem est malum hic supplicium quamuis acerbum perpeti, quam offensio pusillis quos deus amat, æternos cruciatus accersere. Cauete igitur uos, uestrum non est uitare quo minus exoriantur offendicula: uestrum tamen est cauere, ne uestro uitio nascantur. Sic autem effugietis ne uobis imputari possit offendiculum, si non solum nulli uestra culpa præbueritis occasionem offendiculi, uerum etiam ab eis oblatum aut tollatis uestra mansuetudine, aut patientia uestra toleretis, non regeratis. Non enim ab impijs modo oborientur tumultus, uerum etiam inter uos, quoniam homines estis, nonnunquam orientur offendicula, quibus oportebit mederi fraterna monitione, quæ non prodit peccantem, si sanabilis est, & ueniam habet paratam resipiscenti. Ideo sequitur:

Matth. 18. b
Leuit. 19. d
Eccl. 19. b
Matth. 18. c

Attendite uobis: Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & si poenitentiam egerit, dimitte illi: & si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens: Poenitet me, dimitte illi.

Si fors euenierit, ut aliquid admiserit in te frater tuus, noli dissimulare culpam, ne impunitas inuitet licentiam, sed age fidum amicum & medicum, secreta oburgatiuncula ostende illi morbum suum, ut pudore corrigatur. Facilius audiat et amicum monitorem, quam turbulentum accusatorem, quem habiturus est pro hoste. Sic enim est ferè hominis ingenium, ut libentius acquiescat consilio, quam succumbat iniuriæ. Non potest non uideri officium, cum quis secreto monet: qui palam defert & ad poenam uocat, non uidetur uelle mederi malo fratris, sed traducere. Quod si frater tuus abs te monitus resipuerit, & culpam agnouerit, sit parata uenia, quæ correctum placide comiterque recipiat: & adeo ne cogites de uindicando, ut pudori quoque illius quantum pores consulas. Quod si per humanam infirmitatem relapsus fuerit in culpam, etiam si septies eodem die peccauerit in te, ac septies in die resipuerit, teque placare studens, dixerit: Peccaui, poenitet, ignosce, condona illi ex animo culpam. Hac ignoscenda

scendi facilitas melius tuebitur inter uos pacem & concordiam, quam mutua
offensarum reuolatio.

Et dixerunt apostoli domino: Adauge nobis fidem. Dixit autem
dominus: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori
moro: Eradicare, & transplantare in mare, & obediet uobis.

B
Matth. 17:16

Quoniam apostoli intelligebant fontem omnium euangelicarum uirtutum
esse fidem, quam adeo diligenter dominus exigebat in ædēdis miraculis, quam
toties comprobauit in multis etiam alienigenis, quæ nihil non impetraret, &
per quam ipsi quoque morbos depulerant, dæmonia eiecerant. Nec ignora-
bant fidei defectu factum, quod quendam muto obnoxium dæmoni non quie-
uerint liberare. Quanquam nec cæteris euangelicis præceptis erit idoneus, nisi
si certam animo fiduciam cōceperit aliquis. Quando enim negliget huius mun-
di uoluptates, quando suas opes effundet in pauperes, quando condonabit in-
iuriam fratri, quando de male meritis bene merebitur, quando carceres & uir-
gas & mortem toleranter accipiet, cui persuasum non sit amplissimum esse præ-
mium paratum in cælis: Hoc, inquam, quoniam intelligebant apostoli, dicunt
domino: Domine, quando nihil habemus boni nisi ex te, rogamus ut adauge-
as nobis fidem. Dominus autem sciens suos apostolos adhuc esse crassos & im-
perfectos, & incrementum fidei potissimum in hoc petere, ut magis polleant
miraculis. Confirmat quidē robur ac uim fidei si adsit sincera, sed indicat eam
cum summa modestia oportere esse coniunctam, nec proferendam ad inanem
ostentationem, sed quoties urget salus proximi, aut gloria dei. Ait autem per
similitudinem: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, quod minutum est at-
que humile, nec exerit uim suam nisi contritum aut commansum, dicetis huic
arbori Sycamino, quæ radicibus alte actis uidetur nulla ui loco auelli posse,
Eradicator & transplantator in mare, & obediet uobis. Porro per granum sina-
pis dominus seipsum indicauit, qui cum se præberet humillimum omnium, ta-
men occultam diuinæ naturæ uim intus occultabat, quæ tum demum sese
prodidit, posteaquam in cruce cōminutum est granum, in morte sepultum est.
Huius grani uis operabatur in discipulis, unde non oportebat ipsos sibi quic-
quam usurpare, quippe qui non essent authores eorum quæ gererent, sed tan-
tum ministri daturi pœnas, si quod ipsis mandatum esset cessassent peragere.
Cæterum omnem laudem transcripturi deo si quid per ipsos præclare aut ma-
gis gestum fuerit.

Quis autem uestrum habens seruum arantem aut pascentem bo-
ues, qui regresso de agro dicat illi: Statim transi & recumbe, & non di-
cis: Para quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi donec mandu-
cem & bibam, & post hæc tu manducabis & bibes? Nunquid gratiam
habet seruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat? Non puto. Sic & uos cū
feceritis omnia quæ præcepta sunt uobis, dicite: Serui inutiles sumus,
quod debuimus facere, fecimus.

Hoc documentum Iesus parabola addita infixit animis suorum: Quis ue-
strum est tam commodus dominus, qui si seruum habeat agricolam aut bubul-
cum, reuerso ab agro protinus dicat: Transi, accumbe, ac non potius ita loqua-
tur, &c. & tamen seruus ille bona fide functus est suo officio in agro, Num ideo

dominus habet illi gratiam, quod fecerit imperata: Non opinor, sed poenam exacturus erat nisi fecisset. Quamobrem: Non ob aliud, nisi quod serui sunt, & omnem operam debent hero suo, cuius sunt etiam ipsi. Laudem autem omnium quæ fiunt, sibi usurpat dominus, qui ea facit, quicquid facit per eos qui sine ipso nihil omnino boni possunt facere. Sic & uos, ne uobis arrogetis gloriam benefactorum, tantum fidelem operam præstate. Et quum omnia feceritis quæ præcepta sunt uobis, quod nunquam conficere poteritis, tamē dicite: Serui inuiles sumus, quod debuimus facere utcumque fecimus. Hæc enim digna modestia conseruabit in uobis thesaurum fidei. Vos interim nihil aliud uos esse memineritis, quam seruos operæ debitores, & inuiles domino, sola illius gratia suscipiendi, & ferendi, & supra uestrorum meritorum mensurā premiandi.

Et factum est dum iret in Ierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrunt ei decem uiri leprosi, qui steterunt à longe, & leuauerunt uocem, dicentes: Iesu præceptor, miserere nostri. Quos ut uidit, dixit: Ite, ostendite uos sacerdotibus.

Accidit ut quum dominus peteret Hierosolymam, iter faceret per Galilæam & Samariam. Gaudet enim frequenter per occasionem attingere Samariam & Galilæam, ut Hierosolymitis exprobrat suam incredulitatem, qui Samaritanos peius abominabantur quam Ethnicos, et Galilæos pro semipaganis haberent. Quum autem ingrederetur uiculum quendam, occurrerunt illi decem uiri leprosi. Credas significatos homines hæreticos intus malis affectibus totos deprauatos, foris uariiegata cute ueluti falsa ueris permiscente doctrina in synœcra. Contagiosum & abominandum genus, & idcirco procul arcentur ab hominum cōmerto. Nullum tamen est mali genus quod non sanet Iesus, modo ueniatur in illius conspectum, modo prodatur illi morbus, & adsit fiducia. Agnouerunt morbum suum, & ideo non accedunt propius, sed procul stantes uoce sublata acclamant domino: Iesu præceptor miserere nostri. Audijt clamorem Iesus fiduciæ testem, & aduertit oculos. Felix clamor, qui facit attentum dominum. Felix intuitus, qui prouocat misericordiam. Iesus autem nihil aliud respondit, quam ut abirent, & ostenderet se sacerdotibus. Nam penes hos erat authoritas di cernendi leprosum à mundo, excludendi contagiosos iuxta legem, & suscipiendi mundatos.

Et factum est dum irent, mundati sunt. Vnus autem ex illis ut uidit quia mundatus est, regressus est cum magna uoce magnificans deum: & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens. Et hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati sunt: & nouem ubi sunt? Non est inuentus qui rediret, & daret gloriam deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, uade, quia fides tua te saluum fecit.

Parent leprosi & abeunt, pleni bona fiducia: atq; inter eundem subito mundati sunt. Erat par omnibus fiducia, sed dispar erat gratitudo. Solus enim Samaritanus, ubi sensit se plane liberatum à morbo, non clam habuit diuinam erga se beneficentiam, sed ilico reuersus est ad dominum Iesum, adorans eum, & gratias agens. Iesus autem non ignarus beneficium ad omnes decem peruenisse, sed taxare uolens illorum ingratitude, qui tantum dei beneficium suscipiunt

suffragari studuerint, ait: Nonne decem mūdati sunt? & nouem ubi sunt? Non enim nouit dominus ingratos, & ostendit indignos accepto beneficio, qui non agunt gratias benemerito. Non patitur enim deus cælari sua beneficia. Quum obriceret Samaritanus non solum gratus, sed etiam modestus, qui uenerat suo functurus beneficio, non accusaturus alios, Iesus conuersus ad circumstantes, ait: Ex decem nullus repertus est, qui rediret & glorificaret deum, præter hunc unum alienigenam. Atqui magis hoc deceuit alios facere, qui cum Iudæi sint, iactant se dei cultores, & tamen ipsa re Samaritanus hic uincit illorum religionem. Hæc locutus dominus appellauit Samaritanum humi prostratum: Surge, inquit, & abi, certus hoc meum beneficium tibi fore perpetuum, quod tua fiducia tibi impetrauit. Decem hi leprosi omne genus humanum significat, lepra malitiæ affectum, ac turpitudinem peccati circumferens, & extra regni cœlorum ciuitatem propter immunditiam constitutum, proculq; à deo stans. Et isthuc ipsum procul stare supplicandi speciem ostendit. Misericordiam enim & omnibus uolenti benefacere magna occasio est ad miserendum, uideret in nullo participem suæ bonitatis: propter hoc enim reuelauit se ut sanaret eos, qui tam male habebant. Quamuis etiam omnem naturam sanauerit lepra infectam, pro omnibus & incarnatus, & mortuus, attamen Iudæi quamuis à domino mundati fuissent ab immunditijs, tamen ingrati fuerunt, & non reuersi sunt à uia uanitatis suæ, ita, ut darent gloriam ei qui saluos eos fecerat, hoc est, ut crederent ei, quod quum deus esset extremam passionem tulerit. Hi incarnatum & crucifixum dominum gloriæ non sunt confessi. Alienus autem populus Gentilium agnouit eum qui mundauerat, et glorificauit eum, credendo quod tam misericors & tam potens sit dominus, ut & propter nos tulerit, id quod est misericordia, & quum pertulerit, nihil inde incommodi accepisset, id quod potentia est.

Interrogatus autem à pharisæis, quando uenit regnum dei, respondens eis, dixit: Non ueniet regnum dei cum obseruatione, neq; dicent: Ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum dei intra uos est.

Quoniam dominus Iesus frequenter habebat in ore regnum dei, Pharisei autem nondum intelligebant regnum dei, & euangelicum esse regnum spirituale. Omnino enim regnū dei est Christi uiuificantem gratiam in fidelibus habitare, uera fide in deum & angelorum more uiuere. Ut tunc dicatur uere regnare deus, quando nihil mundanum in animabus nostris uersatur & impetratur, sed omnino aliter uiuitur quàm mundus solet. Hanc autē uitam intra nos habemus, domino largiente per uerbum, dum eam orationibus impetrauerimus. Nō enim longo tempore, neq; longa peregrinatione opus, sed prope nos est, & fides, & post fidem diuina conuersatio, & beata uita. Aliud autem regnū quoddam pharisæi somniabant, in quo gens Iudaica cæteris nationibus impetaret. Adibant ergo Christum, & interrogabant, quando uenturum esset tale regnum dei. Iesus autem quoties de regno suo fiebat mentio, ambigue respondere solitus, ait: Regnum dei non ueniet more regni mūdani, ut obseruari possit tempus uel locus. Non enim est regnū corporum, sed animorum, neq; conregnat, & est Christus, aut ecce illic. Quid enim opus est obseruare locum, & gloriam temporalem, & pompam mundi, cum regnū dei uerum sit intra uos? Cur expectatis foris quod habetis intus, ac uobiscum circumfertis si uultis?

Cur expectatis uenturum quod iam adest? Vbi cunq; est animus superior opibus, uoluptatibus, honoribus huius mundi, uitæ deniq; contemptor, ubi cunq; est animus fide robustus, charitate flagrans, afflatus spiritu cœlesti, & contemptus eorum quæ in mundo sunt uitiorum & cupidinum impurarum, ibi est rebus gnum dei. Superest, ut quod adest amplectamini uerbum meum, ne quum subito iudicij quoq; dies uenerit offendat uos imparatos.

Matth. 24. b
Marci 13. c

Et ait ad discipulos suos: Venient dies, quando desiderabitis uideri re unum diem filij hominis, & non uidebitis. Et dicent uobis: Ecce hic, ecce illic. Nolite ire, neq; sectemini. Nam sicut fulgur coruscans de sub cœlo, in ea quæ sub cœlo sunt, fulget: ita erit filius hominis in die sua.

Cum hoc discipuli non satis intelligerent, qui somniabant & ipsi breui proferendum esse regnum Israeliticum, conuersus ad illos, ita temperauit sermonem, ut illos ad diem supremum semper redderet paratos, & temporis inquisitionem adimeret, sed armaret potius ad tempestatem imminetem crucis. Veniet, inquit, omnino tempus, quum desiderabitis uel uno die frui conspectu filij hominis, quem nunc pleriq; contemnunt presentē, nec dabitur quod optatis. Nec deerunt tamen qui blandientes hominum cupiditati, conabuntur illum ostendere uenientem, dicentes: Ecce hic, ecce illic, uos autem nolite fidem habere talibus prophetis. Si dixerint: Hic est apud uos, nolite ire. Si dixerint: Ecce hic est procul, nolite sectari. Ea credite quæ per sanctos prophetas prædicta & promissa impleri uidebitis. Hoc unum deus noluit hominibus pateferi, & ideo tempus præsciri noluit, quia sic expedit hominum saluti, quos uult in omne tempus esse paratos. Proinde quemadmodum fulgur erumpens, subito promicat ab una parte cœli usq; ad aduersam, priusquam uenturum scias, ita magna quidem cum gloria apparebit aduentus meus, præter omnem hominum mundi totius expectationem, per aduentum euangelicæ prædicationis in primis, deinde suo tempore ad iudicium, quod tempus solus nouit, quod & uobis incognitum esse uoluit.

Matth. 24. d
Gene. 7. b

Gene. 19. c

F Primum autem oportet illum multa pati, & reprobari à generatione hac. Et sicut factum est in diebus Noe, ita erit & in diebus filij hominis: Edebant & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, usq; in diem qua intrauit Noe in arcam, & uenit diluuium, & perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Lot: Edebant & bibebant, emebant & uendebant, plantabant & ædificabant: qua die autem exiit Lot à Sodomis, pluit ignem & sulphur de cœlo, & omnes perdidit.

Sed non antè proferet maiestatem suam filius hominis in regno dei, quam expleuerit dispensationem humilitatis. Prius enim ostendenda est uia ad claritatem regni cœlestis & diuini, prius apperendum est ostium regni cœlorum, ut liceat ingredi: alioqui parum feliciter ueniret regnum dei ijs, qui se non huic præparauerunt. Ergo priusquam se proferat maiestas, quam affectatis, ignorantibus uobis & ante tempus, oportet filium hominis multa pati, ac damnari à generatione hac: ut quemadmodū flamma post fumum emicat, ita post ignominiam clarior sese proferat dei gloria. Porro ne quem opprimat iudicij dies, facile re medium est, si se quisq; sic apparet, ut quasi iam imminet illi dies. Sed homines mundo dediti, sibi promittent dilationem, aut etiam diem illum omnino non uenturum, & hac spe securi, uacabunt cupiditatibus suis. Itaq; idem acciderit in diebus

diebus filij hominis, quod accidit olim in diebus Noe: Edebant, bibebant, emebant, uendebant, plantabant, ædificabant, perinde quasi diluuium quod differebatur omnino uenturum non esset. Ideoq; & Noe tam uerba quam opera ad penitentiam inhortantis ridebant & minime credebant, ideoq; subito tantum malum oppressit improuisos. Sic & eodem die, quo Lot reliquit Sodomam, depluit ignis & sulphur e cælo, & subito perdidit omnes. Potest id quoq; fortassis aptius ad iudicium, populi Iudaici referri, quod illis contigit propter Christum crucifixum, & reliqua enormia ipsorū crimina, ut horrendo excidio deleti fuerint, quod omnium minime credere uoluerant Christo, apostolis, prophetis, & scripturis. Tale inquam iudicium cui simile non legitur contigisse alicui genti. Quod & uere dicitur dies domini magnus & horribilis in prophetis, & apostolicis scriptis, quando & gloria Christi & regnum dei cælorumq; iam diuulgatum in orbibus conuersis ad unius dei cultū, cum maxima persecutione Iudaeorum in orbem dispersorum, ut non sint interim gens, sed totius mundi stupendum exemplar iusti iudicij diuini, & sacrae canonicæ scripturæ uisum probamentum, ut totus orbis intelligat uerum quod dominus dixit & scribi uoluit, donec gloriā Christi sui intueri & agnoscere cœperint. Quod si & quando futurum sit dominus nouit: uerum non procul abesse multa subindicare uidentur nostri temporis signa & euentus, si tantum nos perfectius conuerteremur ad dominum ipsis in exemplum.

Secundum hæc erit qua die filius hominis reuelabitur. In illa hora **G** qui fuerit in tecto, & uasa eius in domo, ne descendat tollere illa: & qui in agro, similiter non redeat retro. Memores estote uxoris Lot. Quis **G** cuiuscq; quaesierit animam suam saluam facere, perdet illam: & quicumq; **G** perdidit illam, uiuificabit eam.

Exponitur communiter & uerissimiliter de iudicio extremo totius mundi. Verum potest & cōsequentius de iudicio Iudaicæ gentis, & ultione crucifixorum Christi accipi, quod sequitur, cū opprimendi nunc dicuntur, à Christo die suo per implacabiles hostes, qui nō parcent sanctuario, sacerdotio, urbi sanctæ, multo minus populo & genti crudelissimæ. Quod tamen iudicium euadere iuuentur & aufugere fideles de regno Christi, quemadmodū & in ea subuersio gentis & loci Christiani non sunt cōclusi, sed admoniti aufugerunt, & euaferunt in regionibus trans Iordanem & extra Iudæam. Ut sit hic quoq; sensus & conditio Iudaicæ urbis et gentis, cum dominus ad iudicandum illos federit, ad exemplum mundo toti proponendum, quum proferet iam maiestatem suam per apostolos & eorum discipulos. Is dies iusti iudicij improbissimæ gentis ubi ingruerit, abijcietur omnis cura rerum mundanarum fidelibus de regno Christi, in Ierusalem uel Iudæa habitantibus. Tantum sibi quisq; in præsentis periculo, quantum licet, consulat. Itaq; quem dies ille arripuerit, & reperit in tecto, suppellectile domi relicta, ne descēdat in domum à tecto plano ut auferat quod habet ibi rerum, tantum super tecta domorum relicta domo aufugiat quomodo poterit, deq; salute sua cogitet. Itidem si quem dies ille offenderit extra urbem in agro, ne confugiat ad domum uel uillam, præsentius enim periculum erit, q̄ ut nullam morā patiat. Vnusquisq; ut repertus fuerit, ita celeri fuga uitæ con-

Gene. 19. e
Supra 9. e
Math. 10. d
Marc. 3. d
Ioan. 12. d

sulat. Memento te quid acciderit uxori Lot cunctanti ad fugam iussa ilico fugere, respexit tantum, & perijt, adeò nihil more patitur mali celeritas: ille tuor erit qui ad fugam fuerit expeditior. Tum autem ea quærere quibusmodi uitam posterum uitæ consulere, ueluti uestes, pecunias, domum, aut eiusmodi, uitam erit perdere. Sed qui omnibus impedimentis abiectis neglexerit uitæ subsidia, is tunc uitam lucrifecerit. Non enim tunc obsessis & infestatis Iudæis erit spaciolum cogitandi de uita corporis, cum tota uita uertetur in periculo. Nihil tamen, nec fortalitia, nec uitæ genus in eo discrimine seruabit ab ira iusti iudicis, sed affectus tantum in regnum Christi, & in gloriam triumphantis in celo.

Math. 24. d

Dico uobis, In illa nocte erunt duo in lecto uno: unus assumetur, & alter relinquetur: duæ erunt molentes in unum, una assumetur, & alter relinquetur: duo in agro, unus assumetur, & alter relinquetur. Respondentes dicunt illi: Vbi domine? Qui dixit illis: Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ.

Magnitudo calamitatis Iudaicæ qua iudex Christus iudicaturus est suos crucifixores, & uniuersalis iudicij celebre et certissimū exemplū editurus, hic merito nox dicitur, in qua pauci admodum de tanto exitio liberari poterūt, & uix unus ac alter de multis, ut satis patet ex Iosephi Iudæi historia de bello Iudaico. Illud, inquit Christus, affirmo uobis, quod è duobus qui fuerāt coniunctissimi, unus relinquetur exitio & occidetur, alter euadet & assumetur ad uitam: erunt duo molentes in eodem pistrino, quorum alter assumetur, alter relinquetur: in agro duo laborabunt, unus assumetur, alter relinquetur. Significatur maxima gentis portio, partim in exilium diuendenda, partim occidenda: sicut & in iudicio uniuersali Christus quosdam benedicet ad beatitudinis gloriam, alios maledicet ad æternum supplicium. Hęc cum, ut obscuriora de futuris discipuli non intelligentes, tanquam per somnium audirent, dicunt domino Iesu: Vbi domine? Adhuc carnem somniant, & regni Christi locum scire quærunt. Iesus autem per ænigma significare uolens sanctos ubicunq; reperti fuerint, non diiungendos à domino. Respondet: Vbicunq; fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Non refert ubi sitis, modo mecum sitis, qui pascam animas uastatos me ipso, qui sum æternæ felicitatis pabulum. Iustorum enim ducere uitam li cōparantur, quod alta petant, humilia derelinquant, longæuā ducere uitam referantur. Nonne tibi uidentur aquilæ circa corpus, quando ueniet in illa die eum compunxerunt? Est & corpus, de quo dictū est, Caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Circa hoc corpus aquilæ sunt, quæ alis circumuolant spiritualibus, & quæ credunt Iesum in carne uenisse, & qui diuersorium sanctitatis, & ecclesiasticæ animæ quæ per baptismi gratiæ & Christi sanguinem spiritu renouantur.

CAPVT XVIII.

Ecclesi. 18. c
2. Thess. 1. d

Ancebat autem & parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare & non deficere, dicens: Iudex quidam erat in quadam ciuitate, qui deum non timebat, & hominem non reuerbatur. Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & ueniebat ad eum, dicens: Vindica me de aduersario meo. Et nolebat per multum tempus. Quoniam in mundo semper sancti pressuram habituri sunt, aliquando autem

tem & grauissima coorietur cum fides defecerit, adeò, ut si fieri possit etiam ele-
cti sint seducendi. Dominus Iesus docet suos ut in malis non aliunde petant au-
xilium quàm à deo, nec ullam interim uindictam molientes, nec iniuriam iniu-
ria repellentes. Quod si deus non statim liberat ab afflictione, non tamen ideo
desistendum à precatione; audiet enim ille haud dubie preces filiorum suorum,
quum erit tempestiuum, ac dilatio cedit in bonum piorum; tantoq; grauius op-
rimuntur impij, quo magis sibi persuaferant se impune facere quod faciebāt.
Hoc præceptum dominus tali parabola infixit suorum animis. Erat, inquit, iu-
dex impius & impudens, qui nec deum timebat nec hominē ullum reuereba-
tur. Impietas faciebat ut non timeret deum, potentia, ut non reueretur homi-
nem. Erat autem in eadem ciuitate uidua quædam, quæ cum opprimeretur ab
aduersario suo, adiit primarium illum iudicem, penes quem erat summa pote-
stas, interpellauit auxilium aduersarij uiolentiam. In bona, inquit,
causa opprimor opibus & gratia aduersarij mei; uidua sum ac destituta, tu uin-
dica ius meum aduersus aduersarij mei uiolentiam. Ad hunc modum cum fre-
quenter interpellaretur à uidua, tamen diu dissimulauit, nec uoluit opitulari ui-
duæ, quum in hoc detur potestas quibusdam, ut aduersus opulentos ac factio-
sos subleuent orphanos, pupillos, uiduas & tenues.

Post hæc autem dixit intra se: Et si deum non timeo, nec hominē re-
uereor, tamen quia molesta est mihi hæc uidua, uindicabo illam, ne in-
nouissimo ueniens sugillet me. Ait autē dominus: Audite quid iudex
iniquitatis dicit: Deus autem non faciet uindictam electorum suorum. **B**
clamantium ad se die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico au-
tem uobis, quia cito faciet uindictam illorum. Veruntamē filius homi-
nis ueniens, putas inueniet fidem in terra?

Tandem cum illa non faceret finem appellandi, iudex cœpit apud se cogi-
tare: Quanquam nec deum timeo nec hominem reuereor, quoniam tamē tam-
improbe mihi molesta est hæc uidua, subleuabo illam à uolentia aduersarij, nō
quod illi bene uelim, sed ne tandem redeat, ac toties spreta, cōuitijs suis notam
aliquam inurat famæ meæ, qui cum summi iudicis locum teneam in hac ciui-
tate, tamen oppressæ uiduæ pertinaciter defuerim. Narrata autē parabola sub-
iecit dominus: Auditis quid dicat iudex impius & improbus? Victus improbi-
tate, tamen oppressæ uiduæ. Et deus qui iustissimus est, & misericors erga suos
electos, interpellatus illorum nocturnis diurnisq; precibus & clamoribus ob-
surdescit, nec liberabit illos à uolentia opprimentium, sed lento leniq; animo
patietur illos affligi impune? Imò illud affirmo uobis, non patietur, sed aut con-
uertet illos affligi impune, ut mutata uoluntate desinant affligere, aut adimet no-
centi potestatem, aut suos electos semel ab omnibus malis ereptos transferet
in requiem aternā. Certe cum uenerit dies ille supremus, iam nec satanas, nec
huius instrumenta homines mali quicquam poterunt aduersus illos, quos deus
selegit consortes regni sui. Quum enim ad summum increuerit malorum im-
pietas, tamen filius hominis subito ueniet, & omnino citius opinione malorū.
Sed quum ueniet filius hominis, an reperiturus est fidem in terris? Tanta enim
erit malorum & multitudo & improbitas, ut apud paucissimos sit superstes fi-
ducia, liberauntur ultore deo. Atque hæc quidem parabola territabat illos,

qui palam impij pios affligebant.

Dixit autem & ad quosdam qui in se confidebant tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam dicens: Duo homines ascenderunt in templum ut orarēt, unus pharisæus, & alter publicanus. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: Deus, gratias ago tibi quia nō sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, uelut etiam hic publicanus. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quæ possideo.

Erat quoddam pharisæicum genus iustorum fidentium operibus suis, & eis sibi iustitiæ laudem arrogantium, quum apud deum nemo sit iustus: neq; solum sibi stulte placebant, uerum etiā alios præ se despiciebant tanq; peccatores, quum illorum modestia deo gratior sit quàm horū opera. Aduersus huiusmodi pharisæicos iustos, & ad cōsolationem peccatorū, ex animo sibi displicentium, dominus proposuit huiusmodi parabolam. Accidit ut duo quidam ascēderent in templum orandi gratia, quorum unus erat pharisæus, alter publicanus. Pharisæus stans uicinus sanctuario ueluti dignus qui cū deo cominus loqueretur, sic orabat apud se: Deus, gratias ago tibi quod non sum similis cæteris hominibus, qui rapto uiuunt, qui fraude rem augent, qui adulterio conspurcant alienos thoros, aut deniq; qui infame munus gerentes in gratiam principum, expiant populum dei, qualis hic est publicanus. Non indulgeo luxui quem admodum uulgus facit, sed ieiuno bis in septimana, & in tanto non fraudo quem admodum ut omnium bonorum meorum decimam partē erogem in pauperes. Hæc erat tamen uera commemorabat, ac deo gratias agebat, tamen hoc ipso displicebat oculis dei, quod sibi placebat adulator sibi, contumeliosus in proximum.

Et publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Amen dico uobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur.

Contra, publicanus totus sibi displicēs, ob peccatorum conscientia, procul abstibat à sacris, adeo pudens pœnitensq; sibi, ut nec oculos auderet in cœlū attollere, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori. Pharisæus tantum gratias agebat, existimans sibi nihil deesse ad perfectam pietatem, nec confitetur errata sua, quū inter ipsas preces grauissime peccata sua iactans ac pœnitentiam despiciens, sui laudator arrogans, & proximi temerarius accusator. Contra, publicanus nihil commemorat benefactorū suorum, tantum sua mala agnoscens, tundit pectus sibi consciū, & implorat domini clementiam. Vultis scire exitū diuersæ precatōis? Publicanus ille, qui peccator uenerat in templum, abiit domum in oculis dei iustior illo pharisæo, qui sibi uidebatur iustissimus. Quisquis enim semet extollit apud sese, deicietur in oculis dei. Vide si licet in Vulgario plura.

Afferebant autem ad illum & infantes, ut eos tangeret. Quod cum uiderent discipuli, increpabant illos. Iesus autem conuocans illos, dixit: Sinite pueros uenire ad me, & nolite uetare eos: talium est enim regnū dei. Amen dico uobis: quicumq; non acceperit regnum dei sicut puer, non intrabit in illud.

Matres

Matres adferebant ad dominum infantes suos ut tangeret & benediceret eos, existimantes futurum ut hoc pacto tutiores essent à casibus & morbis, quibus illa ætas solet esse obnoxia. Id uidentes discipuli increpabant eas, quod domino satis alioquin ut ipsis uidebatur occupato, rebus huiusmodi leuioribus facerent negotium. Iesus autem tametsi non ignoraret hæc à suis officiosa quadam sedulitate geri, tamen ut nobis exprimeret exemplum simplicitatis modestiæ & innocentia, simulq; pastores doceret non oportere quenquam, quamuis humilem aut imbecillem despiciere, conuocauit discipulos suos ad se, dixitq;: *Sinite pueros uenire ad me, nec obsistite quo minus adducantur, talium est enim regnum dei.* Proferatur exemplum omnibus, ut intelligant quò sit proficiendum; nesciunt fucum, nesciunt fastum, nesciunt referire, nesciunt regerere conuitium, nesciunt auaritiam, nesciunt ambitionem, mera est innocentia, mera simplicitas. Illud affirmo uobis, regnum dei non recipit nisi ad hanc imaginem transformatus. Proinde nisi quis accesserit ad doctrinam euangelicam ea simplicitate, qua sunt hi pueri, non intrabit in regnum dei.

Et interrogauit eum quidam princeps, dicens: *Magister bone, quid faciens uitam æternam possidebo?* Dixit autem ei Iesus: *Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus deus.* Mandata nosti: *Non occides, Non moechaberis, Non furtum facies, Non falsum testimonium dices, Honora patrem tuum & matrem.* Qui ait: *Hæc omnia custodiui à iuuentute mea.*

D
Matth. 19. 6
Marc. 10. 6

Rursus accessit Iesum quidam e magnatibus, discere cupiens ipsa re quid si bi uellet quod dixerat Iesus de pueris, nempe de uita æterna, quam uere quidẽ desiderabat, sed laborabat difficili morbo auaritiæ, qui et uitã desiderabat æternam. Nihil enim ita uitæ cupidum est ut homo diuitijs studens. Suspicebatur igitur Christum sibi ostensurum modum quempiam, quo diuitiarum possessione ditissime frui posset, & tandem uitam æternam consequi. Proinde accedit ad Christum ut ad simplicem hominẽ & doctorem, & ait: *Magister bone, quid faciam, &c.* Iesus autem uolens indicare boni cognomen in neminem competere nisi in solum deum, qui suapte natura bonus est, quia fons pietatis & principium substantialis bonitatis illius. Nos autem homines licet boni simus, non tamen proprie, sed participes bonitatis illius promiscuam habemus bonitatẽ, qualem & a deo accipimus, natura deprauata degenerante in malitiam. Respondit ergo illi: *Cur me uocas bonum? Nemo bonus, &c.* Non quod dominus nõ agnosceret nomen boni, quatenus erat deus, sed quod diues ille boni uocabulum tribueret Iesu tanquam puro & priuato homini, fortassis & sibi arrogaturus si incidisset occasio. Nõ recte igitur bonum appellat, quẽ non credebat esse deum. Ideo uero recusauit dominus id temporis honorẽ huius tituli, quod intelligeret percontatorem non omnino carere fastu, qui sibi uideretur multis bonis operibus abundare. Vt autem hominis morbum proferret, Iesus ait: *Nosti præcepta legis Mosaiicæ: nimirum ea de quibus homines & teipsum testes habere & proferre possis, ut uere te credas obseruasse: Non occides, Non committes adulterium, Non furtum facies, Non dices falsum testimoniũ, Honora patrem, &c.* Contra quod grauius quidem peccatur, sed rarius, ideo fortassis ultimo recitatur. Non enim facile inuenitur qui ita bestialibus moribus sit, ut in parentes deum dem reportaturus, aliud non habens in sua conscientia, contentus apud se ex-

terna probitate, ex operibus communiter bonis, quia nouerat se talia ad uulgi iudicium perfecisse, ait: Hæc omnia seruaui ab adolescentia mea. Hæc igitur ratio non multum aberat ab illa pharisaica, sed plurimum aberat à simplicitate puerorum, de quibus iam dictum fuerat.

Quo audito, Iesus ait ei: Adhuc unum tibi deest, omnia quaecumque habes uende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & ueni sequere me. His ille auditis, contristatus est, quia diues erat ualde.

Proditum iam erat unum uirtutum, sed suberat & aliud quod illum reddebat inidoneum regno dei, id quoque ut proferret dominus Iesus, ait: Adhuc unum tibi deest, Si enim uoles ingredi regnum dei euangelicum, abi, uende quidquid possides, & distribuas illud, non diuitibus cognatis, sed pauperibus, & reponito tibi thesaurum in cælis: eo facto liber & expeditus ab affectu terrenorum, & deo deditus ex toto corde, & euangelio propagando totus insistens, expeditus ueni, & sequere me: hoc est, et in omnibus alijs esto discipulus meus, & me sequere semper. Ut autem sic auaro promissit cælestia qui admirabatur terrena, non attendit, seruus enim erat diuitiarum, habebat potius quam habebat, ideo et ut audiuit, abiit tristis, eo quod possessionis renunciatio esset ei indicta. Cæterum tristitia arguit eum beniuolum, non malignum fuisse. Nullus enim pharisaorum unquam tristis abiit, sed potius exasperatus & inuidus. Nondum is erat ad pueri formam redactus, cuius animus occupat amor diuitiarum. Hæc est tristitia quæ mortem operatur, hæc sunt spinæ & tribuli quæ semen dei suffocauerunt in diuite, qui cum amore possidebat temporalia. Non ergo diuites manentes, sed qui diuitias dispensant & paupertatem non uerentur, & qui diuites esse desierunt, hoc est auari, intrabit.

Videns autem Iesus illum tristem factum, dixit: Quam difficile qui pecunias habent, in regnum dei intrabunt. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in regnum dei. Et dixerunt qui audiebant: Et quis potest saluus fieri? Ait illis: Quæ impossibilia sunt apud homines, possibile sunt apud deum.

Videns dominus illum abire moestum, qui sic ambiebat felicitatem cælestem, ut tamen opes huius mundi non posset contemnere, uersus ad discipulos, uelut admirandus ait: Quam difficile qui diuitijs onusti sunt, per angustam portam intrabunt in regnum dei. Facilius est enim quod totum camelum capiatur foramen acus: siue, ut quibusdam placet, funis nauticus crassus, quam saluari diuites & auarum. Hoc sermone conturbati discipuli pro diuitum sorte, quæ essent ipsi pauperes, dicebant: Si nemo diues ingreditur, quis igitur potest saluus fieri? Paucos enim inuenire est, qui diuitias aut non habeant aut non appetant. Iesus autem perturbationem suorum rursus consolatus est, dicens: Quod apud homines impossibile est, apud deum possibile est. Non est humanarum uirium contemnere diuitias eaque commoda, quæ diuitias consequuntur. Sed hanc animi sublimitatem impartit deus ipsis, qui se per credulitatem simpliciter præbent aptos dotibus illius. Diues autem apud deum esse desit quisquis posuit amorem pecuniæ, & sic habet, ut libenter uel non grauatum sit relicturus, quoties id postularit ratio salutis æternæ.

Ait autem Petrus: Ecce, nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Qui dixit eis: Amen dico uobis, nemo est qui reliquit domum aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios propter regnum dei, & non recipiat

cipiat multo plura in hoc tempore, & in sæculo futuro uitam æternam.

Ex præscripto sermone domini bonam spem concipiunt apostoli, quorum plerique reliquerant id quicquid erat quod antea possidebant. Horum igitur nomine loquitur, ut semper loquitur Petrus: Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te, præstitimus quod ab illo diuite exigebas. Quanquam autem perquam exiguum erat quod Petrus & Andreas reliquerant, relicturi maiora si habuissent. Dominus collaudat illorum promptitudinem, & ne poeniteat relictorum, ostendit ingens esse lucrum ob regnum dei fecisse diuitiarum iacturam. Siquidem pro rebus caducis ac uilibus contemptis, & hic animus locupletatur bonis cœlestibus, & in futuro sæculo rependit æterna felicitas. Ait autem hunc in modum dominus: Hoc pro certo confirmo uobis, non uobis solum cedit in magnū lucrum reliquisse possessiunculas uestras mea causa, uerum etiā quicumque ob regnum dei reliquerit uel domum uel parentes, &c. & in hac uita longe plura ac meliora relictis accepturus est, & præterea in futuro sæculo uitā accipiet æternā.

Assumpsit autem Iesus duodecim, & ait illis: Ecce ascendimus Hierosolimam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis: tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint, occident eum, & die tertia resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt: erat autem uerbum istud absconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur.

Prædictis sermonibus quum erexisset Christus animos discipulorum suorum, assumpsit secum duodecim apostolos, quos nihil oportebat ignorare eorum quæ gerebant pro salute generis humani. Atque his rursus apertius etiā cœpit inculcare de morte, quā Hierosolymæ sciens & uolens esset appetiturus, iuxta uaticinium prophetarum. Sciebat enim eos uehementer perturbandos morte domini, eoque crebrius sermonem hunc inculcat, ut tandem inhæreat animo, ac paulatim assuescant ferre, à cuius mentione prorsus abhorrebant illorum aures. Atque hæc quidem illis incredulitas erat, sed uehemens quidam amor erga præceptorē. Seorsim igitur perficiunt omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis: tradendus est enim gentibus, & ab illis illudetur & flagellabitur & conspuetur: postquam flagellauerint eum, & omne probri genus in eum ediderint, occidetur denique, sed ille tertia die resurget. Verum hic sermo quia ingratus erat, non descēdebat in animos apostolorum, ut difficile credimus quæ nolimus esse uera. Nondum autem percipere poterant mysterium crucis, unde nouo dei consilio salus erat orbi proditura. Non licebat credere morte uiolenta periturum hominem tam charum, nec poterant credere occidendum ab impijs hominibus, qui tam admirandis factis polleret, qui toties è manibus impetentium elapsus esset. Denique non dubitabant, quin facilius esset illi futurum efficere ne moreretur quam ut à morte reuiuisceret: & satius esse ducebant omnino non mori quam post mortem uitæ restitui. Quamquam autem de domini suum fide dubitare non poterant, tamē ita blandiebant suis affectibus, & interpretabantur in his Iesu sermonibus subesse tropum aliquem, cuiusmodi dominus peculiariter uti consueuit, fallens his nonnunquam non modo populum, uerum etiam ipsos apostolos: ueluti cum iuberet cauere à fermento pharisæorum, quum responderet sibi esse alium cibum quem esuriret, quum doceret camelum citius transitarum per foramen acus quam diuitem in regnum dei, quum significans suam doctrinam esse penitus trañciendam in uiscera animæ, negaret illi animæ

Matth. 26. 6

Marc. 10. 6

F

fore uitam, nisi quæ edisset carnem ipsius ac sanguinem bibisset: quum denique promitteret se templum à Iudæis solutum in triduo instauraturum. Huiusmodi suspicionibus blandiebantur affectui suo, & sermonem quidem audiebant, sed tanquam in somnis, uim autem sermonis penitus non intelligebant, & hoc pro temporis ratione permittente domino, ut paulatim asuescerent ei quod erat futurum amarissimum, nec ante tempus à præceptore suo diffugerent, cuius colloquio multis de rebus adhuc erant erudiendi.

Matth. 20. d

Marci. 10. g

Factum est autem, cum appropinquaret Hiericho, cæcus quidam se debat secus uiam mēdicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod Iesus Nazarenus transiret. Et clamauit, dicens: Iesu fili Dauid, miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse uero multo magis clamabat: Fili Dauid, miserere mei.

Nondum perspicere poterant arcana consilij diuini, quoniã oculos mentis habebant multa adhuc caligine cæcutientes. Sed magis etiã caligabant cæteri, qui minus erant domino familiares. Fons autē salutis est cognitio domini Iesu. Cognoscere enim est uidere. Lumē est fides. Tenebrę sunt terrenę cupiditates. Et ecce casus, qui nobis ponat ob oculos, quomodo possimus cernere Iesum. In uno cæco forma pponit, quo pacto possit à multis tolli cęcitas animi. Vnus occurrebat corporeis oculis captus, sed quę multi sectabantur Iesum, qui multo minus uidebant animo, posteaquę & apostoli duodecim adhuc habebant oculos sic obductos ignorantia tenebris ut manifestū domini sermonē non intelligerent. Accidit igitur, ut quū Iesus iter faciēs Hierosolymā, nō procul esset ab Hiericho, cæcus quidam sederet iuxta uiam publicā mendicans. Is cum strepitu uocū ac pedum deprehenderet magnā uim hominū prætereuntes, interrogabat quid hoc esset rei (ut est hoc genus hominum eo curiosius quod oculis careat) responsum est ei, quod Iesus Nazarenus transiret. Ille protinus ex his quæ de Iesu audierat, cōcepta fiducia clamabat, dicens: Iesu fili Dauid miserere mei. Addidit blandimentū improbitati, idque satis ex more mendicorū. Porro turba quæ præcedebat Iesum, increpabat cæcū, iubens eū obticescere, suspicās eū uulgarē elemosynā petere, ac metuens ne homo sordidus & mēdicus publicus molestus esset domino. Cęcus autē quo magis obstrepebat turba, tanto uehementius clamabat, eadem iterans: Iesu fili Dauid miserere mei. Quoniam non licebat uidere Iesum, tanto magis intendebat uocem, nescius quantum abesset quem appellabat.

Stans autem Iesus, iussit illū adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogauit illum, dicens: Quid tibi uis faciam? At ille dixit: Domine, ut uideam. Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te saluum fecit. Et confestim uidit, & sequebatur illum, magnificans deum. Et omnis plebs ut uidit, dedit laudem deo.

Dominus Iesus qui semel atque iterum uociferantem dissimularat, ut euidentiorem redderet hominis fiduciam tandem restitit, iussitque cæcum adduci ad se, ut omnium oculos ad miraculi considerationem prouocaret. Quum autem uenisset ad Iesum, dominus interrogauit illum: Quid uis ut faciam tibi? Non ignorabat quid optaret cæcus, sed mali confessione exprimebat, ut euidentiussimè esset miraculum. Solent enim fingere quidam cęcitatem, quo plus accipiant, & fortassis

tassis erant quàm plures in turba qui nihil aliud sperare auderēt quàm stipem. Solet enim & dominus, tametsi iuxta mundum pauper, ex his quæ donabatur ab amicis aliquid elargiri pauperibus. Cæcus autem magna cum fiducia dixit: Domine, fac ut uisum recipiam. Tribus uerbis petit quod ab homine præstari non poterat, nihil addubitans quin ilico posset tanquam potentissimus, uellet tanquam clementissimus. Iesus autem illius expedite respondens fiducia, uerbo reddidit oculos, dicens: Recipito uisum, fides tua te saluum fecit. Fide con- spererat Iesum priusquam oculis corporis cerneret. Hæc nimirum est quæ nihil non impetrat à clementissimo domino: hæc est quæ in medijs uitiorum tenebris, tamen procul compellat Iesum ut misereatur. Obstrepit clamanti malorū conscientia, sed hoc acrius intendit uocem ardor fidei. Huiusmodi mendicos a- reatur dominus Iesus, & ideo differt nonnunquam quod petitur, ut plura prome- des ac ligna, quibus pecunia, quibus uenter deus est, qui seruiunt ambitioni, qui libidini, qui furialibus bellis tumultuantur. Hi si nondum possunt accede- re ad Iesum, quia uidere non possunt, saltem ad strepitum toto orbe Iesu glo- riam prædicantium interrogant: Quid est hoc rei? Vbi cognorint præterire Ie- sum, ne sinant elabi præsentem occasionem, sed miserabili clamore fatigent au- stantius fidentis animi clamor pulset aures. Non est cuiquam surdus Iesus qui petit cum fiducia, uerbo dare potest quod petitur. Transit quidem, sed non præ- teribit longius si uocem intenderis. Felix autem mendicus posteaquam ad ipsius uocem resistit Iesus. Quid mirū si ad uocem interpellantis resistit, qui ad ouem perditam tanto itinere uenire dignatus est: Felicius autem cæcus postquam ad- ducitur ad Iesum, iam enim saluti proximus est: nec diu cæcus esse potest quis- quis accesserit ad fontem omnis lucis. Non aspernatur dominus mendicum fons ille omnis gloriæ: & homo peccator fastidit proximum suum. Vbi coram ueneris, ubi à te ipso recesseris, non est opus proluxa oratione, tantum dic quid datus, sed de illius uirtute ac pari bonitate concepta, protinusq; redibit uisus est Iesu sectator & prædicator bonitatis diuinæ. Quin & populus conspecto tam insigni miraculo, tribuit laudem deo.

CAPVT XIX.

Ingressus perambulabat Hiericho, & ecce uir nomine Za- A
chæus, & hic princeps erat publicanorū, & ipse diues, & quæ-
rebat uidere Iesum quis esset, & non poterat præ turba, quia
statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem Sycōmorū,
ut uideret eum, quia inde erat transiturus.

Quum ingressus dominus iret per agrum Hierichontinum, qui eque Hie-
richo dici potest, ut urbs ipsa, in qua tamē & ipsa arbores stare potuissent Sycō-
mori: si cui non uideatur rationabilius ē domo quapiam uel tecto dominū aspi-
ci potuisse, si in urbis id transitu contigisset. Transijt autem Christus undiq; sti-
patus densissima turba promiscuæ multitudinis. Erat autem uir quidam ex re-
nomen habens Zachæus, ardens studio iustitiæ: interpretatur enim purus &
iustus, quum esset publicanorum primarius quispiam, & idem prædiues, quū

neq; uitæ genus neq; fortunæ indulgētia satis congrueret huic animo. Tenebatur autē ingenti desiderio uidendi Iesum, ut eum de facie quoq; nosse posset, de quo rumor tam admirāda sparserat. Credebat & amabat quod audierat, & ideo iuxta uotum Simeonis iusti & patriarcharum, sancta cupiditate gestiebat & oculos explorare felici spectaculo, maiora quoq; conaturus ni modestia obstitisset, & ob hoc ipsum dignior, cui Iesu maior fieret copia, Zachæū uiderat Iesus antequam ab ipso uideretur, Zachæus Iesum uidere cupiebat, ut sciret quis esset, nimirum unicus ille filius dei, & promissus Messias, totius salutis author, omnibus ipsi fidentibus. Non magnum est uidere Iesum iuxta carnem his oculis qui eum quotidie cernebant pharisæi, & deridebant. Discipulorum autē oculi prædicantur beati, qui uidere meruerunt quod multis terræ principibus negatum esset. Sed pio desiderio Zachæi obstabat pudor, quo minus ad Iesum perumperet, obstabat undiq; circūfusa hominum multitudo, obstabat humilitas corporis, erat enim statura pusillus. Humiles sunt qui rebus sordidis & fluxis incumbunt. Nam humile est quicquid habet hic mundus, si conferatur ad maiestatem euangelicam. His non est conspicuus Iesus, nisi sese subducant in altum, Iesus sublimis non conspicitur nisi ab humilibus. Iesus humili ac populari turbæ mixtus, non cernitur nisi ab his qui fastigium rerum humanarum calcant pedibus. Et ideo ut à pusillis omnibus undiq; gentium conspicere possent, ipse post conscendit sublime lignum crucis. Zachæus itaq; pusillus, non corporis statura, sed animi quoq; modestia, quo sublimis uideret humilē, Iesum præcurrens occupauit locum, qua Iesus erat transiturus. Suggestum præbebat arbor dicta Sycomoros, quod ficos gignat sui generis, unde & ficus Aegyptia dicitur, sed folijs morum arborem referens. Iudæorum turba medium cingebat Iesum, præcesserant lex & prophetae, hinc atq; hinc claudebat latus illa arbor. Sed quitur & hodie natio Iudæorum, discit quæ fecerit, quæq; docuerit dominus. Iesus, nec adhuc cernere potest quis sit ille Iesus unde oporteat sperare salutē. Zachæus præcurrens occupat hanc felicitatem: nimirum Gentium typum gerens. Quid est in causa? Quia adhuc humi manet Iudæus, & hæres carni auertit. Si quis turbæ admixtus manet, hoc est, si nihil eximium sapias, frequenter audias illam fallacem uocem: Ecce hic est, ecce illic est Christus. Interea sederat arbore pusillus ille Zachæus, oculis obujs expectans aduentantem Iesum, nondum edoctus quo signo possit eum agnoscere, nisi quod sperabat id quod uehementer optabat. At ubi uentum est ad Sycomorum, fortassis Zachæus multis Iudæorum erat risui, diues ac publicanus sublimis in arbore spectator unius hominis. Non enim cupiebat cognoscere quemquam nisi solum Iesum.

Et cum uenisset ad locū, suspiciens Iesus uidit illum, & dixit ad eum: Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.

Iesus delectatus hominis insigni cupiditate, quam ipso facto, quam uultu et oculis præ se ferebat: quanquā & antē uiderat illius conscientiam, tamen ut & Iudæis ostenderet exemplum promptæ credulitatis, sublatis in altū oculis, uidit Zachæum. Iam mihi salutem aliquam insignē expecta, quoties obrutus stoliditatem dignatur Iesus. Habent enim illius oculi salutare fascinū. Ille uidere tantum ambierat, sed frustra uidet Iesum, quē ille uicissim non dignatur oculis suis. Habet quiddam boni ominis aspectus, sed maioris est felicitatis audire uocem. Quum enim Zachæus nihil aliud quam intueretur Iesum, dominus uo-

tro dixit illi, ipso etiam nomine ut notum compellans; Zachæe, festinanter descende, quoniam hodie oportet me domi tuæ manere. Accepimus dominum frequentius rogatum iuisse ad conuiuium, nunquam autem accepimus ultro non inuitatum ingessisse sese. Sed introspexerat dominus affectum hominis, cui tantum erat uidisse Iesum prætereuntem. Plura tentaturus erat, nisi propria indignitate conscientia obstitisset. Cogitabat apud se, Felices quibus contigit adharere tali, quibus coram intueri uultum, quibus audire cominus uocem hominis, Iudæorum est hæc felicitas, ego publicanus sum, mihi abunde magnum est uidisse prætereuntem. Nulla uox inuitantis prodierat, sed hic animus erat urbanissimus inuitator. Sic amat inuitari dominus Iesus. Plus impetrat qui quod tacite secum operat, propter conscientiam imbecillitatis suæ non audet petere, quam qui ueluti deuincturus officio Iesum uocat illum ad se. Nunquam enim propeccator sum. Efficax inuitator erat & ille, qui dicebat; Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum. Iam in illius ædibus erat Iesus cum sanaretur puer eius. Illic enim Iesus est, ubicunque salus est.

Et festinans descendit, & excepit illum gaudens.

Sciebat Iesus salutem gentium, & ideo iubet ut festinanter descendat Zachæus. Iam enim uenerat tempus ut salus demigratura à Iudæis transfret ad ecclesiam Gentium. Illic enim oportet manere Iesum usque ad consummationem sæculorum, quia non licuit manere apud Iudæos. Hactenus est sublimi speculatione fuerat Zachæus Iesum per fidem, iam descendit ad officia charitatis. Non enim satis est contemplari Iesum quoties eget hospitio, eget autem quoties eget proximo. Quid igitur Zachæus? Nihil omnino respondet. Ingens enim affectus uocem adimere solet, sed nihil contatus obtemperat, festinanter descendit. Non enim conuenit contari quoties nos uocat Iesus. Iudæi uocabantur, & excusant, Zachæus gestiens & gaudens excepit Iesum in ædes suas. O miseram synagogam, quæ perdidit hospitem Iesum: o felicem ecclesiæ domum, quæ suam promptitudine prouocauit ad se totius felicitatis authorem Iesum. Vides inuicem ecclesiæ collectæ est Gentibus? Nunc considera Iudaici liuoris imaginem.

Et cum uiderent omnes, murmurabant, dicentes: Quia ad hominem peccatorem diuertisset.

Turba cum uideret Iesum tam propensum erga publicanum, ut ultro semet in ædes illius inuicaret, murmurabat quod ad hominem peccatorem diuertisset. O contaminatam & inuisam deo iustitiam, quæ mauult fastidire quam sanari, mauult inuidere proximo, & quasi bonus esse possit qui fratri salutem inuideat. Quid stas extra fores ecclesiæ inuide Iudæis? Licet & tibi ingredi. Quod si recusas, tamen apud Zachæum decretum est Iesu manere. Gloriantur Gentium talis hospite, quem non expectarant. Et hoc gratius est, quia non solum præter meritum, uerum etiam præter expectationem euenit. Ut nunc obmurmuratum est Iesu propter Zachæum, ita post obmurmuratum est Petro ob Cornelium centurionem; Quare introisti ad uiros preputium habentes? Sed quid interea?

Stans autem Zachæus, dixit ad dominum: Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus; & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.

Zachæus contempto murmure populi Iudaici, stat ante Iesum ambiens etiam in discipulorum numerum ascisci, ostendens quousque iam profecisset. Ait enim

ad Iesum: Ecce dimidium bonorum meorum, &c. Audis pharisæe? Non commemorat Zachæus uictimas, non delectus ciborum, non ieiunia, non dies festos, non sabbatismos, non lotiones, non uestem iactat aut genus, sed opera charitatis adducit. In his peccator uincit iustos, et de sua sanctimonia gloriantes publicanus antecellit. Siquidem pharisæus ille prædicator suorum benefactorum, decimas duntaxat bonorum suorum dabat pauperibus: hic dabat dimidium, nec dabat è præda, sed si quid fraude partū erat, restituebat scœnore quadruplici: deinde de iuste quæsitis largiebatur dimidium egenis. O uices rerum mire inuersas, quod intus erat in pharisæis id erat plenum rapina & dolo. Et Zachæum habemus iustum & liberalem hominem, non solum diuitem, uerum etiam publicanum, atq; adeo huius generis principē, quo magis etiam inuenitur, minabilis apud Iudæos. Sed nihil moratur titulos dominus, mentem inuenitur, & ex factis æstimat, ex his autem factis, quæ ex fide & charitate proficiuntur. Neq; uero iactanter hæc de se prædicat Zachæus, quemadmodum ille pharisæus, suæ iustitiæ buccinator apud deum, & publicani derisor. Zachæus non præfert suam iustitiam alienæ iustitiæ, sed ut homo peccator ac publicanus simpliciter aperit sibi fuisse studium iustitiæ, etiam antequam uideret Iesum. Ex quo discere cupit, recte fecerit nec ne, & quid præterea foret addendum ad adipiscendum uitam æternam. Sic enim expediebat, ut hæc Zachæi uox audiretur ab inuidis Iudæis, & à Christo iisdem audientibus probaretur. Non enim poterat illis efficacius exprobrare suam fraudulentiam, auaritiam, rapacitatem, qui non solum ipsi nihil largiebantur egeni proximo, uerum etiam prætextu pietatis satagebant parentes fraudari à filiis debito subsidio.

Matth. 10. b

Ait Iesus ad eum: Quia hodie salus domui huic facta est, eo quod & ipse filius sit Abraham. Venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.

Conuersus dominus ad murmurantes Iudæos, ait: Illud affirmo uobis, quod hodie salus contigit huic familiæ, eo quod ipsa quoq; pertineat ad parentem Abraham, quo generis authore uos gloriamini. Quisquis enim fide & sinceritate uitæ pietateq; refert Abraham, is filius est Abraham, consors benedictionis, olim Abraham promissæ. Nō obstat huic genus ab Abraham stirpe diuersum, nō uitæ genus antehac in peccatis actum, quisquis à priori uita respiciens amplectitur doctrinam euangelicam, quisquis Abraham uestigijs ingressus sequitur ueram iustitiam, filius est & hæres Abraham. Nec enim huiusmodi fastidier filius hominis, qui in hoc ipsum uenit in mundum, ut quæreret quod aberrauerat, seruaret quod perierat. Hi peccatores deo gratiores sunt, quam qui falsa persuasionem iustitiæ tument. Hoc sermone Iesu declarabat posthac non esse glorificandum in obseruantia legis, sed quicquid dotis obtigisset cœlesti munificentia, id totum eò conferendum, ut quam plurimos homines pertrahamus ad salutem. Nam hoc lucro potissimum delectatur deus, qui in hoc miserat filium suum, ut uniuersas orbis nationes gratis condonatis peccatis adiungeret sibi.

Matth. 25. b

Hæc illis audientibus, adiiciens dixit parabolā, eo quod esset prope Ierusalem, & quia existimarent quod confestim regnum dei manifestaretur. Dixit ergo:

Erant inter discipulos qui putabant mox ut uenisset Hierosolymā, cuius iam cœperat esse uicinus, appariturum regnum cœlorū, de quo toties meminerat imaginantes

imaginantes regnū aliquod mundano simile, quum Christus sentiret de regno spiritus & euangelico, per quem spiritum opprimitur tyrannis peccatorum. Id autem regnum non constat copijs armis aut ui, sed fiducia erga deum, sed beneficentia in proximū, sed clementia, sed syncera ac liberali dispensatione sermonis euangelici. Porro maiestatem huius regni quæ pios decorabit immortalī gloria, impios æternis supplicijs addicet, non statim esse proferendam, sed suo tempore incognito prodendam. Interim illud omnibus modis agendum, ut quam quisque dotem habet, primum meminerit esse pecuniam domini, cui debemus omnia, & in huius lucrū erogandū bona fide quod accepimus, non quod ille uilius rei sit indiguus, sed quod pro sua erga genus humanum charitate sitiat omnium salutem, magnoque sese lucro auctam existimet, si homo per hominem res piscat à uitijs, & ad euangelicæ pietatis studium conuertatur, ut habeat quod in utroque remuneret, & eo qui iuuat beneficio, & eo qui adiutus est. Nec enim est quod hinc nobis uendicemus laudis aut gratiæ, serui sumus omnes, operam debemus domino, fors tota illius est, cuius sumus & ipsi: tantū hoc pro sua cuiusque uirili enitendum est, ut augeat rem domini, multis prosit, multos conuertat ad deum, de præmio relinquat arbitrium domino, qui suo tempore promptam uoluntatem nostram ac fidelem conatum largissime remunerabit. Parabola autem habet duas partes, quarum prima est de ludæis pertinaciter incredulis, qualem reportaturi sint præmium pro contempto Messia promisso, & misso, sed minime agnito uel suscepto. Altera pars huic inserta per occasionem scilicet, de seruicis bonæ uel malæ fidei, quam sint mercedē utriusque reportaturi à domino. Hæc uero parabola ad uerbū primo describenda pro prima parte, deinde incidentia hæc pars, et reliqua primæ, quam succedet paraphrasis clarior, ut sic pertinetur ad utriusque partis genuinam explicationem & sententiam intētam à Christo.

Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere siminas, & reuerti. Vocatis autem decem seruis suis, dedit eis decem minas. Et ait ad illos: **Negotiamini dum uenio. Ciues autem eius oderant eum, & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos.**

Homo, inquit, quidam nobilis ac præpotens, profectus est in regionem longinquam, ut assereret sibi regnum, quod alius per tyrannidem occuparat, eoque peracto domum sese reciperet. Sed is priusquam ingressus est iter, conuocauit seruos quos habebat decem, ac tradidit illis minas decem, sic, ut inter omnes esset a qua sortis partitio, simulque mandauit illis. Hanc, inquit, pecuniam uobis trado, non ut prodigatis aut seruetis otiosam apud uos, sed ut negotiatione crearetis, uidelicet, ut reuersus reperiam rem domi auctam. Hunc ad modum rebus domi ordinatis profectus est. Ciues autem eius ciuitatis cui præerat oderant eum. Itaque profecto illo coeperunt agitare de rebus nouandis, hoc molientes ut dum alterum regnum asserit, ab eo quod possidebat, excluderetur. Miserunt itaque legatos ad illum iam profectum, qui referrent illi, ciues esse huius animi, ut postea hac nolent illum habere regem, ne rediret unde profectus esset. Accidit autem ut ille uendicatio regno, cuius gratia profectus fuerat, rediret, ac protinus iussit uocari seruos suos, quibus tradiderat sortem decem minarum, ut subductis rationibus, sciret quantum quisque fecisset lucrī.

Et factū est, ut rediret accepto regno, & iussit uocari seruos, quibus

dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus, dicens: Domine, mina tua decem minas acquisiuit. Et ait illi: Euge bone serue, quia in modico fuisti fidelis, eris potestate habens super decem ciuitates. Et alter uenit, dicens: Domine, mina tua fecit quinque minas. Et huic ait: Et tu esto super quinque ciuitates. Et tertius uenit, dicens: Domine, ecce mina tua quam habui repositam in sudario, timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti. Dixit ei: De ore tuo te iudico serue nequam: sciebas quod non homo austerus sum, tollens quod non posui, & metens quod non seminasti: & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & metis quod non seminaui: & quare non exegissem illud? Et astantibus dixit: Auferte ab illo minam, & date illi qui decem minas habet. Et dixerunt ei: Domine, habet decem minas. Dico autem uobis, quia omni habenti dabitur & abundabit ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab eo. Veruntamen inimicos meos illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, et interficite ante me.

Supra 8.c
 Matt. 13. b. 24. d
 Marci 4. c

Prodiit primus seruus qui decem acceperat minas, & postulatus rationem, ait: Domine, mina tua creuit ad decem minas. Cuius industriam ac fidei collaudans dominus, respondit: Euge serue bone, quonia quum res meae essent angustiores, in exigua pecunia declarasti te fidelem, & amantem erga dominum tuum, nunc rebus meis auctis, aequum est ut particeps sis amplioris fortunae: sume praefecturam decem ciuitatum. Post hunc uenit alter seruus, qui postulatus rationem, ait: Domine mina quam mihi pro sorte dedisti, peperit tibi quinque minas. Et huius industriam tamen inferiorem, collaudauit dominus. Quam ad hunc modum ceteri quoque reddita ratione pro suo quisque modulo donati essent dignitate, tandem uenit seruus unus omnium ignauissimus, pessimusque fidei, qui domino exigenti rationem, respondit: Domine, en referam tibi minam quam mihi credideras, eam haecenus habui repositam in sudario, quo tibi sicut erat in periculo, ne si male cessisset negotiatio, tecum mihi res esset: metuebam enim te, non ignarus quam sis homo austerus & lucri auidus, adeo ut non solum in periculo tuo, uerum etiam inde tollas ubi nihil posuisti, & inde messem colligas ubi non feceris sementem. Dominus autem non tantum offensus ignauia serui, uerum etiam quod culpam suam referret in mores domini, commotus ait: Serue piger malae fidei, & insuper insimulator domini tui, in tuum ipsum caput protulisti sententiam, noueras ut ais, quod homo sim austerus, & lucri auidus, inde tolerans ubi nihil deposui, inde metens ubi nihil seminasti: atqui hoc ipsum te debet ad industriam excitare, ut meam pecuniam traderes mensariis, uenissent enim haud dubie, & eam simul cum usuris exegissem abs te, quod tibi in hoc credideram ut per te cresceret. Ad hanc heri uocem quum obmutuisset seruus inutilis, dominus dixit ceteris seruis astantibus: Auferte ab illo minam, & date illi qui habet decem minas. Hoc admirantes serui, dixerunt: Domine, quid opus est huic addere? satis beatus est, habet enim decem minas. Tum dominus: Vestra nihil refert quid habeat, sic mihi uisum est, & sic aequum est in hac ratione

tione, ut quisquis industria fideli auxerit rem domini, huic mea benignitas ad-
 hiciat aliquid ut magis etiam abundet. Contra, qui per ignauiam nihil lucri sibi
 parauit, huius egestati adeo non subueniet mea liberalitas, ut hoc ipsum etiam
 quod habet, sit auferendum. Mea fors erat, mihi debebatur lucrum a seruis, ue-
 firum erat prestare debitam operam. Nunc & fortem uobis largior & lucrum.
 Hactenus ænigmate dominus Iesus docuit discipulos suos, ut in negotio prædi-
 cationis euangelicæ se quisque quam maxime fidelem & industrium præberet,
 primum autem expectarent in altero aduentu domini, quem iam apparebit
 potens ac sublimis, regno ecclesiæ iam uindicato ac tradito patri, Primum enim
 quum diabolus impune regnaret in alieno, per uniuersas orbis nationes. Cuius
 deus tantum in Iudæa notus, unius tantum ciuitatis regulus esse uidebatur,
 quum tyrannidem occupauerat, reliquit Iudæorum terram, & profectus est in cœ-
 piens autem sibi uendicare per euangelij prædicationem, quod sibi satanas per
 tyrannidem occupauerat, reliquit Iudæorum terram, & profectus est in cœ-
 nis, sed prius diligenter instructis discipulis ad munus euangelicæ negotiatio-
 nis, quibus credidit euangelici sermonis dispensationem ueluti fortem quan-
 dam, unde lucrum ingens per illos accresceret domino talium lucrorum auaritia
 sumo, attraherent ad regnum euangelicum quoscunque possent, publicanos,
 meretrices, milites, Græcos, Romanos, Scythias, Gallos, Gothos, Sarmatas,
 Hoc autem agerent usque ad reditum domini, qui rediturus est in fine mundi, di-
 stribuiturus cuique pro suis factis æterna præmia. Non uenturus est autem nisi
 prius subiecerit orbem imperio euangelico, & in unam ecclesiã coeant omnes
 totius orbis nationes. Verum dum hæc molitur per suos discipulos, Iudæi apud
 quos solos deus hactenus regnare uidebatur, propter cognitionem legis & reli-
 gionis auctoritatem, ciues illius ex quibus & apud quos natus fuerat, quum in
 primis illum amare debuerint, & in uindicto regno adesse modis omnibus,
 non solum nullam opem addiderunt, uerum etiam obstiterunt, clamantes apud
 prætorem: Non habemus regem nisi Cæsarem. Idem fecerunt & post, denun-
 ciantes apostolis, ne posthac de nomine Iesu facerent mentionem, Moysen uole-
 rum regem, Christum nolebant, oderant enim illum quod aduersaretur ipso-
 rum prauis cupiditatibus. Videmus autem & hodie quomodo natio Iudæo-
 rum se subduxerit a regno euangelico, quamque pertinacibus odijs conspirarit
 aduersus eum, cui data est a patre omnis potestas in cœlo et in terra. Nolumus,
 inquit, hunc regnare super nos: et dum nolunt seruire Christo, seruiunt om-
 nibus huius mundi tyrannis, seruiunt satanæ tyranno sæuissimo, seruiunt ui-
 tijs grauibus & multis, inuidiæ, rancori, auaritiæ, odio, infelicissimi omnium ho-
 minum, quumque passim toto terrarum orbe uideant Christianos gaudere liber-
 tate spiritus, & credere se tantum fingunt. Sed his frustra reclamantibus,
 vindicatur et confirmatur ecclesiæ regnum, in quo parando ac stabiliendo, qui
 fidelem nauarint operam, pro modo fructus quem attulerunt in uinea domi-
 ni gloria & honore coronabuntur in regno cœlesti. Iudæis autem pertinaciter
 incredulis, quid erit præmij? Et hoc explicuit dominus in reliqua parte para-
 bolæ. Posteaquam enim sumpsisset supplicium de seruo malæ fidei, adiecit: Quin-
 & ciues illos meos, genere ciues, animo hostes, qui seditiosa legatione missa de-
 precati sunt me regem, adducite huc ut occidantur in conspectu meo, mihi que
 dunt poenas rebellionis. Hæc est mors æterna quæ manet omnes qui man-
 ductum & clementem pertinaciter contempserunt.

Matth. 21. 4
Marc. 11. 4

E Et his dictis, præcedebat ascendens Hierosolymam.

Hæc dominus loquutus pergebat ire Hierosolymam, ubi peracturus erat illud eximium sacrificium pro salute generis humani, & è specula crucis uelut avarus & ambitiosus rex, omnia pertracturus ad se. Quanquam enim ubique multi fuerunt & futuri sunt qui clament factis ipsis: Nolumus hunc regem suum per nos; tamen nulla est natio tam procul semota à Iudeis, unde non plurimos pertrahat ad se. Rursus igitur facto inculcat quod prius designarat in Zachæo, quod mox prolixiore parabola explicuit. Procurat iterum illud dominus quod & antè saepe procurauit, ut liqueat omnibus sese sponte, uolentem ac scientem pati quicquid passurus erat, alioqui posse quicquid uellet. Quonia autem de creuerat per summam ignominiam ac deiectionem asserere sibi summam apud homines gloriam, & discipuli nondum ad plenum capaces huius mysterij, nescio quid magnificum ac præclarum iuxta mundum expectabant à domino, uoluit ante mortem ad tempus illorum blandiri, uel illudere potius affectibus, & irridere huius mundi gloriam, ostendens quam sit inanis et infida, quum tantos applausus, am honorificas acclamationes, tantum populi studium mox secuta sit crux.

Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage & Bethaniam, ad montem qui uocatur oliueti, misit duos discipulos suos, dicens: Ite in castellum quod contra uos est: in quod introeuntes inuenietis pullum asinae alligatum, cui nemo unquam hominum sedit, soluite illum & adducite. Et si quis uos interrogauerit, Quare soluitis? sic dicetis ei: Quia dominus operam eius desiderat.

Quum Iesus peruenisset ad montem qui dicitur oliueti, uicinus duobus oppidulis in eius motis latere sitis, unde iam in prospectu esset Hierosolyma, emisit duos è discipulis suis cum mandatis: Ite, inquit, in castellum uel oppidulum proximum illud quod eregione situm uidetis, in cuius ingressu reperietis pullum asinae alligatum pro foribus, rudem adhuc sessori, & cui nullus hominum insederit, soluite illum, & adducite mihi. Omnium enim notitiam Christus habens, non ignorabat rerum istarum constitutionem antequam corpore applicuisset, simul & potestatem suam ostendens & se dominum omnium rerum, quærum pro sua uoluntate usum sibi dum uellet usurpare posset, unde & addit: Si quis obstiterit interrogans, quare soluitis pullum? hunc in modum illi respondetis: Dominus hoc opus habet, uti eo pro arbitrio deliberauit, & confestim illum dimittet uobis adducendum.

Abierunt autem qui missi erant, & inuenerunt sicut dixit illis, stantem pullum. Soluentibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos: Quare soluitis pullum? At illi dixerunt: Quia dominus eum necessarium habet.

F Et duxerunt illum ad Iesum. Et iactantes uestimenta sua super pullum, im-

Ioan. 12. 6

posuerunt Iesum. Eunte autem illo substernerent uestimenta sua in uia. Abierunt discipuli duo Iacobus & Ioannes, & pullum alligatum reppererunt, soluere parant, interim aderant qui rogarent, uelut obsistentes: Quare soluitis pullum? Illi ueluti iussi fuerant, responderunt: Dominus opus habet illo. Audi uero conspexerunt dominum uelle conscendere, quod tamen nunquam antea fuerat solitus, ne in nudo tergo sederet incommodius discipuli infrauerunt sua pallia iumento. Iam autem insidente Iesu & eunte, quidam etiam in uia strauerunt

runt uestimenta sua, uel ne pullus rudis & incalceatus ad lapides offenderet ungulas. Dominus autem sic pullo insidens, duo facit: Vnum quod implet prophetiam Zachariæ nono prædictam: Ecce rex tuus uenit sedens super asinam. Secundum figuraliter insinuat quod sessurus super nouum & indomitum, & immundum populum gentilem. Duos autem missos esse hoc uult, quod in adductione gentilis populi ad Christum, ut ei obediant, duos necessarios esse ordines, prædicatorum & miracula confitentium. Nondum sederat super eundem populum sermo uel Mosaicus uel propheticus, sed pullus erat indomitus.

Et cum appropinquaret iam ad descensum montis oliueti, cœperunt omnes turbæ descendentiū gaudentes laudare deum uoce magna super omnibus, quas uiderant uirtutibus, dicentes: Benedictus qui uenit rex in nomine domini, pax in cœlo, & gloria in excelsis.

Quum iam uentum esset ad pedem montis, ac recta tenderetur Hierosolymam, mirus quidã affectus diuinitus immissus corripuit animos omnium, quorum alij comitati fuerant Iesum, alij è Hierosolymis processerant obuiam. Nam certatim uia qua incedebat dominus, ramis arborum undique decerptis consternabant, magnoque gaudio clarisque uocibus cœperunt laudare deum super omnibus beneficijs & miraculis, quæ uiderant & audierant gesta per Iesum. Resonabant undique uoces gratulantium uelut triumphatori domino, & acclamantium: Osanna in excelsis, Benedictus qui uenit in nomine domini, &c. Hæc erat uox promiscuæ multitudinis, præcipue iuuenum, qui uelut afflatu quodam numinis, contempta pharisæorum inuidia, reddidere palam testimonium domino Iesu. Nouus iam populus apparens laudantium dominum, credendo eum Messiam ex semine Dauid secundum carnem apparuisse, gloriam deo retulerunt secundum quod scriptum est: Populus qui creatur laudabit dominum. Vestimentorum autem substratio significare uidetur, quod exuti hominem ueterem, qui digni sunt laudare Iesum, substernant & subijciant illum, ut cum ascenderit illum sanctificet eum, & non ultra repugnet caro spiritui, ut & ipsi possint dicere: Subiiceret eum, & orauit eum. Quod autem dixit Omnes turbas, uocat simpliciter discipulos, qui scilicet Christum sequuntur, non solum duodecim, uel septuaginta, idque propter doctrinam uel miracula, in qua & pueros fuisse uerisimile est, sicut alij Euangelistæ dixerunt, qui tamen & ex urbe Ierusalem multi, ut fit, accedere potuerunt, & instinctu spiritus acclamabant regem aduenisse in nomine domini, & pacem cœlitus donandam per ipsum.

Et quidam pharisæorum de turba dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos. Quibus ipse ait: Dico uobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

Erant in ea multitudine & Hierosolymis pharisæi quidam, quos male habebat hæc acclamatio, nescio quid præ se ferens homine maius. Ex his erant qui monerent Iesum, ut ipse sua autoritate cohiberet acclamationes impias ex immodico quodam erga præceptorē studio proficiscentes, & ob id ingratas etiam ipsi domino, qui tam eximias laudes non agnosceret. Magister, inquiunt, compeprime ab huiusmodi clamore discipulos tuos. Iesus autem piam simplicis turbæ professionem non cōpressit, sed pharisæorum cæcitatē oblique taxauit, qui non uererentur ea quæ magnifice gerebat dominus tribuere Beelzebub principi demoniorum. Respondit autem: Qua fronte cōpescam, gloriam merito deo

canentes, & quod à prophetis olim dictū est, implentes, et pijs nunc uocibus oc-
cinentes: Illud affirmo uobis, adeò deus non uult hanc laudē suam sileri, ut si
homines conticescerent, ipsi lapides sint clamaturi. Et lapidibus duriores sunt,
qui tot beneficijs, tot miraculis prouocati, non possunt ad prædicandā dei glo-
riam permoueri. Hac itaq; triūphali pompa, & huiusmodi stipatu dominus Ie-
sus ibat Hierosolymā. Tantulū enim illi libuit gustare de huius mūdi gloria an-
tequam subiret crucē, & hanc professionē extorsit ab ea gente, à qua mox erat
crudelissime perimendus, ut Iudæi sua ipsorū uoce condemnarent quod suum
Messiam ac seruatorem adegissent in crucem. Subest autē in hac rerū gestarum
historia non parū mysterij. Asina stabat, stabat & pullus asinæ filius. Asina iam
asueuerat sessorī, legis iugum ferre solita nimirum Iudæorum natio. Pullus asi-
næ filius, quoniam salus à Iudæis cepit exordium, Gentium populus adhuc ru-
dis erat, nec legis iugo pressus, nec per euangelicā obedientiam Iesum sessorē
uehens. Vtrūq; iumentū erat alligatum, quoniā & synagoga carni legis serue-
bat, non aspirans ad libertatem spiritus, & Gentes philosophorū decretis ac da-
monū cultui erant obnoxia. Habebant tum cōmunes dominos, eosq; non pau-
cos. Siquidē in Iudæorū simul ac Gentium populis pleriq; seruiebant avaritia, le-
bidini, ambitioni, inuidiā, cæterisq; scædis & inclemētibus dominis. Hos iussit
domini soluūt duo apostoli, Petrus doctor circūcisionis, & Paulus doctor Gen-
tium, dum per fidem euangelicā, & baptismū, ac miraculorū signa, conuertunt
utrosq; condonant utrisq; omnia peccata pristinae uitæ, ut soluti posthac mere-
antur habere sessorē dominū Iesum. Quid autem mirū, si priores illi domini
non possunt impedire solutionem, quando qui soluunt illius domini iussu solu-
unt, cuius uoluntati nemo resistit: Illi talibus iumentis opus est, talium dorsis
gaudet insidere, qui simpliciter obediunt, qui suaue iugū euangelicæ doctrinae
libenter accipiunt, qui non ferociunt aduersus sessorē, qui placido incessu cor-
poribus suis portant, & glorificant dominū Iesum, donec peruenerint in ciuita-
tem sanctā, & in templū domini: non illā interfetricem prophetarū, sed cele-
stem illā quæ nescit rebellionē. Mundi principes amant feroces caballos, ac bel-
lo natos & edoctos. Dominus Iesus tales amat asinos, qui mites mitem uehant
dominū, nec sessorē tergo excutiant. Hanc uectationē ridet elati principes
huius mundi, ridet superciliosi philosophi, ridēt tumidi pharisæi, sibiq; uiden-
tur felices quod tergo uehant immitissimum sessorē diabolum, quod tot do-
minis seruiant inclementissimis, quum unī domino seruire felicitas sit. Nihil
his pusillis ac simplicibus felicius, posteaquam semel soluti sunt à seruitute, po-
steaquam semel tergo receperunt dominum Iesum, iuxta mundum asinini ge-
neris uidentur idiotæ simplices, nescij fraudis, sed habent rectorē dominum,
qui non sinit illos aberrare, qui non solum dignatur insidere dorsis illorum, ue-
rumetiam inhabitare pectora, quæ suo spiritu moderatur. Erant nuda iumenta
prius, sed apostoli suis pallijs cōuestiunt, sua doctrina, sanctæq; uitæ exemplis,
ea preparantes conscensuro Iesu, qui quod semel fecit iuxta carnē nusq; non fa-
cit iuxta spiritualē sensum. Via erat aspera, sed hanc quoq; discipuli substratis
uestibus cōmuniunt, ostendentes faciliē esse uia pietatis, si quis perfectorū ex-
empla ingrediens, subdat se domino Iesu. Itur per ramos palmarū, per frondes
arborū uirentes semper florentē ac uirentem memoriā martyrorū, uirginum, &
confessorū. Quanta enim uis exemplorū offert sese undiq; uiam pietatis ingre-
sis: Huiusmodi magnā copiam suppeditant ipsi Iudæorū libri Gentibus quoq;
Aggratulantur huic pullo quicumq; Christū agnoscunt dominum. Nec hodie
desunt

desunt pharisæi, nec unquam defuturi sunt quos urat Christi gloria. Mallent enim acclamari sibi: Osanna in excelsis, Benedictus qui uenit in nomine domini, quum non ueniant in nomine domini, sed in nomine suo. Sed Iudæis hodie tacentibus Christi gloriam, cui inuident, lapides clamitant, iam facti filij Abrahæ. Hierosolymitæ clamant, Tolle tolle crucifige: Hyberni, Scoti, Britanni, Galli, Sarmatæ, Germani, clamant, Benedictus qui uenit in nomine domini, qui dum suæ gloriæ causa student, obscurare conantur gloriam Christi: qui privati commodi causa premunt ac deprauant synceritatem scripturæ sacræ, dum suam magnitudinē prædicari uolunt magni pontifices & pharisæi ab hominibus, & Christi gloriam ueram sileri, in quem solum fidendum, cui soli narrantur. Hi nimirum pharisæos illos agunt, obturare conantes ora filiorum Hebræorum, quos deus afflauerat, ad decantandam gloriam sui nominis, ac filij sui quem mundo dederat seruatorem.

Et ut appropinquauit, uidens ciuitatem, fleuit super illam, dicens: Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis:

Quum iam eò progressus esset dominus Iesus, ut propius in prospectu esset Hierosolyma, uidens ciuitatem illam ædificijs magnificam, ac splendidâ uiribus, opibus ac religionis opinione florentē, superbam, rebus præsentibus ignorantia abruptis, ueluti præ dolore singultiens, deplorauit illius exitium, dicens in hanc sententiam: Si tu quoq; cognouisses quemadmodum ego cognoui hunc tuum diem, quo tibi pax offerretur ac remissio pristinorum criminum, studeres amplecti quod offertur. Nimirum hic tuus dies est quo prouocaris ad respiciendam, & inuitat te dei bonitas ad poenitentiam, inuitat autē extremo gradu benignitatis, ad quem nihil potest adiungi. Toties à te sprete dei clementia, nouo quodam modo dignat te inuisere, ut saltē hac ratione mitescas. Veniet alius dies, non tuus, sed Romanorum & ultionis diuinæ, quo poenas dabis omnium scelerum tuorum, quæ cumulare quam deplorare maluisti. Nunc autē nec diem tuum agnoscis nec illum non tuum respicis, quoniam uterq; abscondus est ab oculis tuis, quos habes præsentis felicitatis temulentia cæcutientes. Nec recordaris præteritis præsentis quæ comisisti, nec prospicis futura quæ tibi imminet, nec agnoscis præsentē dei erga te bonitatē, quam quoniam pertinacissime spernis, o ciuitas inmedicabilis, & interfecitrix eorum qui tibi salutis nunciū adferunt, uenient alienigenæ aduersum te, qui tibi adferent exitium. Auerfaberis Messiam tuum, & Casarem tibi regem ascifces: senties igitur tuos reges.

Quia uenient dies in te, & circūdabunt te inimici tui uallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te undiq; , & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoueris tempus uisitationis tuæ.

Reges tuos senties longe alio apparatu ad te uenientes, quam nūc ad te uenit rex tuus salutifer & placidus. Non recipis qui uenit ad te daturus salutem, & recipere coges qui uenient daturi perniciem. Venient enim Romani principes, pro regibus hostes, quos anteposueras tuo regi, cum armatis copijs, ac prius circumsepient te uallo ne qua pateat effugiū, deinde uiris ac machinis undiq; cingent te, ac prement obsidione arctissima: deniq; totam istam structurā

tuam unā cum templo solo æquabunt. Non hoc contenti, filios tuos quibus tu nūc superbis, ac vicissim addis animos tuo splendore, internatione concident, totamq̄ istam tuam gloriam sic funditus tollent, ut nec lapidem relictum sint lapidi coherentem, ne quod uestigium tui maneat, aut ne qua spes sit in futurum di tui. Erunt hæc quidē miseranda, sed tuo merito accident, eo quod toties pro uocata olim per prophetas diuersos, nunc etiam per Ioannem ac Messiam tuū obstinate spernas dei misericordiam. Senties igitur tempus uindictæ, quæ tempus uisitacionis nosse nolueris. Poteras & ipsa amplecti salutem oblatā, nunc saltem tuo exitio salutiferum exemplum præbebis alijs, ne simili modo spernāt dei bonitatem ad meliora prouocantem.

Matth. 21. b
 Marci. 11. b
 Isaiæ 55. 4
 Ierem. 7. b

Et ingressus in templum, cœpit eijcere uendentes in illo & emētes, dicēs illis: Scriptū est: Quia domus mea, domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronū. Et erat quotidie docens in tēplo.

Hæc locutus Iesus uenit Hierosolymā, & ingressus est templū, unde eiecit primū quidem uendentes sacerdotes, qui pietatē in quæstū uerterant, sua non quæ dei erant quærentes per fas & nefas, sacra omnia uendentes, & ementes plebes salutis specie à sacerdotibus perditis. Dicebat ergo iratus Christus dicata sancto: In scripturis sacris dicit deus: Domus hæc mea nō negotiationi dicata est, sed precationi. Vos autem uertistis illam in speluncā latronū, spoliantes ho spites sub prætextu pietatis, & insidijs impijs uestrum lucrum aliorum damno procurantes. Hoc factō dominus Iesus declarauit, quantā perniciem adferant ecclesiæ, qui sub prætextu pietatis student fœdo quæstui, qui sub titulo religionis suum agunt negotiū, non pascentes gregem, sed deglubentes, & insyncera doctrina perimentes animas, quas syncera debebant uiuificare. His peractis dominus uelut in suo regno uersans, quotidie docebat in templo palām, con tempta pharisæorum insanabili malitia.

Principes autē sacerdotum & scribæ & principes plebis quærebant illum perdere, & non inueniebant quid facerent illi. Omnis populus suspensus erat, audiens illum.

His rebus irritati qui inter sacerdotes primas tenebāt scribæ, & primores populi captabāt occasionē perdendi seruatorē. Nō deerat mala mens, sed nō affuit gebat spes perficiendi quod uolebant. Audierāt acclamationes populi, uidebāt et in tēplo totā multitudinē suspensam pēdere ab ore illius, tanta erat diuini sermonis & uis et gratia. Fastidiebāt istorū frigida doctrina ueluti uappa, de lononibus, de corbona, de decimis semel gustato musto uigoris euāgelici. Hinc metuebant authoritati suæ, quæstui & regno. Quod autē id tēporis iuxta historiam accidit, id frequenter euenit iuxta tropologiam, quoties hi qui religionis arcem tenent, quiq̄ sacre doctrinæ pfessione cōspicui sunt, conspirant cū prophanis principibus aduersus Iesum, tum imminet ingens exitiū populo. Id fit quoties authoritates sacerdotum & sacre doctrinæ professorum adulanē huius mundi monarchis, & illorū affectibus subseruiunt authoritate sua, quorū potentiam oportebat salubribus ac liberis monitis cohibere. Ac uicissim monarchæ suis opibus, episcoporum ac theologorū prauas cupiditates, hoc est, auaritiā, ambitionem, tyrannidem, fulciunt ac muniunt, quanquam neutri alteros amant, tamen impia collusionē in perniciem euāgelicæ ueritatis tradunt operas mutuas. Horum scelerata coniuratio, maius exitium adfert orbi, quā tum adferat rebat pontificum, scribarum, pharisæorum ac primorum conspiratio. C A P.

Factum est in una dierum docente illo populum in templo & euangelizante, conuenerunt principes sacerdotū & scribæ cum senioribus, & aiunt, dicentes ad illum: Dic nobis, in qua potestate hæc facis? aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem? Respondens autem Iesus, dixit ad illos: Interrogabo uos & ego unum uerbum: Respondete mihi:

A
Matth. 22. 6
Marc. 11. 27

Quæritur occasio, ut tamen si cupiditas occidendi esset impia, tamē apud homines studio iustitiæ facere uiderentur. Accidit itaq; ut die quodā quum Iesus doceret populū in templo, & inculcaret illis lætū & optatū nuncium æternæ salutis, cōuenirent illi cōiurati sacerdotes unā cū scribis ac pharisæis et populi primariis, ut uel autoritate cohiberēt Iesum à sacra doctrina: non poterāt illius admiranda facta dānare quæ tam multa teste populo gesserat: nō poterāt refellere doctrinā quæ cū lege cumq; diuina uolūtate consentiebat. Hinc igit̃ meditantur calumniā quod hanc docēdi populū autoritatē sibi sumpsisset, quū ab ipsis oportuerit accipere, uidelicet illud agentes, ut uel gloriā deo debitā in se transferret, uel Christo struerēt calūniā more seditionis, qui sine publica principū autoritate cōuocaret ac detineret populū. Simul igit̃ adeunt Iesum in templo, dicētes: Si uis ut nos quoq; credamus tibi, dic nobis qua nam autoritate facias ista quæ facis? Baptizas, prædicas, sanas in sabbatis, doces in tēplo, colligis discipulos, auocas & detines populū. Nobis ignotus es, nulla potestate publica præditus es. Quis igit̃ dedit tibi hanc potestatem? Iesus aut̃ intelligens hanc percontationē ab impia cogitatione pficisci, nimirū ut calūniarentur, non ut discerēt, nō conatus est eos docere, sed retudit illorū malitiā ueluti clauū clauo pellens. Ioannem enim Baptistā plurimi fecerant, & ad huius baptismū cōfluxerant. Et is collegit discipulos, & is turbis prædicabat in desertis et circa Iordanē, instare tributa fuerat autoritas à sacerdotibus, pharisæis aut primoribus populi, sed è deserto ueluti nouus homo prodierat, afflatus ac missus à deo, iuxta uaticiniū Isaiæ. Ceterū huc tendebat insidiosa procerū interrogatio, ut si Christus respondisset, eam autoritatē à deo sibi traditā, accusarent eū blasphemiam, quod hominis nō acceperat, supererat iuxta collectionē illorū seditiosam eā esse potestatem ex instructu satanæ quā sibi sumeret. Contendebāt enim omnē potestatem diuinitate similis facientē suspexissent, adeo ut Messiam esse contēderent, nisi quod Ioannes non ædebat miracula. Atqui hoc noīe minus debebat obstrepere Christo. Ac ne illud quidē illis ueniebat in mentem, quod iam olim deus tradidisset & rem à prophetis prædictā reijciebāt. Itaq; dominus malitiosam illorū prudentiam & stultam fraudulentiam uolens eludere, respōdit hunc in modū: Priusq; ad interrogationē uestram respondeā, sciscitabor & ego à uobis quiddā, quod uerbo poteritis expedire, id ubi expedieritis, respondebo et uestre pcontationi.

Baptismus Ioannis de coelo erat, an ex hominibus? At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia si dixerimus de coelo, dicit: Quare ergo nō

credidistis illi: Si autē dixerimus ex hominibus, plebs uniuersa lapida-
B bit nos: certi sunt enim Ioannem prophetam esse. Et responderunt se
 nescire unde esset. Et Iesus ait illis: Neque ego dico uobis in qua potesta-
 te hæc facio.

Dicite mihi, inquit Christus, baptismus Ioānis utrum è cœlo, an ex hoibus
 fuit: cuius autoritate docebat et baptizabat, num cœlitus accepta, an ex homi-
 nibus? Sensit ilico cornutam interrogationem impia Iudæorum conscientia. Si
 uera respondere uoluissent simpliciter & parata erat ueritatis oratio. Sed sen-
 tiunt sese eadē arte peti qua petebant. Inuitur itaq; consiliū dolosum. Nihil enim
 operosius simulatione, & fraus fraudem, dolus dolum trahit. Conferunt igitur
 inter se, Quid ad hoc problema respondebimus? Si dixerimus Ioannis autori-
 tatem è cœlo profectā fuisse, ilico retorquetur in caput nostrū, & dicit: Cur igitur
 non habuistis illi fidem de me testificanti? Confessus est se minorem, & indi-
 gnum qui gestaret calciamenta mea. Confessus est se terrenū terrena, & humi-
 lem humilia loqui, me de cœlis profectum maiorem esse omnibus. Quomodo
 recipitis illius autoritatem, uelut à deo profectam, & meam autoritatem de
 qua testificatus est ille, palam calumniamini? Quod si dixerimus Ioānem nihil
 egisse autoritate dei, sed tantum humano spiritui, populus uniuersus adoret
 nos lapidibus, quod cuncti per suum habeant Ioannem fuisse prophetam, &
 afflatu numinis egisse quicquid gessit. Non erat illis curæ ut uerum responde-
 rent, sed ut quod ipsis esset cōmodum. Sic respondent falsi doctores, non quod
 docet scriptura, sed interpretantes quod ad ipsorum facit affectus. Si responde-
 sent uerum, periclitabatur apud populum eorum autoritas: sin falsum, metue-
 bant uitæ suæ. Formidabant homines, qui dei timorem abiecerāt. Itaq; respon-
 dent se nescire. Hæc una rima supererat qua elaberentur: sed elapsi simul à
 quæstione liberant dominum. Ait enim: Quia uos tergiuer saminī, nolentes re-
 spondere quod scitis, nec ego dico uobis qua autoritate faciam hæc qua uidetis,
 tis, quanquam nec hoc ignoratis quod percontamini.

Cœpit autem dicere ad plebem parabolā hanc: Homo quidā plan-
 tauit uineā, et locauit eam colonis, et ipse peregre fuit multis tēporibus.

Sacerdotibus, pharisæis, scribis & populi primoribus ad eum modum con-
 futatis subiecit dominus parabolam, quæ poneret ob oculos immedicabilem il-
 lorum malitiam exitio dignam, qui tot modis à deo prouocati ad respiciendam,
 semper in deterius profecissent, contempta lege, cæcis & occisis prophetis, occi-
 suri post hos & extremum malorum remedium filiū dei, & hunc rursus in apo-
 stolis & martyribus frequenter afflicti. Parabola sic habet: Homo quidam
 plantauit uineam, quam unice charam habuit, nihil non faciens ut aliquando
 fructum ex ea perciperet. Sepit autem eam diligenter, extruxit in ea turrim ad
 custodiam, effodit lacum, addidit torcular. Sic rebus omnibus bene instructam
 locauit eam colonis ut eam colerent & fructum colligerent. Quo facto peregre
 profectus est, diuq; foris commoratus. Nimirū hæc est uinea domini Sabaoth,
 quam dominus transtulit ex Aegypto, plantauit in terra promissionis, sepit le-
 gis ambitu, protexit sua custodia, ornauit templo, addidit sacerdotes, iudices,
 duces, doctores, nihil omisit quod ad curam illius pertineret. At bene curata
 uinea, colonorum uitio posteaquam erat diu expectata ut produceret uuas,
 tandem produxit labruscas. Dominus interim qui nusquam non adest, tamen
 illis

Matth. 21. d
 Marc. 12. d
 Isaiæ 5. d
 Ierem. 2. d

illis procul abesse uidebatur quod ageret in caelis.

Et in tempore illo misit ad cultores seruum, ut de fructu uineae darent illi. Qui caelum dimiserunt eum inanem. Et addidit alterum seruum mittere. Illi autem hunc quoque caedentes & afficientes contumelia, dimiserunt inanem. Et addidit tertium mittere, qui & illum uulnerantes eiecerunt.

Quum tempus esset ut aliquando fructum tali dei benignitate dignum adferret populus Israeliticus, misit uineae conditor seruum suum prophetam quem piam ad colonos, hoc est, ad principes, sacerdotes, & scribas, qui rerum habent moderabantur, ut redderent fructum enatum. Coloni qui sibi coluerant uineam non domino, seruum pulsatum ac uerberibus affectum repulerunt, ac remiserunt inanem. In quem enim prophetarum non est sauitum? Tanta autem erat domini lenitas, ut nec tanta prouocatus contumelia sauiret in colonos, sed nihil mitius tractarunt hunc, quam priorem tractauerant; nam uerberibus affectum & contumeliosum remiserunt illum inanem domino, inanem expeccato fructu, sed onustum iniuria. Quorsum enim iret nisi ad dominum, qui dixit: Mihi uindictam & ego rependam? Nec sic quidem irritata domini lenitas profiliit ad ultionem, sed misit tertium seruum: & hunc coloni uulneribus etiam inflictis remiserunt inanem domino. Siquidem domini bonitas quae illos ad poenitentiam inuitabat, magis irritauit illorum malitiam. Quanquam autem omnis contumelia qua afflixerant seruos missos merito pertinebat ad dominum qui miserat, iamque iure plecti debebant, qui toties prouocati semper ad scelera maiora profecerant, tamen ex insigni lenitate sua distulit adhuc ultionem, malens extremum experiri remedium, quam sauire in colonos.

Dixit autem dominus uineae: Quid faciam? Mittam filium meum dilectum, forsitan cum hunc uiderint, uerebuntur. Quae cum uidissent coloni, cogitauerunt intra se, dicentes: Hic est haeres, occidamus illum, ut nostra fiat haereditas. Et eiecerunt illum extra uineam, occiderunt.

Cogitauit autem apud sese: Quid faciam, ut impios colonos reducā ad mentem meliorem, quorum culpa iam olim mihi perit fructus uineae meae? Misi totum seruum, nihil profectum est: quod unum superest hoc faciam; Mittam filium meum unicum & dilectum, qui seruos meos contempserunt fortassis hunc ubi uiderint, si non amabunt, certe reuerentur, me ipsum in illo uenerantes. Qui natura mali sunt solent aliquoties uel pudore cohiberi a maleficio. Placuit hoc consilium clementissimo domino filij sui periculo uenari salutem colonorum, ubi uidelicet auido seruandi ad uindictam lentissimo. Iuit filius obediens patri. Hunc ubi conspexere coloni, non solum reueriti non sunt, sed impijs animis ad extrema dementiae consilia sese conuerterunt, dicentes apud sese: Haecenus seruos eiecimus, hic est filius & haeres, ulturus aliquando patris contumeliam, occidamus eum, & nobis uendicabimus haereditatem huius uineae contempto fortiter domino. Placuit inter coniuatos impium consilium ac filium eiecerunt. Hoc sermone dominus Iesus, quum prodidisset sacerdotibus, scribis & primoribus suam ipsorum conscientiam, qui tum moliebantur quod paulo post perpetrarunt, educentes Iesum & extra ciuitatem crucifigentes, uersus ad illos interrogauit eos.

Quid ergo faciet illis dominus uineæ? Veniet & perdet colonos istos, & dabit uineam alijs. Quo audito, dixerunt illi: Absit.

Quum hæc sic habeant, quid faciet dominus uineæ talibus colonis: Illis rursum respondere tergiversantibus, adiecit dominus: Veniet ipse dominus, ac male perdet colonos illos, qui nulla lenitate uinci poterant, atq; illis pro suo merito extinctis, uineam suam collocabit alijs. Hoc dicto significabat dominus, sumditus sublata Iudæorum religione per apostolos euangelij fructum transferendum in Gentes. Id abominantes pharisæi, responderunt: Absit. Intelligebant enim totam hanc parabolam in ipsos dictam, & quum non abominaretur tam impium consilium, tamen detestantur impij consilij iustam uindictam.

Ille autem aspiciens eos, ait: Quid est ergo hoc quod scriptum est: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? Omnis qui ceciderit supra illum lapidem, conquassabitur: supra quem autem ceciderit, comminuet illum.

Dominus Iesus ut ostenderet & hoc quod illi negabant euenturum, fuisse prædictum à prophetis, intuitus est eos, & ueluti compellans illorum conscientiam, ait: Si non creditis meæ parabolæ, quid est igitur quod legitis in Psalmis: Lapis quem reiecerunt ædificantes, factus est in caput anguli. Quisquis incidit in eum lapidem, conquassabitur: rursus, in quem ille incidit, eum comminuet. Se lapidem à deo cœlestem significat Christus, quem Iudæi reprobauerunt ædificantes synagogam absq; Christo. Sed deus hunc fecit lapidem angularem, connectentem & continentem utrumq; parietem, duosq; populos per fidem euangelicam, absq; legis ceremonijs in unam ecclesiam copulantem. Atq; hic lapis tutissimum est præsidium aduersus omnes insultus mundi ac satanæ ijs qui credentes illi adhærent & innituntur: cæterum solidus est & inuisibilis rebus bellantibus. Nulla est enim tanta potestas huius mundi quin conquassetur, si in hunc lapidem impigerit: impingit autem qui repugnat ac reijcit. Porro comminuetur etiam in quem incidit ille. Incidit autem in eos quos diu toleratos uindicta dei tandem opprimit inopinantes. Idem enim lapis salus est innitentibus, exitium uero aduersantibus.

Et quærebant principes sacerdotum & scribæ mittere in illum manus illa hora, & timuerunt populum: cognouerunt enim quod ad ipsos dixerat similitudinem hanc:

Hæ parabolæ domini sic exacerbarunt animos primariorum sacerdotum & scribarum, ut inibi statim uoluerint illi manus iniicere, sed ab impio facinore cohibuit illos populi metus, apud quem uidebant Iesum adhuc plurimi fieri. Etenim homines sibi male conscij senserant parabolam dictam in se competere, quæ ideo dicta est ut ex eius intellectu reuocaretur à nefarijs consilijs, nunc hoc ipso fiunt ad malefaciendum irritiores, quo debuerant à malitia deterri. Proinde metu plebis exclusi à palàm patrandi facinore, quod iam in animo patrarant, postquam decreuerant per cuniculos aggrediuntur sceleratior etiam sceleratior quod fraudem addunt malitiæ. Quemadmodum sceleratior est qui ueneno occidit quàm qui gladio. Audiamus nunc dolos & artes impiorum sacerdotum, qui ideo Iesum uolunt extinctum, hoc est, ideo ueritatem euangelicam uolunt oppressam, quia per eam auferretur cultura uineæ, cuius dominum

Psalm. 117. d
Act. 4. b
Rom. 9. g
1. Pet. 2. 4
Ier. 23. d

tum sibi perpetuum atq; hæreditarium promiserant; dissimulant iram & obseruant omnem occidendi occasionem.

Et obseruantes miserunt insidiatores qui se iustos simularent, ut ca-
perent eum in sermone, & traderent eum principatui & potestati præ-
sidis. Et interrogauerunt eum, dicentes: Magister, scimus quia recte dia-
cis & doces, & non accipis personam, sed uiam dei in ueritate doces, Li-
cet nobis tributum dare Cæsari, an non?

Dissimulant impij iram, & submitunt quosdam qui sese iustos simularent,
(nihil autem simulata iustitia capitalius) ut ex illius sermonibus uenarentur ali-
quid, quo deferri posset apud Cæsarianos præfectos ac præsidem Pilatum, qui
tum in Iudæa nomine Cæsaris rerum summa potiebatur, ut inuidia facti trans-
ferretur in hos, quorum sententia fuisset occisus, ipsi uelut innoxij temperasse
uiderentur à sanguine. Sed quo magis humana uersutia conantur dissimulare,
hoc magis ac magis traducunt suam insignem malitiam. Adoriuntur igitur Ie-
sum illi personati satellites pontificum his uerbis: Magister, perspecta est nobis
tua integritas, libere loqueris, & recte doces omnia, nec est apud te respectus
personarum ut in gratiam ullius quamlibet potentis mentiri uelis, sed unum
deum semper habens præ oculis, quod illi gratum est simpliciter ac libere doces,
dic igitur nobis quid sentias tu de quo multis est controuersia, utrum fas est no-
bis dare tributum Cæsari, an non?

Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tētatis? Re-
ostendite mihi denarium: cuius habet imaginem & inscriptionem? Re-
spondentes dixerunt ei: Cæsaris. Et ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæ-
saribus, & quæ sunt dei, deo. Et non potuerunt uerbum eius re-
prehendere coram plebe, & mirati in responso eius, tacuerunt.

Dominus Iesus intelligens fraudulentem blandiciem, & insidiosam interro-
gationem quorsum tēderet: nimirum huc, ut si quod sperabant fore, respondis-
set, non esse fas ut populus deo sacer seruiret ac censum penderet impio et ido-
lolatæ principi (quam opinionē pharisæi probabant etiam si profiteri non au-
derent) rursum subornarent qui deferrent eum ad Pilatum Cæsaris præsidem
lata maiestatis. Sic euangelica prudentia fraudulentiam illorum illudit, ut & il-
lis adimeret captatam ansam lædendi, & admoneret quid ipsos oporteret face-
re, quod sine dubio nemo non sine certo salutis suæ periculo foret omisissus.
Nec enim in hoc uenerat Christus ut doceret quantum Cæsaribus aut Cæsarium
præfectis pendi deberet, sed quid ex spiritali censu deberetur deo, qui domi-
nus est omnium. Quid me tentatis inquit? ostendite mihi denarium. Non enim
agnoscit Cæsaris imaginem, qui nihil habet in terris. Exhibito nummo rogauit
quænam esset imago, & cuius haberet inscriptio? Nec ista nouit qui uere Chri-
stianus est. Aiunt qui nouerant, nimirum mundo dediti: Cæsaris. Subdit Iesus:
Reddite igitur Cæsari si quid ad Cæsaris ius pertinet: neq; enim hoc mea refert
quid exigant huius mundi principes. Cæterum illud magis ad rem pertinet, ut
reddatis deo quod illi debetis: agnoscite illius imaginem expressam in animis
uestris: agnoscite titulum illius & inscriptionē. Totus animus illi debetur, nec
alij seruire debet quam ei qui condidit & corpus & animam: cur autem dei ge-
benē & magistratibus, regēda, tutanda, moderanda: illis & obedientia debetur.

ad omne bonum & utile & honestum iuxta ordinem dei, quem instituit in hoc mundo, sine quo pax & tranquillitas non seruatur. Vt igitur nemo est qui non utitur rebus huius mundi, sic nemo exemptus est à potestate ordinata à deo, à gladio uindictis malorū, & uoluntate præmiantium uirtutes. Sed & qui præsumunt in terris meminerint sese subiectos domino dominorum qui regnat in caelis, & terrena omnia habet in manu, quæ & dispensat iuxta sacrosanctam sapientiam suam, cuius uoluntati obtemperandum ab omnibus: qui cor regū habet in sua manu: qui deponit potentes de sede, & exaltat humiles: qui potentes sua potentia abutentes potenter flagellat, & inobedientes cōpellit in ordinem, uel nolentes: cuius potestati nemo se potest eximere, cui subsunt omnia. Mirati sunt subdoli captatores tam cautum responsum. Habet enim & euangelica simplicitas suam prudentiam: nec tamen agnoscunt diuinam in eo sapientiam, sed dolent nihil esse quod in eius sermone possent reprehendere.

Matth. 22. c

Marci. 12. b

Deut. 15. b

E Accesserunt autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem, & interrogauerunt eum, dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis: Si frater alicuius mortuus fuerit habens uxorē, & hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater eius uxorē, & suscitet semen fratri suo: Septem ergo fratres erant, & primus accepit uxorem, & mortuus est sine filiis. Et sequens accepit illam, & ipse mortuus est sine filio. Et tertius accepit illam. Similiter & omnes septem, & non reliquerunt semen, & mortui sunt. Nouissime omnium mortua est & mulier, In resurrectione ergo cuius eorum erit uxor: si quidem septem habuerunt eam uxorem.

Submotis impijs sacerdotibus accedunt Sadducæi, qui falso nomine iustitiæ sese uenditabant, quemadmodū pharisæi dicebantur ab eminentia, qua sibi uidebantur longe præcellere cæteris. Habet autem illud Sadducæorum sectæ peculiare, quod non credunt esse resurrectionem corporum, nec aliquid hominis extare post mortem, nec ullos esse angelos. Hi domino proponunt huiusmodi questionem: Magister, Moyses huiusmodi legem tradidit nobis: Si quis uxore ducta decesserit absq; liberis, ut defuncti frater ducat mulierem uiduam, & succedens in locum fratris, suscitet ex eadem posteritatem fratri suo. Euenit igitur ut fuerint fratres septem, quorum primus duxit uxorē, & decessit absq; liberis: huic natu proximus accepit uxorem relicta, ac decessit & ipse non susceptis liberis, &c. Proinde in resurrectione quis è septem fratribus sibi uendicabit eam uxorem? Nupsit enim mulier omnibus, nec tamen potest esse cōmunis omniū. Ex hac absurditate Sadducæi putabant posse refelli pharisæorū opinionē, qui contendebant animas superesse corporibus, & corpora quoq; mortuorum alio quando reuictura.

E Et ait illis Iesus: Filij huius sæculi nubunt, & traduntur ad nuptias: illi uero qui digni habebuntur sæculo illo & resurrectione ex mortuis, neq; nubunt, neq; ducunt uxores, neq; enim ultra mori possunt. Aequales enim angelis sunt, & filij sunt dei, cum sint filij resurrectionis.

Quoniā horum interrogatio plus habebat stultitiæ q̄ malitiæ, Iesus non de dignatus est eos docere, dicens: Erratis, inquit, imaginantes talē esse rerum stantiam in futura uita, qualē in hac uidetis. Filij huius sæculi in quo uicissitudo morientiu & nascentiu est, necessario quarunt uxores filijs suis, & filias maritis eloquant,

cant, nec etiam alia ratione propagari potest genus humanum. Proinde matrimonium inter eos non est felicitatis, sed necessitatis. Caterum quibus cōtingit ea felicitas, ut habeantur digni resurrectione iustorum, & illo seculo quod mortalitatem nescit, nec uxores accersent filijs suis, nec filias nuptum dabunt uiris. Quid enim erit opus nuptijs & coitu posteaquā nemo iam moritur? Iam enim desiderunt esse carnales, & huius corporis incōmodis obnoxij, sed recepto iam immortalī corpore non aliter uicturi sunt quā uiuunt angeli. Inter quos ideo non sunt nuptiæ, quia non est moriendi necessitas. Hic qui mortales ex mortalibus nascuntur usu matrimonij, prospiciunt posteritati, Caterum illi iam uirtute spiritus renati factiq; filij dei uiuentis in æternum, non desiderabunt matrimonium, quia nescient mortem, utpotē iam per resurrectionē restituti ad uitam immortalē. Quoniam autem in hoc propositum erat hoc problema à Saducais, ut irriderent resurrectionem mortuorum, quia non credebant animas à morte corporis esse superstitēs, dignatus est dominus & hac de re docere rudem illorum animos ex autoritate scripturæ, quam ipsi non improbabant quidem, sed parum attente legebant.

Quod uero resurgant mortui, & Moyses ostendit secus rubum, *si Exodi. 3. b* autem dominum deum Abrahā, & deum Isaac, & deum Iacob: Deus autem non est mortuorum, sed uiuorū: omnes enim uiuunt ei. Respondentes autem quidam scribarum, dixerunt: Magister, bene dixisti. Et G amplius non audebant eum quicquam interrogare.

Porro mortuos, inquit, posse resurgere nec animas simul interire cum corporibus, ipse etiam nos docet Moyses, cuius autoritatem quum in ceteris agnoscat, hic non debetis reiicere. Siquidem ille literis prodidit, sibi deum hunc in modum locutum fuisse de rubo, quem citra dispendium uiderat flagrantē: Ego sum deus patris tui, deus Abraham, deus Isaac, deus Iacob. Iam Abrahā, Isaac & Iacob sepulti erant: quod si iuxta uestram sententiam totus & irrecuperabiliter perit qui moritur, quomodo deus uocat se deum illorū qui nō sunt? Quum enim deus sit ipse uiuens, imò uita ipsa, non conuenit ut se uocet deum eorum qui iam morte prorsus interierunt: sed non interierunt, quorum potior pars superest uidelicet ea pars qua uiuimus. In ceteris animātibus mors interitus est, est quā harmonia qualitātū corporis, soluta temperatura euanescit. In hominibus mors nihil aliud est quā diuulsio animæ à corpore, sic ut melior nostritur. Id autem in resurrectione restitui uirtute diuina, mirū nobis uideri non debet, quum quotidie uideatis ex arido grano seminis in terram abiecti, atq; inibi putrefacti enasci nouam ac uiuam arborē, quæ latebat in exiguo mortuoq; grano non potestis renouare: deo autem uiuunt omnes, etiam qui mortui sunt, cui in manu est ubi uolet diuulsas animas suis quasq; corporibus restituere. Quū ad hac de re inter pharisæos & scribas cōueniret aduersus sectā Sadducæorū. Sed ut rectior erat in parte pharisæorum & scribarū opinio q̄ Sadducæorum, ita sceleratior erat animus. Minus est enim ibi malitiæ, ubi plus est ruditatis. *Matth. 22. d*
Marc. 12. d
Psal. 109. d

Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt Christū filium esse Dauid,

& ipse Dauid dicit in libro Psalmorum: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum: Dauid ergo dominum illum uocat: & quomodo filius eius est?

Postquam frustra tentatus est à diuersis Iudæorum sectis (nam & pharisæi responderat de maximo præcepto legis) neq; cuiquam quod tentarat successisset, nullus ausus est eum amplius quæstionibus lacerare. Iesus igitur ultro pro uocauit illos simul collectos, quæstione non insidiosa, sed quæ ad illorum salutem pertinebat. Rogauit cuius filium scriptura pronunciar et fore Messiam. Illi non ignari prædictum, quod è stirpe Dauid nasciturus esset, incontinenter responderunt: Dauid. Ad hæc Iesus: Atqui Dauid afflatus cœlesti spiritu sic de Messia loquitur in Psalmis: Dixit dominus, &c. Qui conuenit ut dominum appellet eum quem agnoscit filium? Filius enim minor est patre: ac magis conuenit ut filius patrem honoris gratia dominum appellet quam contra. Hanc quæstionem nemo poterat dissoluere, & id temporis satis erat Iesu per ænigma significasse diuinam naturam, iuxta quam maior erat omnibus patriarchis: nimirum æqualis deo patri, quanquam & secundum humanam naturam præcallebat omnines. Et Dauid memoriam habebant sacrosanctam, eum quem Dauid agnoscebant & filium & dominum aspernabantur, non ex ignoratione legis, sed ex iudicio prauis affectibus excæcato. Huius autem Psalmi expositionem quare suo loco.

Supra 11. f
Matth. 23. 4
Marc. 12. d

Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis: Attendite à scribis qui uolunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & primas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conuiujs, qui deuiorant domos uiduarum, simulantes longam orationem, hi accipient damnationem maiorem.

Horum malitia quoniam erat deplorata nullisq; remedijs sanabilis, restabat ut admoneretur simplex & rudis populi turba, ne horum fucis & aribus circumueniretur, qui cum essent omni religione uacui, tamen summam simulant pietatem, non aliò spectantes quam ad gloriam & quæstum suum, & hac de causa modis omnibus obstrepentes gloriæ dei ac proximorum saluti. Nulli sunt enim hostes capitaliores ueræ pietatis, quam qui simulatione sanctimonie sibi conciliant autoritatē, & hac freti, simplicem populum auocant à uera pietate. Horum histrionum genus duplici potissimum morbo laborat, ambitione, quæ uergit in tyrannidem, & inexplebili auaritia. Hos Iesus depinxit suis discipulis, idq; toto populo audiente, ut uitarentur qui corrigi non possent, & desinerent fallere, qui nolebant resipiscere. Non erat hoc alienæ famæ obrectare, sed simplicium saluti consulere. Cauete uobis, inquit, à scribis, cuiusmodi iam sæpe uideris dolo me adorientes. Profitentur scientiam legis, & aduersus mentem legis pertinacissime pugnant: habent deum in ore, sed aduersantur gloriæ dei: profitentur se curare rem populi, quum sui cōmodi gratia simulent omnia quæ faciunt: fugitant cōsortia peccatorum, et si forte in illorum congressum incidērint, expiant se lotionibus, sed ipsi intus toti madēt tetrionibus uitijs, inanis gloriæ siti, fastu, liuore, sed in primis auaritia, quæ est idolorum cultus. Quonia autem intelligunt populū potissimum cōmoueri rebus uisibilibus, talium rerum prestigijs captant autoritatē apud simplices. Venditāt se nouitate uestis, gaudentes obambulare conspicui magnificis stolis, ad terram usq; demissis, & uultibus ad grauitatē compositis, crebro uersantur in foro & hominum cœnibus, ut illic

illic adorentur & salutentur Rabbini. In synagogis item & cōfessibus ambiunt
 primi honoris sellas, & in conuiujs appetunt in accubitu locū honoratiorem,
 ut magni uideantur apud homines, quū apud deū sint execrabiles. Inanes tan-
 tum, & stulti uideri poterant, si præter popularē auram & salutationum fumos
 nihil ambirent, nihil est illis rapatius. Non exercent usuram, non sunt telonæ,
 sed artes habent illorum arte sceleratiores. Simpliciores uenantur ad prædam,
 captant uiduas beatas, & maritorū præsidio & cōsilio destitutas. Sexus est ido-
 neus fraudi, & pium uidetur adesse destitutis. His itaq; facile imponunt simula-
 tione sanctimonïæ. Plurimū grauitatis præ se ferunt in uultu, honorantur ab
 omnibus, uestitus ipse undiq; clamat sanctimonïã. Addūt prolixas preces, idq;
 in publico. Quid igitur mirum si tot fucis falluntur uiduæ? Ad has posteaquã
 irreperunt, deuorant earum domos, quasq; tueri debebant, expilant: & quod
 erat erogandum in usus pauperū, in suum quæstum conuertunt. Tales id tem-
 poris erant scribæ & pharisæi, qui sine fine repugnabant euangelio. Quanquã
 & hodie sunt, & semper futuri sunt scribæ, qui dum suis student commodis, &
 populi commodis aduersantur, & Iesu gloriæ resistunt, idq; falso prætextu re-
 ligionis, cultu, titulis, prolixis precationibus, uenantes opinione sanctimonïæ
 apud uulgum, qui nondum intelligit quibus in rebus sit uera religio. A discipuli
 admonendiq; sunt simplices, ut ab illorum insidijs caueant. Manet illos sua pœ-
 na grauior quàm eorum qui palàm & simpliciter flagitiosi sunt, hoc minus no-
 xij quod morbum suum præ se ferunt.

CAPVT XXI.

Respiciens autem uidit eos qui mittebant munera sua in gazo-
 phylacium diuites. Vidit autem & quandam uiduam pauper-
 culam, mittentem æra minuta duo. Et dixit: Vere dico uobis,
 quia uidua hæc pauper, plus quàm omnes misit. Nã omnes hi ex abun-
 danti sibi miserunt in munera dei: hæc autem ex eo quod deest illi, om-
 nem uictum suum quem habuit misit.

Quo magis dominus infigeret animis populi, homines non æstimari apud
 deum ex rebus uisibilibus, sed ex animi synceritate, simulq; taxaret scribarum
 & pharisæorum auaritiã, qui hoc per suadebant populo, præsertim autem mur-
 liculis uiduis, sed beatis, summam esse sanctimoniam, si quàm plurimū ex opi-
 bus suis conferrent in corbonam, præteritis interim pauperibus, nonnunquã
 & liberis ac parentibus suis. Quum sederet in templo sustulit oculos ad eum lo-
 cum qui dicitur gazophylacium, in quo donaria seruabantur. Eam pecuniam
 sacerdotibus adeo uolebant haberi sacram, ut cum lex in primis iussisset honora-
 ri parentes, illi docerent deserendum potius patrem, quàm non augendū cor-
 bonam, quum tamē ea pecunia uitio sacerdotum iam magna ex parte uertere-
 tur in luxum ipsorum. Quum autem multi diuites multa misissent in gazophy-
 lacium, & his ueluti pijs a sacerdotibus ac pharisæis applauderetur, accessit &
 uidua quædam paupercula, quæ duos æreos misit nummulos, qui conficiunt
 quadrantem: huic quum nullus hominum applauderet, Iesus tamen huius mur-
 tieris pietatem uoluit esse notam populo, ait enim: Hæc uidua hominum iudi-
 cio uidetur minimum misisse in gazophylacium: at ea dei iudicio plus misit q̄
 illi diuites, qui copiosissime miserunt. Siquidem illi ex eo liberales sunt, quod
 ipsis domi superest: hæc autem studio pietatis ex sua penuria dedit, totaq; sub-

stantiam quam domi habebat misit in gazophylacium. Apud deum igitur qui non spectat rei modum, sed animū, hæc benignius contulit quàm illi. Ita Iesus ubiq; per omnem occasionem auocauit suos à fiducia rerum uisibilem, quibus Iudæi nimium tribuebant, ad studium euangelicæ pietatis, quæ in animi synce-
ris affectibus sita est.

Matth. 24. 4
Marc. 13. 4
Supra 19. 2

B Et quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus & donis ornatū esset, dixit: Hæc quæ uidetis, uenient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur.

Iudæi præcipuā gloriam habebāt in templo Hierosolymitano, quod operosissime constructū, magnificisq; donarijs locupletatū, magna religione uisēbāt, non solū ab omnibus Iudæis, uerū etiam ab alienigenis. Iam autē uenerat tempus quum cessaret illius templi religio cum suis uictimis, ac deo pararetur templum animi spiritu sancto consecratū, in quo illi quotidie immolarentur uictimæ gratissimæ, non pecudū, sed uotorū & gratulationum. Purus enim animus cuiuslibet etiā pauperis, sanctius & magnificentius templū est deo, quàm sumptuosissimum illud templū tot annis extructū. Pudicitia, modestia, charitas, ornamenta sunt longe pretiosiora in oculis dei, quàm illa marmor, ebur, cedrus, aurum, argentū, gemmæ, quibus superbiebant sacerdotes & pharisæi. Quum igitur quidā ostenderent Iesu templi mirabilē structuram, quod lapidibus eximijs magnæq; arte politis & sculptis substructū esset, quodq; splendidis donarijs ornatū, respondit: Parate deo templū spirituale, quod nec uetustas excedat, nec tempestas deiiciat, nec ignis exurat, nec ulla uis hominū demoliatur. Nam hæc omnia quæ nunc miramini, tanquam deo digna, futurum est ut funditus diruantur, adeo, ut nec lapis fiat reliquus lapidi adhærens qui non destruatur. Hoc audientes discipuli, ac uel ex hoc conijcentes imminere regnū coelorum, quod existimabant magna quadam rerum mutatione futurum, auidi cognoscere tempus, inquirunt à domino.

Interrogauerunt autē illū, dicentes: Præceptor, quando hæc erunt, & quod signū cum fieri incipient? Qui dixit: Videte ne seducamini: multi enim uenient in nomine meo, dicentes, quia ego sum, & tempus appropinquauit, nolite ire post eos. Cū autem audieritis prælia & seditiones, nolite terreri. Oportet primum hæc fieri, sed nondum statim finis.

Hæc ipsa quæ narras præceptor de demoliendo tēplo, de subuertendis Hierosolymis, & Iudaicæ gentis uastatione & fine, quo tēpore fient? aut quo signo poterimus cognoscere iam adesse tempus illud? Iesus autē uolens suos semper esse paratos ad omnes malorum occursum, ambiguus satis sermonibus suspēdit illorum animos, cōmiscens multa quoq; de afflictionibus, quas ipsi quoq; discipuli sui essent perpeffuri ob prædicationē euangelij ante subuersionē et miserabilem cladē Iudaicam, & post eam usq; etiā ad consummationē mūdi, cuius tamen finē uoluit omnibus esse ignotū, ut semper parati sint. Discipuli de regno cogitabāt terreno, dominus de cœlesti & sibi proprio, uniuersali, perpetuo, perfecto, ecclesiastico ac uere spirituali, quo regnat in fidelibus & electis sancti, & semper & absq; impedimento; quod regnū cœpit à missione spiritus sancti, & prædicatione euangelij, à cōuersione Iudæorū electorum, & omnium nationū ad Christū. Voluit autē dominus hoc scire suos discipulos, & quod ad illos magis pertinebat, & à quorū cōmemoratione abhorrebat imbecillium animus. Malebant

bant enim audire iucunda quam salutaria. Regnū illud Christi aliquando futurum est, illud quoque uniuersale & beatū cum suis in coelestibus; nostrū autē est interim sic nos gerere, ne regno Christi utroque uideamur indigni. Non autē peruenitur ad regni gloriā nisi per uarias afflictiones; aduersus has oportet armatos esse animos nostros. Ait itaque dominus: Proditurus quidem sum in tempore maiestatis euangelici regni mei, quod pater dabit mihi in cœlo et in terra, sed nō statim apparebit omnibus, sed aliquanto tardius quā uelitis. Interim dum differet, uidete ne seducamini, aliū aliquem Christū & mundi saluatore pro me amplectentes. Multi enim post abitū meū uel ascensum in cœlū, uendicabūt sibi nō meum, ac de se predicabūt, Ego sum Christus, & multos Iudæorū seducent animum, multi surgent, & saluatores se hominū profitebuntur mendaciter & falsiter. Vos discipuli mei uerbis talium nolite commoueri; & si quō uocabunt uos, nolite sequi. Promissis potius meis & euangelicis sermonibus adhærete firmissima fide, credendo me mundi saluatore & Messiam unicum mūdo promissum & præstitum, quicquid uulgus Iudæorū sit crediturum & pertinaciter moliturum contra me & meos. Quum audieritis omnia commisceri in mundo, & maxime apud Iudaicam gentem, in Iudæa & Ierusalem bellis & seditionibus, sic ut multi uaticinentur instare finem mundi, uos huiusmodi rumoribus nolite terri, quasi iam dies uester & supremus instet toti mundo. Euenient grauissima mala quidē, sed non protinus ab illis finis mundi. Erunt hæ calamitates præludia quedam extremi mali, quod super hanc gentem irruet suo tempore, hoc est, post quadraginta annos; quum & typus quidam erit ultimæ calamitatis, quæ sub mundi finem ueniet, quam multæ, uariæ & graues præcedent.

Tunc dicebat illis: Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum, & terræ motus magni erunt per loca, & pestilentia & fames, terroresque, & signa de cœlo magna erunt.

Ut corporis interituri signa sunt ualidi morbi, ex uitiosa temperatura qua litatum exorti, concussionesque membrorum, febres pestilenciales, & similia incommoda: ita urbis huius & gentis Iudaicæ deletionem ultimā, post quam amplius non est gens futura, sed gentium peripsima & feces abominabiles exosæ & oppressæ miserabili seruitute, præcedent horrendi illorum tumultus, caedes, exitia, & mortes. Eorū enim peruersitate concutietur ipsa terra, aer, & regio tota, uelut malitiam ipsorū detestantia, & in scelerū uindictā exurgentia. Magnis tumultibus laborabunt factiones gentium illarū regni unius contra aliud, Romanam contra Iudaicum, & occasione illorū etiam cæteræ gentes bella sentient et tumultus. Pestilentie quoque accedent suo contagio plurimos absumpturæ, ueluti ipso aere armato in uindictam eorum qui Christū dominum crucifixerunt Hierosolymis. Accedet & prouentuū inopia, ueluti terra negante suam alimentam tam impijs aduersus deum & Christum eius: cui muta quoque famulantur elementa. Quoniam & cœlum ipsum prodigia dabit, iram dei testantia. De quibus & uide quæ in Matthæum cap. 24. annotata reperies.

Sed ante hæc omnia, iniicient uobis manus suas, & persequetur tradentes in synagogas & custodias, trahentes ad reges & præsides, propter nomen meū: cōtinget autē uobis in testimoniū. Ponite ergo in cordibus uestris non præmeditari quæadmodū respōdeatis, Ego enim dabo uobis os

& sapientiā, cui nō poterūt resistere & cōtradicare oēs aduersarij uestri.

Quanta passi sint apostoli cum ipsorum discipulis à Iudæis in Ierusalem, in Damasco, in Samaria, & passim in tota Iudæa, quin & in Asia & Græcia, totoq; mundo ante Hierosolymæ & gentis Iudæicæ subuersionem, ad longum tradidit Lucas in Actis apostolicis quæ conscripsit, quomodo tradiderint eos præsidibus, flagellarint, ceperint, lapidarint, occiderint, iudicio statuerint: quàm uero fiducialiter egerint, prædicarint nomē Christi, responderint accusatoribus, & iudicibus, regibus & pontificibus, satis liquet: quomodo testimonium præbuerint resurrectioni Christi, & euangelium propagarint in orbem ferè totum ante captiuitatem Ierusalem & uastationem, notius est quàm ut multis referatur. Per omnia autē similiter tractati sunt apostolorum discipuli à toto mundo, ob prædicationē euangelij & nominis Christi, in quo solo saluandi erāt fideles in Christo. Propter quem & manus iniecerunt gentes in orbe terrarum in prædicatores Christi, pertraxerunt ad tribunalia tanquam maleficos, coniecerunt in carceres propter nomen Christi, quod omnibus modis conabantur abolere. Hoc autem omnium sæculorū sanctis accidit ad probationem fidei & constantiæ, utq; intelligatur merito damnanda malitia impiorum, sicut & Iudæorum, Vos autem, inquit, meo præsidio uestraq; innocentia freti, non est quod metuas, nec quod solícite meditemini apud uosmetipsos, quomodo sitis acturi aut fam homines idiotę apud cōfessum principū: nec est quod rhetorę, patronū aut iureconsultū aduocatū adhibeatis: ego per meum spiritū uobis et uestris in fide successoribus & euangelistis adero patronus & aduocatus inuictus, qui uobis suppedabit & linguā et sapientiā, cui nec resistere poterūt nec cōtradicare oēs aduersarij uestri, quantūuis crudeles, aut disertī humana mundanaq; sapiētia.

Trademini autē à parentibus & fratribus & cognatis & amicis, & morte afficiēt ex uobis, & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, & capillus de capite uestro non peribit. In patientia uestra possidebitis animas uestras.

Patiemini hæc quoq; nō solū ab ignotis & alienis, uerū etiam ab his qui uobis propinqua cognatione arcisq; necessitudinis uinculis iuncti sunt. Pater persequetur filiū, fratres affligent fratrem, cognatus deferet cognatā, amicus in ius uocabit amicū. Erunt autē ex uobis quos odio mei sunt interfecturi, tam atrox odium totus mūdus concipiet in uos ob mei nominis professionem, tam atrox quid in uos audebunt, hoc in meam contumeliam factum accipiā. Quare non est quod uos de uindicando cogitetis, ego lædar, ego occidar in uobis: meū erit & uobis consulere, & illorū ulcisci malitiā. Quantumuis autē desuierint in uos persecutionū humanarū procellæ, nō est quod metuatis uidelicet me protectore. Non enim cōmittā ut uel pilus capitis uestri pereat, tantū abest ut sim uobis defuturus. Nō respicite ad humana præsidia, copias, arma, machinas, sola tolerantia uestra defendetis uitā uestram. Nō potest perire qui ob nominis mei professionem occiditur, Nō peribitis ante diem, nec enim tantū permittā humane uolentiæ. Ille uero uere seruauerit animā suam, qui mea causa constanter mortem oppetierit. Vera patientia est aliena mala æquanimitè perpeti, cōtra eum qui mala irrogat nullo dolore morderi.

Cum autem uideritis circūdari ab exercitu Ierusalē, tunc scitote quia appropinquauit desolatio eius: tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes,

Matth. 24. 6
 Marci. 13. 6
 Dan. 4. 8

tes: & qui in medio eius, discedant: & qui in regionibus, non intrent in
eam, quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quæ scripta sunt.
Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus:

Ciuitas hæc opulenta, qua nunc superbiunt Iudæi, & in qua sibi regnare ui-
dentur, funditus subruet à Gentibus. Quæ igitur uideritis Hierosolymã cingi
obsidione, tunc certò intelligite & indubitata fide scitote illam nõ saluandã, sed
imminere uastationẽ illius propter malitiã Iudaicam in me et meos, neq; quicq;
superesse, nisi ut sibi quisq; quantum potest celeri fuga consulat. Solet enim sibi
quisq; in bellis blandiri spe uictorię: caute ne quẽ hæc spes fallat, sed qui tũ tem-
poris fuerit in Iudæa cõfinijs, subducatur in loca montana & inuia: & qui in
meditullio Iudæa habitauerint, demigrent aliõ: quos uero calamitas hæc depre-
henderit in externis regionibus, ne recipiant sese in Iudæam: habeant omnia
pro derelictis, tantũ uitæ suæ quisq; consulat. Non enim hæc fient tumultibus
fortuitis hominum, sed ultio diuina iamdiu prouocata pertinaci malitiã Iudæo-
rum per alienas nationes poenã sumet de hac natione, iam olim rebellante ad-
uersus deum & salutis suæ authorem. Hæc ita uentura prædixerunt olim pro-
pheta, præcipue Daniel. Necessè est autẽ uenire quicquid prædixit euenturũ
scriptura, quæ non fallit, quippe diuini spiritus afflatu scripta. Nec ideo tamen
incidet hæc calamitas, quia sic forte prædixerint propheta, sed ideo prædictũ
est, quod deus præuiderit hominũ peruicacẽ impietatẽ, quæ diuinã ultionem in
se prouocarent. Erit autẽ ingens malorũ procella, quoniã præcessit diutina per-
tinaxq; malitia gentis huius, quæ tot modis prouocata ad resipiscentiã, semper
in deterius progressã est. Inuoluet autẽ hæc tempestas & noxios & innoxios.
Minus autem infelices erunt quos illa procella malorũ ingruens offenderit ac-
cinctos ad fugam. Væ autẽ grauidis ac mãma lactantibus, quauis onusta sarci-
na, quã deponere nec uolent nec poterunt, non erunt expeditæ ad fugiendum,
nec erit nisi in fuga spes incolumitatis Iudaicæ & Hierosolymitanæ.

erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic. Et cadet
in ore gladij, & captiui ducentur in omnes gentes: & Ierusalem calcabitur
à gentibus, donec impleantur tempora nationum.

Nec erit uulgaris afflictio, sed atrox ultio dei corripiet regionẽ hanc omnẽ,
& populum hunc, tot semper sæculis rebellẽ deo & suis prophetis, & non agno-
scentis tempus uisitationis suæ, sed occidentis Messiam suũ, & illius apostolos
persequentis semper. Subuersis enim eorũ urbibus aut trucidabuntur, aut ca-
ptiui ducentur dispersendi per omnes gentiũ nationes, ut uersis rerũ uicibus, ser-
uiant gentibus, quas hæcenus ut abominabiles execrati sunt: hoc ipsum illorũ
humanitati debituri, quod ullæ supersunt reliquiæ gentis impiæ: quoniam & Hie-
rosolyma hæc & opibus & religionis opinione superba cum suo templo, cuius
structuram sibi promittunt æternam fore, conculcabitur à gentibus, donec ex-
pleta fuerint tempora nationum, quibus deus passurus est Iudæorum nationẽ
premi & affligi à gentibus incircuncisis, donec diutius correcti malis Iudæi tan-
dem resipiscant. Nam id futurum est antequam ueniet supremus dies mundi.
Cum enim secundum Apostolum, plenitudo gentium intrauerit, tunc omnis
Israel saluus erit. Tunc autẽ quid subsequatur sit in mundo, dominus quoq;
ex ordine ponit. Nam & hæc quoque secundum Matthæum apostoli quæ sie-
runt, Non solum tempus euertendi templum & gentem, sed & signum aduen-

tus eius & consummationis sæculi. De quo consequenter.

Matth. 24. c

Marc. 13. c

Isa. 13. b

Ezech. 32. b

Ioel. 3. c

Rom. 8. d

Et erunt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentium præ cōfusione sonitus maris ac fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ superuenient uniuerso orbi: Nam uirtutes cœlorū mouebuntur, & tunc uidebunt filium hominis uenientē in nube cum potestate magna & maiestate. His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita uestra, quoniā appropinquat redemptio uestra.

Huius autē Christi aduentū signa multa portendent anteq̄ ueniat. Erit enim ille dies horribilis, præsertim his qui meum tempus placidū & ultro beneficis inuitans ad mentē meliorē spernunt. Proinde rerum elementa uelut exhorrescent ad huius aduentū. Sol ille fons luminis solitus exhilarare rerum mundiciam subita caligine perturbationū & calamitatū uultum suum obducat. Ne lux nā quidē erit suum lumen mutuum quod uobis impartiat: nemo alterius egerat adiuuandus. Stellæ sanguine rubentes de cœlo descendēt in terras, quæ clarissime lucebant in orbe, ad extremā redigentur calamitatē & angustiam. Item uehemens animorū anxietas & rerum desperatio corripiet omnes gentes, intumescente mari, tristiq̄ fragore resonantibus fluctibus, hoc est, gentiū plurimarum uel omnium mutuo conflictu & odio. Hæc & huiusmodi portenta quæ se proferent undiq̄ ex omni parte mundi declarabunt ingruere terris uisionē dei, eoq̄ mortales extabescant, & exanimabuntur metu & expectatione, quæ mox superuenient uniuerso orbi. Concutietur enim tota rerū natura, nec terra solū & mare commutabuntur, uerum etiam illa solidissima mundi corpora, quæ hactenus ab elementorū mutatione fuerunt immunia, solitaq̄ tantum agere in ea quæ subiecta sunt, nō autem uicissim ab illis affici, cōmouebuntur. Qui nunc aspernati sunt filiū hominis, placidū, mitem ac beneficū, tunc uidebunt eū, sed suo malo uidebunt sublimen uenientē in nube cum ingenti potestate summaq̄ gloria. Porrò cū hæc cœperint fieri, subrigite oculos, & attollite capita uestra ad cœlestem illam ciuitatem Ierusalem, quoniam in propinquo erit regnum dei, in quo nulla iam erit malorum afflictio, sed perpetua tranquillitas & æterna felicitas. Hæc erunt certissima signa iam instantis supremi dicit. Et dixit illis similitudinē: Videte ficulneam & omnes arbores, cum producant iam ex se fructū, scitis quoniā prope est æstas: Ita et uos cum uideritis hæc fieri, scitote quoniam prope est regnum dei. Amen dico uobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cœlum & terra transibunt, uerba autem mea non transibunt.

Rom. 11. d

Adiecit prædictis dominus similitudinē: Exemplum ab arboribus capite, quæ signis certis præmonent homines sequuturi fructus: Videtis enim ficum & reliquas arbores, quum protrudunt gemmas ac frondes, & ex uobis ipsi intelligitis instare æstatem, & incipitis sperare fructus. Ita & uos quum uideritis hæc præludia mundi transformandi, cōcipite certam spem iam iam proferendi regnum dei, nec amplius fore malis ius affligendi bonos: sed impij poenitentia scientur æternis, pijs gaudijs fruuntur perpetuis. Si uideritis euenire quicquid hactenus prædictum est uobis à prophetis & à me, credite haud dubie & hæc uentura quæ nunc prædixi uobis, illud affirmo uobis, non præteribit hæc hominum

minum ætas, priusquã hæc quæ uobis prædixi de subuersione gentis & urbis omnia euenerint. Nihil cœlo ac terra stabilius, sed cœlum & terra citius euanescent quã mea uerba transierint inania. Discimus fructus mûdi ruinam esse. Ad hoc enim crescit mundi status ut cadat: ad hoc germinat ut quæcunq; germinauerit cladibus consumat.

Attendite autem uobis ne forte grauentur corda uestra in crapula & ebrietate, & curis huius uitæ, & superueniat in uos repentina dies illa: tanquã laqueus enim superueniet in omnes, qui sedent super faciẽ omnis terræ. **G** Vigilate itaq; omni tempore orantes, ut digni habeamini surgere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis.

Certi igitur cum sitis uenturũ hoc tẽpus formidabile, præparate uos in aduentũ ipsius, ne uos opprimat oscitantes: id facietis si caueritis ne corda uestra grauentur luxu ac temulentia, reliquisq; sollicitudinibus uitæ præsentis: quin potius ita uiuite quasi mox sit uenturus ille dies, nihil amantes in hoc mundo, sed totis animis intenti ad cœlestia. Sic fiet ut dies ille nos nõ opprimat inexpectatus. Cæteris enim qui sic uiuunt, quasi tempus hoc nunq; sit uenturũ, sic ueniet dies ille quasi laqueus furtim ab insidiante positus, & inuoluet oēs qui non habent animos & oculos sublatos in cœlũ, sed habitent super faciẽ terrę, ubi nõ habemus stabilẽ sedẽ, sed ad illã æternã properamus. Atq; illi quidẽ aliud agentes sese captos sentient priusquã laqueũ præuiderint. Idem ne uobis usuueniat, fugite somnolentiã, nolite indormire uoluptatibus, & curis huius mûdi, sed studeat uobis cogitatio cœlestiũ, perpetuò inuigilate, cõtinenter deprecantes, ut uos deus dignetur habere in numero eorũ qui poterũt effugere hæc tanta rerum pericula, & subsistere ante iudicem ineuitabilem filium hominis, qui ut nunc omnes magna lenitate prouocat ad pœnitentiam, ita tum magna seueritate iudicabit uios & mortuos. Nemo suis fidat præsidijs, nemo hoc feret iudiciũ, nisi præmunus fauore diuino. Sed is non aderit, nisi qui interim summo studio conantur sese præbere dignos eo fauore. Tunc enim implorare clementiam illius seruum fuerit his qui nunc abutuntur illius lenitate.

Erat autem diebus docens in templo, noctibus uero exiens, morabatur in monte qui uocatur oliueti. Et omnis populus manicabat ad eum in templo audire eum.

Quum autem instaret tempus mortis, dominus Iesus exemplo suo docuit discipulos, tum maxime inuigilandum pijs studijs quum imminet dies uitæ & tempus extremũ. Nam quod orbi est dies ille supremus, de quo iam multa prædixerat, hoc unicuiq; est suus obitus dies. Proinde dominus interdũ docebat populum in templo, nõ cessans benefacere his à quibus se nouerat occidendũ: nocte uero demigrabat in montem oliueti, quo magis uacaret precationi, qua continenter patrem pro salute mûdi interpellabat, minimum temporis somno impartiens. Populus autem diluculo surgens (hoc est enim Hebraico more loquendi manicare) uentitabat ad illum in templo ut audiret eum docentem.

CAPVT XXII.

Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur pascha, & quærebant principes sacerdotum & scribæ quomodo Iesum interficerent, timebant uero plebem.

A
 Matth. 26. 6
 Marc. 14. 6

Quo magis populus p̄debat ab ore domini, hoc magis ac magis incitabantur sacerdotes, scribæ & pharisæi coniurati cū primoribus populi, ad occidendum Iesum. Iam autem & tempus appetebat quo decretum erat, & conueniebat immolari uictimam illam pro salute totius generis humani. Delectus enim erat ad hoc consiliū dies apud Iudæos, longe omnium religiosissimus, quem illi uocant azymorum, quod nefas esset Iudæis per eius festi dies uesci panibus fermentatis: atq; dicitur phase siue pascha, quod Hebræis sonat transitum uel pertransitionem, ab agno anniculo, cuius cruore summi postes ædiū illinebantur, ut eas præteriret angelus domini extinctor omnium primogenitorū quorum patres familiās hoc signum non haberent in foribus. Hic dies erat minime commodus sacerdotibus & scribis, qui maluerant mortem illius obscuram esse, ac uulgari nocentium supplicio simillimam. Iesus autē uoluit suam mortem esse celebrem & solennem, ac per omnia ueteris instrumenti figuris & prophetarum oraculis congruere. Hic enim Christus dominus erat agnus ille necius omnis maculæ, non naturaliter & corporaliter agnus, sed deus & homo existens, in mysterio autem & in typo à sæculis sic per dei sapientiam instituto. Cuius agni carne ueri Israelitæ per orbem uniuersum quotidie spiritaliter in fide & memoria sacramentaliter reficiuntur, recreantur, & in conscientijs consolantur ac uiuificant, cuius sacrosancto sanguine emundati subducti sumus ab exilio, liberati à tyrānide peccati, & quotidie longius recedentes ab Aegypto, propter amorem ad cœlestem illam terram, omni genere felicitatis exuberantem, abstrinentes interim à panibus fermentatis, ac conuersantes in simplicitate ac sinceritate spiritus euangelici. Hic igitur dies ad uerum illud sacrificiū delectus est deo, quum non placeret pharisæis. Mortuus est enim ex arbitrio, non Iudæorum, sed suo & patris, quādo uoluit, ubi uoluit, & quomodo uoluit. Nihil enim hic temere casuue gestum est: nihil hactenus potuerat pharisæorū malitia, subinde mortem domino machinantium: quia tamen non deerat praua uoluntas, non est tamen data diuinitus perficiendi quod destinarant facultas. Sic tamen interim illi conserunt ac miscent sua consilia, quasi suis præsidijs possent efficere quod uolebant. Gestiebat enim multis modis irritata pharisæorum ac sacerdotum malitia iniicere manus in dominum, & ad mortem pertrahere, sed obstat populī metus, quem uidebant æditis miraculis ac beneficijs illi conciliantem pendere ab ore ipsius. Vnde periculū erat, ne si coram multitudinis manibus, illi manus iniicere, coorto tumultu per uim eriperetur ex ipsorum manibus, atq; ita conatus in uanum cederet, etiam in posterum sibi prospiciente qui semel fuisset elapsus. Immemores interim erant quod toties ē manibus uesanae multitudinis euasisset incolumis. Offendebat eos & dies parum ad rem gerendam idoneus ob celebritatem & frequentiam populi, sed præter spem aliunde præbita occasio cum impia ipsorum uoluntate coniuncta excussit scrupulum diei festi.

Intrauit autem satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim, & abiit & locutus est cum principibus sacerdotū & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gauisi sunt, & pacti sunt pecuniam illi dare. Et spondit. Et quærebat oportunitatem, ut traderet illum sine turbis.

Satanas qui prius per se Iesum tentauerat, nunc eundem per suū ministrū & organum persequens, occupat cor Iudæ Iscariotæ, qui fuit unus ē duodecim

cum illis electis, quos apostolos nominauerat. Hinc sola pecuniæ cupiditas, quæ contrectarat, huc uesaniæ perpulit ut ultro adiret primarios sacerdotes ac magistratus (habebant enim & sacerdotes armatam manum, sed non in hoc datam) tractans cum illis de prodendo in manus ipsorum domino Iesu: nouerat enim hoc illos agitare. Nullus autem minister ad prodendum Iesum magis idoneus, quam qui illi familiarissimus est, titulo & professione, mentis affectu hostis, Iudas non male sentiebat de domino, nec ab eo fuerat offensus, ut causam haberet cur illi male uellet, sed auaritiæ pestis habebat animum illius. Gausi sunt sacerdotes oblatum huius fabulæ primas ageret partes. Placuit Iudæ consiliū, conuenit de pretio, quod ille sanè mediocre postulauit, ne res non responderet prophetiæ. Illi polliciti sunt pecuniam, hic operam; interea quærebat occasionē, qua quod illi uolebant, traderet illis Iesum, semotum à turba, ne quid à fautoribus oriretur tumultus. Nouerat autem ille Iudas discipulus omnes domini sui & magistri secessus.

Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. Et misit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis pascha, ut manducemus. At illi dixerunt: Vbi uis paremus?

Iam aderat ille dies azymorum Iudæis facerrimus, & de proximo imminēbat, in quo iuxta legis præscriptum oportebat occidi agnum in memoriam Aegyptiacæ redemptionis, quem Iudæi agnum à transitu phase uocant, ut dictum est, qui illius transitus esset rememoratiuum signum & symbolum. Verum autem phase erat dominus Iesus agnus ille purissimus, iuxta patris æternum consilium immolandum pro salute mundi. Iesus igitur quo penitius insurgeret animis suorum mortis suæ memoriā, doceretque se præscium & uolentem hæc omnia perpeti, uoluit in ultima cœna, quam cum suis illis erat acturus, mysticis signis repræsentare hoc apud eos, quod postridie peracturus esset in cruce, mysteriū salutis omnium electorum, non ignarus quā essent sua morte perturbandi. Occupat igitur tempus dum adhuc illorum animi monitorum essent capaces. Hoc negotium dat duobus apostolis, præcipue dilectis, Petro & Ioanni. Ite, in exordium, & finem synagogæ? Quoniam dominus nō habebat proprium aut certum domicilium, quum esset conditor ac dominus uniuersorum, rogant discipuli, ubi nam uellet adornari cœnam paschalem. Erant autem usque ad eos hospites ac peregrini discipuli in ciuitate, ut uix domum aliquam certò cognitam haberent. Tales enim oportet esse ueros Christi discipulos in hoc mundo.

Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus uobis in ciuitatem, occurret uobis homo amphoram aquæ portans, sequimini eum in domū in quam intrat, & dicetis patrifamiliās domus: Dicit tibi magister: Vbi est diuerorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet uobis sicut dixit illis, & parauerunt pascha. Et cum facta esset hora, discubuit, & duodecim apostoli cum eo.

Dominus Iesus ut ostenderet se nihil ignorare eorum quæ mox essent futura, dixit illis: Ecce cum ingressi fueritis ciuitatē, occurret uobis hydriam aquæ plenam batulans, illū sequimini, & dicite patrifamiliās: Præceptor iussit ut suis uerbis tibi diceremus: Vbi est cœnaculum, ubi paschalem agnum comedam

Matth. 25.6

Marc. 14.6

1. Corin. 11.6

cum discipulis meis? Agnoscat præceptoris titulum, sicut domini uocabulum agnouerat uobis soluentibus asinæ pullum, is nihil cunctatus ostendet uobis cœnaculum ingens, iam futuro conuiuio constratum, ibi mihi parate pascha. Ignotus hospes est qui præbet cœnaculū, & aquæ baiulus dux est ad hanc domum in qua Christus celebrat pascha. Per baptismum enim & sacrā mysteriorum Christi doctrinā ingressus est in ecclesiā, purgat aqua uiua sermonis euangelici, purgat & aqua sacramēti. Paterfamiliās non habet nomē, quoniā ubiq; Christi est ecclesia, primum ex obscuris initijs exorta, sed indies latius se diffundens in uniuersum mundum. Quoniā autem principiū omnium salutis fides est, credunt domino, & obtemperant discipuli. Abeunt in ciuitatem, reperiunt baiulum hydriæ, sequuntur præeuntē, referunt patrifamiliās quæ iussi fuerant ille cōmonstrat amplum cœnaculū, quod omnium orbis nationū sit capax. Nam Iudæorum synagoga angusta est; & procul à terrenis esse debent qui uolunt ueteres officio. Quum autem iam esset cœnandi tempus, uenit eò Iesus, & accubuit cum duodecim selectis discipulis, quod cæteri nondum essent capaces tam reuerusi mysterij, quod post per apostolos suos cōmunicari uoluit his qui iam essent euangelij sacramentis initiati.

& ait illis: Desiderio desiderauī hoc pascha manducare uobiscū antequam patiar. Dico enim uobis, quia ex hoc non manducabo illud donec nec impleatur in regno dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite & diuidite inter uos: dico enim uobis quod non bibam de generatione uitis, donec regnum dei ueniat.

Cum ad edendum pascha sese iuxta legis formā & fidelium consuetudinem adaptassent, quod hic dicitur accumbere, uel post agnum esum iuxta ceremonias legis stando, & in modū accinctorum ad iter manducassent pascha, hoc est, agnū designantem, & in memoriā reuocantē priscū illud pascha uel agniculum oblatum ab omnibus filijs Israel dum exituri essent Aegyptū, discubuerunt ad residuum illius cœnæ legalis, apposito cibo & potu. Dominus Iesus quoque pernitius insingeret animis suorū, se nulla necessitate, sed amore redimentigenus humanū passurū crucis supplicij, ait illis: Ingenti desiderio desiderauī, ut hunc agnum paschalem uobiscum comederem ante meam mortem, cuius tempus adesse gaudeo, quia sitio salutem hominum. Hoc enim affirmo uobis, posthac perfectius pascha, iuxta spiritū & ueritatē perficietur in regno dei. Hic agnus qui quotannis maectatur solenniter à Iudæis, typum habuit maectationis & mortis meæ. Nunc adest ueritas, & umbra cessabit, posthac spirituale & efficax ad uiuificandas fidelium animas pascha mihi celebrabit, in cuius rei figura defecit manna, pronosticum signum cœlestis cibi sanctorū qui sum ego, sicut & uita, postquam comederunt filij Israel de frugibus promissæ terræ. Cuius spiritualis cibi participatio, quæ posthac signum erit fidelibus rememoratiuū, eos reddet immortales & felices. Vbi uero singuli apostoli gustassent, & suam quicquid pertinebat ad ueteris paschæ cœnam, gratias pro more egit patri, & libaro potationē edissent de carnibus agni, dominus Iesus accepto poculo, quod & ipsum rectoq; calice, dixit discipulis: Capite & diuidite hoc inter uos. Illud affirmo uobis, posthac non bibam de fructu uitis de huiusmodi uino, iuxta carnis necessitatem, sed tūc primum quum aderit regnum dei, hoc est, post resurrectionem, quando

quando conuersatus est cum discipulis, cumq; eis comedit & bibit, testificans se uere resurrexisse à mortuis gloriosum & impassibilem, iam accepto regno et potestate uniuersa in caelo & in terra.

Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro uobis datur, hoc facite in meam cōmemorationē.

Sub hac dominus Iesus mystico symbolo fidelibus suis cōsecraturus nouū testamentum, post solennia ueteris paschæ transit ad nouū, quod in sua redemptionis memoriā ecclesiam frequentare desiderat. Accipiens ipsum panē, haud dubie azymum quo utebantur ad agni paschalis cœnam legalem, gratias egit tanq; pro cibo sumendo pro suo more: non dicit eundē panē uel transmurasse, uel transsubstantiasse, uel annihilasse, quæ additamenta sunt uerbo dei & humanae curiositatis præsumptæ locutiones & ineptæ sacrosanctis Christi mysterijs, quæ & ab apostolis nec credita sunt neq; prædicata. In particulas Christus fregit panē, ex quibus singuli singulas suas portiunculas caperēt, domino dante & porrigente eis, & dicente: Hoc est corpus meū, quod pro uobis datur, hoc facite in meam cōmemorationem. Hoc quidē corpus meū iam occidetur semel, & uictima erit unica pro peccatis omnīū sæculorū, sed uos uobis huius meæ erga uos charitatis memoriā frequenter renouabitis, facientes inter uos quod nunc à me uidetis fieri. Erit enim hoc sacrosanctum signum fœderis inter uos inīti, ut nuncq; memoriā excidat uobis beneficium redemptionis uestræ, qua redempti estis non auro & argento, sed uictima & occisione huius corporis mei, quod ego pro uobis trado crucifigendum, & ad mortē usq; frangendū, significanum agno Mosaico & legali, quod similiter edebatur in paschate. Simplex is intellectus uidetur, & non ignotus nec parū intelligibilis, uel insuetus discipulis, non imperitis in lege, quæ huiusmodi formulis loquendi repleta est, ut non ipsam Christi reale & substantiale, quod ipsis uisibiliter assidebat, aliquo inuisibili modo substantialiter & miraculose cum pane, uel intra panē, comedere se debere intellexissent. Sed de his alij & alibi nimīū multa scripta sunt, dum tam difficili fidei articulus, à nouis scholasticis theologis obrudi tentatur ecclesiæ dei, præter auctoritatem scripturæ, et contra rationis dictamen cum stupendis miraculis omnem humanū cogitatū excedentibus, sine aliqua uel utilitate uel probabilitate, cum maximo scādalo omnīū, quos externos à Christo sana ac catholica doctrina ad Christū trahere deberemus, & nihil docēdo proponere, nisi quod claris scripturæ canonicæ testimonijs ostendere luculenter & cōprobare possemus. Panē esse corpus Christi nemo negat, sicut nec uinū sanguinē in cœna dominica. Addere autē corporaliter, substantialiter, uel aliud tale, probari non potest, ideo doceri nō debet. Hic Lucas addit cōmemorabiliter, quod nos intelligimus cum sanctis sacramentaliter, & in sacro mysterio atq; symbolice, uel significatiue. Vide quæ in Matthæū et Marcū eadē latius diximus, uerissimiora illis quæ scholastici hactenus cū alijs sunt cōmenti, quia lōge simpliciora.

Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro uobis fundetur.

Peracta cœna mystica, noui testamenti sacramētis instituta, ad analogiam ueteris, sumpsit Christus & poculū, ac porrigens illis, simili instituto et forma loquendi dixit: Hoc est quod nunc instituo nouum testamentum, non uituli aut hirci, sed meo sanguine consecratum, qui pro uobis seruandis & redimendis est

funditur. Habetis summum argumentum ac pignus meae erga uos charitatis. Testamentum quoque nouum, quod per me pater pangit cum fidelibus, ut sint filij patris caelestis, reconciliati semel per meum sanguinem effundendum in cruce. Ut sit bibere ex hoc calice nihil aliud quam commemorare testamentum Christi, quod in sanguine eius confirmatum est; sicut & chirographum peccatorum nostrorum dicitur in crucem suffixum. Pro uobis autem fundetur dicitur, sicut & traditur, non ut pro solis apostolis significetur corpus Christi datum, aut sanguinem eius effusum, sed pro toto humano genere sufficienter quidem, fructuose autem pro credentibus & electis.

Matth. 26. b

Marc. 14. b

Ioan. 13. c

Psalm. 40. c

Veruntamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. Et quidem filius hominis secundum quod definitum est uadit: ueruntamen uae homini illi per quem tradetur. Et ipsi coeperunt quaerere inter se, quis esset ex eis qui hoc facturus esset.

Deberet quidem amor mutuus uigere uester ad me, ut ego ex maxima charitate me totum superimpendam in mortem pro uestra salute, sed tamen est hic uobiscum in mensa hac qui me proditurus est his qui me quaerunt ad mortem. Nec ista fiunt fortuito, sic definitum est consilio diuino, sic praedictum est a prophetis ut hoc ordine filius hominis redimeret genus humanum. Seruit ille quidem publicae salutis, sed quoniam hoc animo impio facit, cedit in exitum ipsius, quod alijs adferret salutem. Non illum dei decretum pertrahit ad impium facinus, sed sua praua cupiditate eodem ducitur. Ea uox Iesu domini uehementer perturbauit omnium animos, ac coeperunt inter sese quaerere, quisnam esset ille de quo Iesus esset autus. Nemo sibi male conscius erat praeter unum Iudam Iscariotem, nemo tamen autus est sibi fidere. Non prodidit tamen Iesus proditorem suum, sed frequenter illius conscientiam pupugit, ut resipisceret. Et sciebat futurum ut ille nihilominus in sua dementia perseveraret. Nos interim docens, ut erga peccatores summa lenitate utamur, quibus certum esse non potest an aliquando redituri sint ad se.

Matth. 20. e

Marc. 10. f

Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum uideretur esse maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, beneficii uocantur. Vos autem non sic: Sed qui maior est in uobis, fiat sicut iunior: & qui praecessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat: nonne qui recubabit? Ego autem in medio uestrum sum sicut qui ministrat:

Quoniam autem dominus in coena meminerat de regno dei, rursus incidit inter discipulos adhuc infirmos & carnem ex parte sapientes contentio, quis a morte domini primatum haberet in regno dei. Nam in porrigendo pane & poculo uisus est omnes aequasse, dicens: Diuidite inter uos. Non dixerat Petro: Tu a me accipe quod ceteris tradas. Iesus autem quantum & alias reuocarat illos ab hoc affectu, nunc moriturus repetit & inculcat, dicens: Nolite tale quippiam imaginari in regno caelorum, quale uidetis in regnis mundi. Longe aliud regni ingenus est, quod beneficijs constat, non uis: spiritualibus praesidijs obtinetur ac defenditur, non uolentia: persuasione dilatatur, non necessitate. Siquidem principes huius mundi dominantur in eos in quos habent magistratum, non enim persuadent ut ament honesta, sed metu suppliciorum deterrent a maleficijs, & honorem a suis exigunt, etiam si non promereantur: imo quo propius accedunt ad tyrannidem, hoc plus honoris exigunt a suis. Et interim magnificis

titulis honorantur à populo. Vocantur principes, patres patriæ, seruatores, consules, quod potestate sua premant inferiores. Tale quiddam est regnum gentium, Inter uos autem quos formo instituoque ad regnum euangelicum, longe diuersa erit ratio. Quo quisque maior erit inter suos, hoc minus sibi uendicabit uolentiam, potestatis aut gloriæ. Nec enim huc spectabit, ut suis dotibus, quas accepit à deo, premet inferiores, sed prosit ac subleuet; nec sibi uendicabit laudem, sed deo totam transcribet. Non quod non sit in hoc regno futurus ordo, sed is qui delectus est ad primatum aliquem ut alius dux sit & magister ad pietatem, adeo seruiet omnium comodis, ut uideatur esse minister potius quam princeps. Favor enim non ambiet, sed promeretur animus ad benefaciendum omnibus promptissimus, auctoritatem tuebitur uitæ integritas, non supercilium aut fastus. Ne pigeat autem uos inter uos eam præstare modestiam, quam ego uobis præstiti, qui meo iure poteram mihi dominatum uendicare. Nam illud cogitate, uter maior uideatur, qui ministrat, an qui accumbit: nonne qui accumbit? Non quod reuera maior sit quisque accumbit, imò qui conuiuio accipit alios hoc ipso maior est quod bene meretur de multis. Et tamen ciuilitatis gratia, ceteris quos uocatus accumbentibus, ille obambulat, sollicitus ne cui quid desit in conuiuio, & uoluptati prospicit. Nonne ego me talè gessi inter uos? Nonne sic uerfatus sum inter uos, quasi minister essem omnium uestrum, de meo ministrans, & unus pro omnibus sollicitus? Quanto magis oportet uos abesse ab omni tyrannide & ambitione, qui conditione pares estis, qui de meo ministratis, qui communem habetis dominum? Accepistis sacrosanctum illud symbolum euangelicæ charitatis & concordia, qua charitate uos complexus sum, ea uos inuicem complectamini. Non potest autem constare concordia ubi regnat ambitio. Interim, pmerendus est honor, non uendicandus. Principes enim huius mundi ut recte administrent munus suum, tamen quoniam honorem exiungunt à suis, nihil habituri sunt apud deum præmij. Vos autem de præmio securi, tantum de officio cogitetis: meum erit de dignitate prospicere.

uos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono uobis sicut disposuit mihi pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensem meam in regno meo, & sedeat super thronos iudicantes duodecim tribus Israel.

Si fueritis imitatores humilitatis meæ, eritis & gloriæ consortes: si fueritis afflictionum socij, eritis & immortalitatis. Et hætenus mecum permansistis in afflictionibus meis, quibus pater cælestis uoluit exploratam ac spectatam esse meam obedientiam. Non uos humilitas, non paupertas, non labores uitæ, non obreftationes hominum, non pharisaorum insidia, non potentium minæ distraherunt à meo contubernio, quum alij defecerint, alij non sint ausi profiteri se meos discipulos. Quod si perstiteritis in hoc animo, nec uos piguerit interimitari meam humilitatem, quo magis profitis omnibus, ego uicissim efficiam, ut olim sitis participes gloriæ regni mei. Pater enim hanc uoluit esse uiam ad regnum cæleste, eam uobis apperui hætenus, & aperiam morte mea. Per humilitatem ille me prouehet ad regni gloriam, per afflictiones temporarias ad æterna gaudia. Quemadmodum autem mihi regnum est paratum à patre, quod hic interim iuxta uoluntatem ipsius ministrum ago, non dominum, & ego pro uectus ad regni dignitatem, uobis mea uestigia sectantibus parabo regni consortium, ut qui hic non quæstistis honorem, sed gessistis uos ut omnium ministri.

stros, sedulo dispenfantes doctrinam euangelicam in regno meo, nō iam uelut ministri, sed uelut honorabiles filij dei accūbatis ad mensam meam, ut qui nūc mea causa pro contemptissimis habemini inter Iudæos, tunc uelut primores se deatis super duodecim thronos, iudicantes duodecim tribus Israel. Tunc enim apparebit illorum humilitas, qui nunc uidētur rerum apicem tenere, & uestra sublimitas, qui nunc uidemini reiectamenta mundi. Hæc figurate locutus est dominus Iesus, sermonem suum ad ruditatem suorum discipulorum attemperans, quam ideo diu passus est in illis residere, partim ut in nobis efficacius eximeret humanos affectus, quibus tum discipuli erāt obnoxij: partim ut nos aliam nam imbecillitatem magna lenitate toleremus, donec proficiāt ad perfectiora.

Ait autē dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetiuit uos ut cribraret sicut triticum, ego autem rogauī pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.

Restabat ut animos suorum aduersus imminentem tempestatem armarer, ac sui fiduciam eximeret. Nullos enim citius deijcit afflictionū procella, quam qui suis fidunt uiribus. Sed qui suis, hoc est humanis præsidij diffisi, toti pendunt à præsidio cœlesti, hi demum firmi sunt aduersus omnes huius mundi uitæ multus. Itaq; sermonem uertit ad Petrum, ut per hunc institueret & castigaret omnes. Sciebat enim hunc esse ceteris promptioris animi, sibiq; plurimum fidere pio quidem affectu, sed humano. Nōdum enim acceperat illius totius uitæ largitorem spiritum sanctum. Ait igitur: Simon, Simon, ecce satanas expetiuit uos studio, ut uentilet uos, cribretq; ueluti triticum, dissipaturus sum. Et facturus erat, si uestræ imbecillitati fuissetis relictī. Sed ego deprecatus sum patrem pro te Petre, ut quamuis uacillatura sit fides tua, non deficiat tamen. Hoc exemplum in te placuit edere, qui tibi plurimum fidis, quo tu post lapsum reuersus ad te, tuo exemplo confirmes fratres tuos, eadem imbecillitate lapsos, ut intelligant omnes neminem suis uiribus parem esse posse aduersus satanæ malitiam, nisi meo præsidio fulciatur.

Matth. 16. 6

Marci. 14. 6

Qui dixit ei: Domine, tecū paratus sum & in carcerem & in mortem ire. Et ille dixit: Dico tibi Petre, nō cantabit hodie gallus, donec ter abneget nosse me.

His auditis Petrus adhuc suis fidens uiribus, respondet: Domine quam defectionem, aut quam cōuersionem mihi narras? Imò senties me constantem & inuictum in fide. Et quemadmodum hactenus non deserui te, ita nec posthac unquam sum deserturus, adeo ut paratus sim tecum extremū adire periculum capitis, siue eundem sit in carcerem siue in mortem. Hanc uocē à pio quidem ac simplici profectā animo, sed nondum sibi satis noto, dominus ilico repressit huiusmodi responso: Quid ais Petre? Tu mecum in carcerem & mortem ibis? Imò aliud prædico tibi: Futurum est enim ut ter me abneget, et abiures te nosse me hac nocte, priusquam gallus cantet bis: tanta erit afflictionis procella.

D Et dixit eis: Quando misi uos sine sacculo, & pera, & calciamentis, nūquid aliquid defuit uobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum tollat, similiter & peram: & qui nō habet, uendat tunicam suam, & emat gladium. Dico enim uobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est, Etenim ea quæ sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce

Isa. 53. 8

ecce gladij duo hic. At ille dixit eis: Satis est.

Posteaquam illis exemerat sui fiduciam, rursus inculcat quod saepe docuerat, ne se comeatu praeunirent aduersus necessitatem, aut humanis praesidijs armarent aduersus malorum uiolentiam: quod oporteat caelestis euangelij ministrum esse liberum a sordidis huius uitae curis, nec alijs armis instructum esse aduersus omnes impiorum assultus, quam gladio spiritus, qui est sermo diuinus. Quum mitterem, inquit, uos ad praedicandum inter Iudaeos instare reatum dei, adeo nullo comeatu instructos, ut nec oculos haberetis reponendae pecuniae, nec peram recondendo cibo, neque calciamenta tuendis pedibus, numqua res defuit uobis? Responderunt: Nihil. Tum Iesus, ut prorsus refelleret ex animo illorum omnem uindictae cupiditatem, fallit eos ad tempus obscuritate sermonis, sed in hoc patitur errare, quo certius & efficacius eximat omnem affectum ulciscendi. Sciebat enim illos accedendos ad defendendi studiū, quum uiderent tanto tumultu dominum suum, quem uehementissime, sed tamen huiusmano affectu, diligebant, ab armatis satellitibus inuadi. Quem nisi castigasset euidenter, existimassemus nobis licere aduersus impiorum uiolentiam armis uerius impios & sceleratos pro innocentissimo domino strinxerit ferrum, quae autem dominus: Ad primam euangelij praedicationem iuistis expediri, nulloquebis, quum nulla grauis immineret procella, posthac ad duriora parandus est animus. Etenim quo seuerior erit persecutionis procella, eo oportet uos a terrenis impedimentis expeditiores esse. Nunc bellum ingens imminet, & gladio opus est, quare si quis forte loculum habet aut peram, tollat ut emat gladium. Quod si haec defunt quae possunt abijci, & quibus caruistis absque incommodo, uendat tunicam suam & emat gladium. Ad hoc bellum oportet ualde expediatum uenire, nec alia re instructum quam gladio. Res ad extrema ueniet, non solum enim mihi iniicient manus uiolentas, uerumetiam oportet perfici quod de me futurum praedixit olim Isaias: Et cum iniquis deputatus est. Si graue est occidi, quanto grauius intet facinorosos infami supplicio affici? Et hoc quoque manet filium hominis. Iam enim instat tempus, ut quicquid de me praedictum est a prophetis, perficiatur. Hunc sermonem cum non intelligerent apostoli, suspicarenturque dominum admonuisse, ut gladium haberent paratum ad depellendam uim imminentem, simpliciter responderunt: Domine, ecce adsunt iam duo gladij. Existimantes omnino opus esse gladijs, sed illud tantum uerentes, di pro domino, quem sciebant de suo posse supplere, si quid deesset ipsorum praesidijs: quemadmodum ante quinque panes & duos pisces auxerat, ut sufficerent multis hominum millibus. In hoc tam crasso affectu Iesus id temporis reliquit etiam tolerantiam. Respondit itaque: Satis est. Hoc illi sic dictum accipiebant quasi duobus gladijs, quos tum habebant paratos, possit sustineri prima pugna, quum Christus sentiret de spirituali pugna aduersum mundum & fatanam, in qua uictoria contingit ex animo ab omnibus terrenis cupiditatibus expediatu, soloque gladio doctrinae caelestis armato. Ea constat ueteris & noui testamenti scriptura irrefragabili, ut duos possis intelligere gladios, sed ab eodem spiritu porrectos.

Matth. 26. 6
 Mar. 14. 6
 Ioh. 19. 4
 Matth. 26. 8
 Mar. 14. 8

Et egressus ibat secundum consuetudinem in montē oliuarum. Secuti sunt autem illum & discipuli. Et cum peruenisset ad locum, dixit illis: **Orate ne intretis in tentationem.**

Quoniam uero milites inituri pugnam, solent aduersus instantē cum hoste conflictū reficere corpora, & excitare animos. Dominus uolens ostendere suis quid illos maxime roboraret aduersus tales cōgressus imminentes, egressus est Hierosolymam, atq; ex more suo concessit in montē oliueti, comitantibus eum discipulis suis. Quū autē peruentū esset ad secessum, in quo solitus erat orare, dixit illis: Quo subsistere possitis aduersus tempestatē imminentem, uigilate & orate, ne si uos oppresserit oscitantes et otiosos illaqueet uos incautos et superet.

Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis, & positus genibus orabat, dicens: **Pater, si uis transfer calicem istum à me: Veruntamen non mea uoluntas, sed tua fiat.**

Subtraxit se dominus à discipulis fermè ad iactū lapidis, solus oraturus pro omnibus, quemadmodū unus pro omnibus passurus erat. Verū ut illius mors non profuit otiosis, ita nec precatio ualere debet, nisi his qui pro se quoq; oramus, flexis in terram genibus orabat patrem, dicens: Pater, si sic est uoluntas tua, transfer hoc poculum à me. Sentio naturam quam assumpsi abhorrentem à morte, sed uincat hic hominū salus. Idēq; fiat quod tua uoluntas immutabilis decreuit, non quod huius corporis suadet imbecillitas. Nouerat dominus quid uellet pater, & cupiebat ipse bibere poculum mortis pro salute mundi, sed in se transfudit affectum sui corporis, ac suis precandī formam præscribere studuit. Siquidem hæc precatio pulchre congrueret martyri sub tempus carnificinæ. Fiat tua uoluntas non mea, siue me uiuere uis siue mori. Hanc autē naturæ tepidationem Christus in se suscepit, ut à suis eximeret. Duas autem naturas habens Christus, habuit & secundum eas naturales uoluntates, diuinā & humanam. Voluisset humana natura uiuere, id enim naturale est. Deinde sequēs diuinā uoluntatē, quæ uolebat ut oēs homines saluarentur, et erat cōmunis patri & filio & spiritui sancto, mortē suscepit, ut sic fieret unū uolūtū mors salutaris. **E** Apparuit autem illi angelus de cœlo, confortans eum. Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.

Ut nos doceret tum cœlitus nobis affore auxiliū à domino, postquā nos totos diuinæ uoluntati tradiderimus, siue ad uitam siue ad mortem, apparuit illi de cœlis angelus corroborans eum. Ut nobis perturbatus est ob mortē imminētē, ita nobis corroboratus est per angelū. Post hæc corripuit illum uehementis quidā angor, qui ferè solet accidere iam mortē animo cōtuentibus. Solet autem hic affectus esse nonnunq; ipsa morte grauior. Nec hunc cruciatū Iesus nostra causa dedignatus est accipere, qui crucem nostra causa non recusauit. Nos interim docens, ad quæ præsidia confugiendum sit, quoties cruciatū Iesus stram imbecillitatem ceperit. Prostratus enim in terram uehementius orabat. Hinc nimirum pendet tota spes uictoriæ nostræ. Porrò ut nos effemus in supplicijs firmiores, tantus angor corripuit Christum, ut toto corpore uehementius sime sudaret, ueluti sanguineum sudorē defluentem in terram stillando. Theophilactus putat parcemiam esse: sicut in his qui ualde laborant, ita ut sanguine sudent; sicut & in his qui amarè flent, dicimus quod sanguinē flent. Hoc igitur uolens

uolens manifestare Euangelista, quod non tenuibus quibusdam indicijs, sed fluentem fortiter sudorem stillauerit & collegerit secum riuos sanguinis.

Et cum surrexisset ab oratione, & uenisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia. Et ait illis: Quid dormitis? surgite, orate ne intretis in tentationem.

Ut se exerit dominus à deprecatione, rediit ad discipulos suos, & reperit illos dormientes præ mœstitudine. Nō erat illa crapula, sed imbecillitas naturæ, grauis animi mœror somnū adduxerat. Sed cū hac infirmitate pugnandū est, uigore spiritus, qui uelit in tali conflictu uictor euadere. Obiurgat itaq; Iesus suos, & excitat rursus ad orandū. Cur, inquit, nunc in tanto periculo dormitis? surgite & orate, ne uos oscitantes obruat ingruens tēpestas, iā enim instat tēpus.

Adhuc eo loquēte, ecce turba, & qui uocabatur Iudas, unus de duodecim, antecedebat eos, & appropinquauit Iesu, ut oscularetur eum. Iesus autem dixit illi: Iuda, osculo filium hominis tradis?

Nondum ad discipulos sermonē Christus finierat, iam apparuit turba sceleratorum militū, quos sacerdotes & pharisæi sceleratiores miserant ad capiendū Iesum, Iudas autē ille, modo Christi sectator & conuiuia qui fuerat, nunc dux impiæ manus, antecedebat illos ex interuallo, sed prius illis dato symbolo (solet hoc in bellis fieri) ut cui dedisset osculū, hunc scirent esse Iesum. Vbi uero propius adisset Iesum, iam osculū ex more porrecturus, dominus pro sua mansuetudine nec proditoris recusauit osculū, sed rursus illius pupugit conscientiam, ut uel tanta dominī lenitate motus, resipisceret. Iuda, inquit, osculo filiū hominis prodis? Intelligebat Iudas se non latere, nouerat innocētiā dominī, toties inaudita mansuetudine prouocatur ad mutanda consilia, uel lapis emolliri poterat, nisi totū illius pectus iam satanas avaritiæ morbo occupasset. At Iudæ quidē impietas, ipsi quidē uni exitium attulit. Cæterū qui nunc simili dolo ueritatē euangelicā prodūt principibus huius mundi, grauiorē perniciem adferūt, & maiore supplicio digni sunt q̄ Iudas infelix, sero facti pœnitēs, de se exegit.

Videntes autem hi qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? Et percussit unus ex illis seruum principis sacerdotum, & amputauit auriculam eius dextram. Respondens autem Iesus, ait: Sinite usq; huc. Et cum tetigisset auriculam eius, sanauit eum.

Post datum osculum accurrit turba militum, ut manus iniicerent in Iesum, qui non in aliud uolebant Iesum agnoscere, nisi ut caperent. Felices autem illi qui ideo cognoscere student sermonem euangelicum ut Iesum imitentur. Porro cæteri discipuli conspicientes uim parari domino, amore suppeditante audaciam, aiunt domino: Domine, an uis ut feriamus gladio? Meminerant quo de gladio emendo dixerat, sed quoniam in eo perpetuam mansuetudinē uiderāt, dubitabant an passurus esset eos uti gladijs. Cæterum Petrus qui cæteris uehementius amabat, quiq; præ cæteris fortia pollicitus fuerat, non expectato domini responso, gladio petijt quendā ē ministris primarij sacerdotis, qui primus tentabat manū iniicere Iesu, uidelicet dominī sui sæuitiā referens: sed moderante Iesu domini mansuetudine, tantū dextram illius auriculam amputauit. Felices sunt, quibus amputatur auricula, quæ hactenus auscultauit impijs sacerdotibus, ac legi carnali, & restituta à Christo, iam auscultat ijs quæ faciunt ad salutē

Matth. 26. e

Mar. 14. e

Ioan. 18. 4

æternam. Infame uulnus erat magis quàm periculosum, sed tamen insanabile, quod chartilago semel defecta non coeat rursus. Iesus autem cui nullū uulnus sanabile non est, obiurgato discipulo, quod cōtra mansuetudinem euangelicā, sed ueteris adhuc legis memor, gladio pugnare cœpisset, restituit Maleho suam auriculam, sic, ut nullum uulneris uestigium appareret. Minimum enim peccabant milites & serui, quorum stultitia sacerdotum, pharisæorum & scribarum malitiæ seruebat. In hos potius sãuiendum erat, nisi sic uisum esset deo, uictoriam euangelicam in tolerantia sitam esse.

Dixit autem Iesus ad eos qui uenerant ad se, principes sacerdotum & magistratus templi & seniores: Quasi ad latronē existis cum gladijs & fustibus? cum quotidie uobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me, sed hæc est hora uestra, & potestas tenebrarum. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum.

Matthæ. 26. f
Marc. 14. f
Ioan. 18. e

Dominus Iesus ut declararet sese uolentem omnia pati, conuersus ad eos, quos impij sacerdotes & scribæ miserāt, ait illis: Quid accidit quod nunc armati gladijs & fustibus, egressi noctu ciuitatem huc accurritis ueluti latronē, uictoriam ac repugnantē expugnaturi? quum quotidie fuerim apud uos in templo, expositus omnibus inermis, nemo manus iniicit in me. Certe eadem erat uobis tunc uoluntas quæ nunc est, sed obstitit uobis eius uoluntas, cui nemo potest resistere. Nondum enim uenerat tempus quo pati decreueram: sed hoc est tempus uestrum, tempus nocturnum, & hæc est potestas tenebrarum: sed hoc permittitur. His dictis dominus Iesus nihil reluctans, præbuit se uinciendum princeps, totius populi Iudaici pessima pars. In huius atrium conuenerat cōcilium sacerdotum, scribarum, pharisæorum, primorum populi, reliquaq; multitudo, quæ uel metu uel affectu uel errore hominum malitiæ seruebat.

Petrus uero sequebatur eum à longe. Accenso autem igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cum uidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: Et hic cum illo erat. At ille negauit eum, dicens: Mulier non noui illum. Et post pusillum alius uidens eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus uero ait: O homo, non sum. Et interuallo facto, quasi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens: Vere & hic cum illo erat: nam & Galilæus es. Et ait Petrus: Homo, nescio quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente cantauit gallus.

Matth. 26. g
Marc. 14. g
Ioan. 18. e

Interim discipuli metu perculsi alius aliò diffugerant, Petrus autem parum feliciter tentata pugna, nondum tamen deposita tota spe salutis, è longinquo sequebatur Iesum. Ausus est etiã per tenebras ingredi pontificis atrium, ac famulorum turbæ misceri ignotus. Quum autem in medio atrij essent accessi carabones ob frigus nocturnum, inter cōsidentes ministros assidebat admixtus Petrus, cumq; illis sese calefaciebat ad prunas. Quem cum uidisset ancilla quædam ita sedentem ut facies esset obnoxia lumini, fixius intuita agnouit eum. Utq; se declararet domini sui similitudinem, statim exclamauit cæteris audientibus, Et hic erat cum illo, qui captus est. Non hoc actū est fortuito, sed ita placuit diuinæ dispensationi, quo magis retunderetur Petri fiducia, qui prius tam magnifice pollicentus domino se uel in mortem cum illo iturum, nunc ad muliercule uocem abnegauit.

gavit dominum. Petrus enim territus hac uoce mulieris, abiecte respondit: Mulier, non noui illum. Sic primum elapsus est Petrus, sed mox recurrit periculū. Quidam enim ē famulis rursus noscitate coepit, & ait illi: Et tu de numero illorum es, quorum ducem cepimus. Rursus Petrus ad hanc uocem exanimatus, ait: Homo, non sum, adiuuans se non nosse Iesum. Rursus elapsus est periurio. Nec interim uenit in mentem, quid prædixisset illi dominus, & quid illi promississet ipse. Interea Iesus examinabatur ab impio concilio, & alapa cædebatur contra morem iudiciorum; eminus spectante Petro quem exitum res esset habitura. Sed post horæ ferme spacium alius quidā ē famulis cognatus eius cui præciderat auriculam, intuitus Petrus agnouit illū, & ait: Profecto & hic erat cum Iesu in horto. Negante Petro, adiecit: Verum esse quod dico uel ipsius lingua declarat, est enim Galilæus. Ibi Petrus totus expauesactus, coepit abiurare ac deuouere seipsum, si uel intelligeret de quo Iesu, aut de quo horto, aut de quibus Galilæis loqueret. Adeo sibi exciderat ille futurus ecclesiæ primas Petrus. Interea dum negat, dum abiurat, dum execratur, dum se deuouet Petrus, cantauit Gallus interim, quod signum illi dederat dominus: ac ne sic quidem rediit ad sese.

Et conuersus dominus, respexit Petrū. Et recordatus est Petrus uerbi domini, sicut dixerat: Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus fleuit amare.

Non erat futurus errandi finis, nisi dominus per medios impios uertisset oculos ad Petrum, & intuitus illum fuisset. Petrus tactus aspectu domini sui, recordatus est sermonis, quem paulo ante dixerat dominus: Priusquam hac nocte cantet gallus bis, ter me negabis. Subitoq; tactus dolore uehementi, subduxit se foras, & fleuit amare. Quod fecit Petrus, idem erant facturi ceteri discipuli, si similis incidisset necessitas. Sed in uno Petro Iesus docere uoluit oēs, ne quis sibi fidat, ne quis malorum se admisceat consortio. Nox erat, refrixerat cum eo charitas, ad impiorum ignem sese calefaciebat, sedebat admixtus impijs in domo Caiphæ pontificis, ipse pontifex futurus, sed illi multum dissimilis. Illic que scelera non perpetrantur: illic per sacerdotes, pharisæos, scribas & seniores potur, cœditur, uelatur, illuditur, & accusatur: illic peierat & execratur Petrus, quemadmodum Iudas, sed animi consternatione. Nō enim illuc uenerat ut abnegaret, sed ut expectaret exitum iudicij, nondum satis firmus ad commoriendum Christo: necdum enim uenerat tempus. Quotquot igitur prolapsi sunt in graue crimen orant dominum Iesum, ut dignetur oculos suos flectere ad se, & protinus agnoscent unde quò reciderint, subducant sese à sceleratorum consortio, & lachrymis mutatum animum testantibus, culpam abluant.

Et uiri qui tenebant illū, illudebant ei cædentes. Et uelauerunt eum, & percutiebant faciē eius, & interrogauerūt eum, dicentes: Prophetiza quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum.

Interea nox illa tota transacta est ludibrijs in Iesum. Siquidem hi qui ceperant Iesum illudebant ei, conuitijs addentes uerbera. Quoniā autem audierant quod populus illum ueneraretur ut prophetam, obuelatis illius oculis impegerunt alapas in faciē eius, dicentes: Diuina quis te percusserit. Multisq; alijs ludibrijs & conuitijs impia turba debacchatur in omnis gloriæ fontem, ne quis

nostrum indigne ferat, si propter euangelicum sermonem contumelijs incessatur, si malis affligitur ab his qui prophanorum pontificum, qui fucatorum pharisaeorum, qui stultorum principum animo seruiunt.

Matth. 27. 4

Marc. 15. 4

Ioan. 18. 6

Et ut factus est dies, conuenerunt seniores plebis & principes sacerdotum & scribae, & duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis: Si uobis dixero, non credetis mihi: si autem interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis sedens a dextris uirtutis dei.

Ut mane diluxit, iam legitimi concilij formam exhibituri frequentes conueniunt primores sacerdotum, scribae & principes populi, & accitum in concilium suum, Iesum percitantur, uenantes aliquid ex illius dictis quod in eo criminentur. In iudicio crimen quaeritur, ac destinata morte post circumspiciunt quo titulo mortis causa possit intendi. Aiunt itaque: Si tu es ille Christus, quem iuxta prophetarum oracula expectamus in haec tempora, dic nobis. Iesus autem sciens illos sciscitari, non ut discerent ueritatem, sed ut uenentur calumniam, respondit illis: Si dixero uobis qui sim, non credetis mihi; quod si uos percontantur in me, non respondebitis mihi ex animo, qui nec discere cupitis quod uerum est, nec docere. Nec ideo absoluetis me si declararo meam innocentiam. Non enim hoc agitis interrogando quod in legitimis iudicijs fieri consuevit, ut cognita ueritate uel absoluatis innoxium, uel damnetis nocentem, sed ut quod facere decreuistis, iustitiae titulo facere uideamini. Non dicam igitur quod scientes scire non uultis, sed illud dicam quod uerum esse comperietis, Filius hominis qui nunc ob infirmitatem carnis & humilitatem a uobis elatis non agnoscitur, posthac erit sublimis & gloriosus in terra & in caelis, affidens dexter maiestati diuinae. Haec ideo dixit Iesus, ut quoniam humilem Christum, per quem seruari poterant, occidere quam amplecti maluerunt, scirent sese conspecturos iudicem & ultorem impietatis suae, quem seruatore promissum & expectatum tot saeculis agnoscere noluerunt.

Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum. At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audiuius de ore eius.

Ea uox Christi domini ad Iudaeos uisa est omnibus idonea anfa calumniam dei, si modo profiteretur aperte sese filium dei. Aiunt igitur: Tunc igitur es filius dei, de quo ut de uero Messia omnes homines excellenti & angelos meminerunt prophetarum uaticinia; Iesus ad haec ita responsum temperat, ut neque negaret se esse quod erat, nec illis ansam calumniandi porrigat, ut neque rogantiae speciem. Siquidem dominus ubique maluit factis declarare naturam diuinam quam uerbis profiteri. Itaque respondit: Vos dicitis esse me. Modeste subindicans totidem uerbis affirmari posse, quod ueluti dubium interrogabant, si quis tantum pronuntiationem mutet. At illi iudicantes hanc esse satis idoneam causam, cur illum accusarent de blasphemia, quo nullum crimen apud Iudaeos capitalius, dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi audiuius ex ore eius manifestam blasphemiam. In hanc sententiam facile pedibus discessum est ab omnibus, qui quocumque titulo decreuerant occidere dominum Iesum quem odiebant.

HT surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum regem esse.

Reperta, ut ipsis uisum est, causa satis idonea, supererat ut inuidiam quoque mortis à se transferrent in alios. Visum est itaque præfidi Pilato reum obtrudere, ut non à Iudæis, sed à Gentibus occisus uideretur. Consurgit itaque concilium & adducunt Iesum ad Pilatum Iudææ præsidem. Is enim illic nomine Cæsaris & magistratum gerebat, quum ipse Iudæus non esset. Hic primum Iudæorum natio Messiam suum ad ipsos missum tradit Gentibus, & à sese ablegat. Gentes sibi commendatum amplectuntur & adorant. Iam præiudicio damnatus erat dominus in concilio Iudæorum, apud quos quamlibet leuis pretextus sufficiebat, nimirum magna uesania mortem innocentis sitientes. Apud tribunal profana & iudicis quoniam plus erat æquitatis, opus erat subornatis testibus, qui multum autem accusationis hoc erat: Hunc deprehēdimus subuertentem gentem nostram, eo quod uetuit tributa pendere Cæsari, seque predicauit esse Messiam regem. Hæc duo crimina sibi uidebantur pulchre cōmenti, quæ maxime commouent præsidem, eo quod utrumque pertineret ad læsam Cæsaris maiestatem. Sic oppugnant ueritatem euangelicam impudentissimi mēdaciōrum artifices. Quid enim his mendacijs impudētius? Iesus responderat, ostenso numismate: Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris, & deo quæ sunt dei. Regnum à Iudæis decessisset Iesum fugit, Messiam se esse factis ipsis declarauit. Proinde etiam si prædicatum non competere quæ de Messia prophetæ dixerant, uel regnū Messiaë temporale esse, & præiudicare Romano, Victoriæ autem spes erat in multitudine coniurata, & in iudice (ut ipsi putabant) impio.

Pilatus autem interrogabat eum, dicens: Tu es rex Iudæorum? At ille respondens, ait: Tu dicis. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum & turbas: Nihil inuenio causæ in hoc homine. At illi inualescebant, dicentes: Commouit populum, docens per uniuersam Iudæam, incipiens à Galilæa usque huc.

Pilatus quanquam idololatra, tamen multo æquior Iudæorū sacerdotibus, prius crimen de non pendendo Cæsari tributo dissimulat, uel quia sensit esse commentitium, uel quia nouum non erat hoc disputari apud Iudæos, quum tota pharisaorum secta sentiret populum deo peculiarem non oportere pendere censum Gentibus, de regno percontatur Iesum, in quo nullam regni speciem uidebat: solus erat, cultus, facies, totusque corporis habitus modestiam ac simplicitatem præ se ferebat. Itaque præses auditis accusatoribus, seorsum interrogauit Iesum, an rex esset Iudæorum. Iesus autē respōdit: Tu dicis. Sic enim ubique temperauit dominus responsa sua, ut innocentiam probaret suam, nec daret operam tamen ut elaberetur à iudicio qui mori decreuerat. Rex erat Iudæorum, hoc negare non debuit, sed aliud regni genus erat, quod sibi patrieque uendicabat: iuxta diuinam naturam rex erat omnium, de qua nihil suspicabatur Pilatus.

De regno euangelico non intelligebat homo legis & prophetarum ignarus, nisi quod audierat à Iudæis expectari Messiam regem, nescio quem, cui rumori non multum tribuebat homo minime superstitiosus. Quanquam itaq; non intelligebat Iesu responsum, tamē non ignarus malitiæ Iudaicæ, & ex ipso uultu collecta Iesu modestia prodiit ad pontifices Iudæorū, & ad conglomeratā multitudinem, Examinaui, inquit, hominē de criminibus obiectis, nihil in eo criminis inuenio. At illi sibi conscij quod argumentis uincere non poterant, clamorem intendunt, crimina criminibus, mendacia mendacijs connectentes. Imò et seditiosus est, inquit, cōmouet populū sua doctrina per uniuersam Iudæam, exorsus à Galilæa ad hanc usq; ciuitatē. Hoc nimirū est peculiare crimen euangelicæ ueritatis, Cōmouet populū, & seditionē mouet, impijs aduersus inuisam ueritatē insurgentibus. Verū non hic tumultus imputandus est euangelij præconibus, sed hominū insanabili malitiæ, qui ueritatē salutiferam obrui malunt quàm morbum animi deponere, uel male audire à uere sapientibus. Nec enim aliter doctrina euangelica turbat populum, quàm pharmacū concutit corpus, nisi enim fiat cōcussio, totū intereat necesse est. Hoc crimen quū leuiter moueret Pilatū, uidebat enim rem omnē geri à cōiuratis primoribus, & quibusdam e populo horū malitiæ subseruientibus, studet & reum & accusatores ad alterius cognitionē reijcere, ut si nō possit Iesum liberare, ipse saltem à causa liberetur.

Pilatū autem audiens Galilæam, interrogauit si homo Galilæus esset. Et ut cognouit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui & ipse Hierosolymis erat illis diebus.

Arripuit Pilatus ansam ex una uocula Galilææ, cuius regionis tetrarcha erat Herodes, & percontatus est an Iesus esset Galilæus. Responsum est, esse, quod uulgo crederet esse Nazarenus, nam illic nutritus fuerat & uersatus. Ut intellexit igitur Pilatus cognitionē de reo pertinere ad Herodē, reiecit eum ad Herodem, qui tum temporis forte erat Hierosolymis. Quamq; hæc quoq; gesta sunt dispensatione diuini cōsilij, ut ab omnibus tribunalibus dominus Iesus refferet testimoniū innocentiae suæ, magisq; traduceret pontificū, scribarū & primorū illius Iudaicæ gentis malitiā. Herodes quoq; erat religione Iudæus, cuius pater circūcidi se fecerat, quanquam Idumæus esset, & legis ceremonias faciles spōte obseruabat, unde et in ea solēnitate paschali aderat iuxta legis præscriptū.

B Herodes autē uiso Iesu gauisus est ualde: erat enim cupiens ex multo tempore uidere eum, eo quod audiret multa de eo, & sperabat signū aliquod uidere ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat.

Herodes ubi uidit adduci Iesum gauisus est eo spectaculo: iam enim ex multo tempore habebat hominē cupiditas quædā & libido uidendi Iesum, de quo tam multa audierat. Iamq; sperabat fore, ut se quoq; spectate, miraculū aliquod egeret, qualia didicerat ab eo per multa gesta. Percontabatur autē Iesum uarijs de rebus, cupiens aliquid ab illo plicere, non ut redderet melior, sed ut suæ curiositati morē gereret. Nec enim alia sciscitabatur à Iesu, q̄ quæ sciscitaturus erat à Mago quopiam. Iesus autem qui non in hoc uenerat ut impij principis libidini seruiret, sed ut salutem omnium procuraret, nihil illi respondet. Nos interim docens, aliquando non promendum sermonem euangelicum, ubi constat in dignos esse qui audiant.

Stabant autē principes sacerdotum & scribæ constanter accusantes eum.

eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illius induitum ueste alba, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes & Pilatus in ipsa die: nam antea inimici erant ad inuicem.

Urgent interim pontifices & scribe, & acriter accusant eum apud Herodē, miserē metuentes ne qua reus elaberetur. Herodes autem tamen rex esset impius, tamen nihil cōmotus est illorū criminationibus: nimirū intelligens ab inuidia proficisci quod agebat, sed satis habens contemnere, à quo contemptus fuisset, ludibrii gratia Iesum indutū ueste alba (nam id regū erat & Cæsarū) remisit ad Pilatū. Hanc ignomiā tulit dominus Iesus rex regū à crasso rege, et ilius armato satellitio, quo cingebat, ne non haberent similes labra lactucas. Si quidem apud hoc hominū genus citius gloriā referat funambulus quispiā aut præstigiator, quā ueritatis euangelicæ syncerus prædicator. Aut enim delectari uolunt, aut ea discere quæ faciunt ad ipsorum tyrannidem. Sed tamen interim Herodis ciuilitas damnabat pontificum & scribarum impietatem, & reum ab soluebat, quem accusatum & obmutescens ad obiecta crimina non damnauit. Gratum interim erat quod Pilatus hoc honoris habuerit sibi, ut uidendi Iesu fecerit copiam. Itaque ex eo die cōiit amicitia inter Herodem & Pilatū, quum antehac inter eos fuisset simultas. Impia uero pax est quam conglutinat iniuria ueritatis euangelicæ.

Pilatus autem cōuocatis principibus sacerdotum & magistratibus & plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominē, quasi auertentem populū, & ecce ego coram uobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis: Sed neque Herodes, nam remisit uos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatū ergo illum dimittam.

Vbi uidet Pilatus remitti reum, nec successisse quod fuerat conatus, ex iracundia cepit esse patronus Iesu, conuocatisque primoribus & populo, qui illos conuocabatur, sic locutus est ad eos: Obtulistis mihi hunc hominē uelut auertentē populū uestrum ab obedientia Cæsaris, ac legū uestrarū, & ego uobis presentibus uarijs interrogationibus sum ab eo conatus expiscari, uerū nec reperio illi ulli horū criminū obnoxium de quibus accusatis eum; idem accidit Herodes qui me certius poterat his de rebus iudicare, peritus legū uestrarū: nam hac de causa reieci cognitionē ad illius tribunal: qui si cōperisset illum nocentem, non passus fuisset elabi. Nunc quoniā cōperit nullam in eo culpam esse capitalem, leui pœna contentus, illius tantū homini, nimirū absoluens à capitis periculo. Proinde præstat imitari & nos Herodis æquitatē, pœna quapiam non capitali castigatū dimittam hominē. Hoc agebat præses sperans fore ut conspecto Iesu tot ludibrijs ac flagris affecto, mitesceret eorum furor. Mollior Pilatus erat, & pro ueritate non constans iudex constitutus: timebat autē calumniā, ne accusaretur quod rebellem absoluisset.

Neceffe autem habebat dimittere eis per diem festum unum. Exclamauit autem simul uniuersa turba, dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam, qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate & homicidium, missus in carcerem.

Quū nec hac uia profecisset Pilatus, sed magis irritaretur Iudæorū infania, reperit aliud cōmentum absoluendi Iesum. Erat apud Iudæos solenne, ut ad fe

Matth. 27. c

Mar. 15. b

Ioan. 18. g. 19. c

C

sti diei reuerentiã ac religionẽ condonaret Iudæis aliquem e nocentibus, quem ipsi flagitassent. Itaq; præses præueniens illorũ flagitationẽ, proposuit illis utrũ e duobus sibi uellent condonari diei festi gratia, Iesum an Barrabã: is enim erat insignis & facinoribus nobilis latro, qui seditione mota in ciuitate trucidarat quendam e ciuibus, ob id coniectus erat in carcerem. In hunc præses quoniam sciebat esse publicũ ciuitatis odiũ, sperabat fore ut citius paterentur hostem. Sed sum de multis benemeritum, quã hominẽ publicẽ tranquillitatis hostem. Sed tanta erat pontificum & his adhærẽtium insania, ut postularent sibi cõdonari Barrabam, Iesum autem in crucẽ tolli: quod mortis genus ut erat grauissimum ob diutinum cruciatum, ita habebatur & ignominiosissimum. Adeo nihil crudelitatis omissum est a Iudæis. Sic uisum est consilio diuino, ut Iesus omnis gloriæ fons & author ad hũc ueniret contemptum ut seditione homicida posthabetur, ne nos desponderemus animum, si quando ob Christi nomen ac doctrinam spernamur ab his qui diligunt hunc mundum.

Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, uolens dimittere Iesum. At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in deo: corripiam ergo illum & dimittam. At illi instabãt uocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur, & inualescebant uoces eorum. Et Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum.

Utruidit Pilatus nec hac ratione quicq; profici, rursus aggressus est illos tentans, si quo modo uerbis posset illorũ animos mitigare, ac Iesum innocẽtem liberare. Illi rursus irritatiores facti canunt furiosam illam cantionẽ, Crucifige, crucifige eum. Ac nec sic quidem Pilatus cessit illorum clamoribus, sed tertio conatus est illos compescere, dicens: Iudex sum, aduersus innocentes nullum habeo ius, non possum infligere mortem, in quo non inuenio causam criminis quod sit morte dignum. Quid autem admisit iste morte dignũ? Exquisiui, nec ullum in eo crimen inuenio morte plectendum. Si quid est offensæ leuitoris, dabitur hoc animis uestris, corripiam illum & dimittam. Sed aduersus hanc iudicis æquitatem illi pertinaciter instabant, non probationibus sed insanis uociferationibus, flagitantes ut dimisso Barraba, crucifigeretur Iesus. Quumq; tentatis omnibus præses uideret magis ac magis inualescere clamorem illorum, postulata aqua, ac iterum testificatus innocentiam Iesu, damnataq; Iudæorũ pertinaci malitia, pronunciat mortis sententiam aduersus Iesum, non ex suo animo, sed ex Iudæorum arbitrio, qui uitæ & salutis authorem efflagitabant ad necem, & Barrabam seditionis homicidam condonauit illis, quem domino Iesu prætulerant, Iesum autem tradidit illis, ut exæquerentur in eum quæ uellent.

Dimisit autem illis eum, qui propter homicidiũ & seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant, Iesum uero tradidit uolũtati eorum. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quendam Cyrenensem uenientem de uilla, & imposuerunt illi crucem portare post Iesum.

Posteaquã omne ludibrii genus in eum exercuissent, ad saturandũ odium suum, rursus indutum suis uestibus, quo magis agnosceretur a populo, educunt ad supplicij locum, baiulantem crucem suam ex more. Inter eundem forte obuium habuerunt Simonem quẽdam Cyrenensem, uenientem e uilla sua, huic

Matth. 27. d
Marci. 15. b

huic uolenti nolenti imposuerunt domini crucē, ut Iesū præcedente baiularet post ipsum, non ut parcerent Iesū, sed ut celerius absoluerēt quod agebant. Vengenda, quæ Iesū crucē amplexa est, & illius uestigijs ingressa. Insinuatur non parua admonitio hoc loco. Crux enim est mortificatio affectionū, ita ut moueri nequeat & operari. Nā qui crucifigitur clauis affigitur, & operari nequit. Vnde doctor secundū Christū debet prior ipse crucē tollere, & clauis cōfigere carnes suas, ut fulgeat timore dei, & careat importunitate affectionum, deinde eā etiam auditoribus imponere. Simon enim obedientia interpretatur. Impletur autem & hoc loco Isaia dicitur: Cuius principatus super humerum eius, nempe crux domini. Humiliauit semetipsum usq; ad mortē, mortē autem crucis; ideo & deus exaltauit eū, &c. Quia ergo crux fuit sublimitas eius & gloria, merito principatus eius dicitur, quia principalis eius dignitas et symbolū est principatus.

Sequebatur autē illū multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabātur eum. Cōuersus autē ad illas Iesus, dixit: Filiae Ierusalem, nolite flere super me, sed super uosipsas flete, et super filios uestros: quoniam ecce uenient dies in quibus dicent: Beatæ steriles & uentres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus, operite nos. Quia si in uiridi ligno hæc faciunt in arido quid fiet?

Comitabatur Iesum numerosa multitudo populi & mulierū, quæ sacerdotibus & scribis gaudentibus plangebant ac lamentabant de morte innocētis. Nichil enim aliud poterant humiles et imbelles aduersus coniuratā magnatū impietate. Iesus autē qui suam mortē non lugubrē, sed gloriosam esse uoluit, nec eam deplorari uoluit, sed adorari, magnificari, & admirari, cum gratiarū actione, ut quæ sponte pro salute totius mundi suscipiebat à Christo: compescuit illam in decorā lamentationē, quanq; ab affectu pio pficiscentem. Filia, inquit, Ierusalem, nolite deflere me, sed uestrā ipsorum ac filiorū uestrorū uicem deflete. Nō enim deflenda est mors innocentis, sed illorū exitium deplorandum est, qui pro æternis. Imminet enim huic regioni tam miserāda calamitas, ut homines appellaturū sint eas mulieres beatas, quæ non genuerūt, et felices uteros qui nullū foetum adiderunt, feliciāq; ubera quæ nunq; lactauerunt. Grauius enim cruciatur materna pietas in malis liberorū q̄ proprijs. Nunc exultant tanq; re bene gesta, sed tunc cum uenerit illa dies ultionis diuinæ, tanta formido malorū ingruentū corripiet animos illorū, ut montibus dicituri sint: Obruite nos: & collibus: Operite nos. Etenim si in uiridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Hoc enigmata dominus Iesus testabatur summā innocentia suā, quod solus esset hominū nulla uitiō aut cupiditatum carie uitiatus, sed omni uirtutū genere totus florens ac ppetuō germinans. Quod si illorū malitia tale exemplū adidit, in hominē unde quaq; inculpatū, quale exemplum ædi conuenit in eos qui prauis cupiditatibus undiq; corrupti, non potuerunt ad ullam bonam frugē adduci.

Ducebantur autem & alij duo nequā cum eo, ut interficerentur. Et postquā uenerunt in locum qui uocatur caluariæ, ibi crucifixerūt eum, & latrones, unum à dextris, & alterum à sinistris.

Hac pompa Iesus princeps & rex noster ad suū triumphū processit. Ducebantur simul secū & alij duo facinorosi pariter cum eo damnati, sed non eadem

Isaia 54. d
Galat. 4. d
Isaia 2. d
Osee 10. b
Apo. 9. b

E

Matth. 27. d
Marc. 15. b
Ioan. 19. d

causa. Procuratū est & hoc à Iudæis, quo magis infamē redderent Iesum apud multitudinē, quod tali sodalitiō esset adiunctus. Delectus est & locus nocentiū supplicij infamis ac funestus, cui nomē ex re Gulgatha, quod hominū illic latro forum cranij & ossibus albicaret. Hic igitur crucifixus est Iesus, inter duos latrones medius, ueluti socius criminis, qui socius esset supplicij. Sed quicquid Iudæorum malitia potuit excogitare in ignominiam domini Iesu, id ille uertit in gloriam suam, nostramq; salutem. Etenim qui innocens sponte se deiecit ad seruandos homines, hoc plus meretur gloria, & apud deū & apud homines, quo semet ad maiorem ignominiam submiserit. Sic uisum est diuinæ sapientiæ, quo uel tam insigni exemplo nostrā frangeret superbiam, qui pro malefactis etiam laudem expetimus ab hominibus.

Iesus autē dicebat: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.

Dominus Iesus iā sublimis, & in eam speculā sublati, unde esset omnia reuocaturus ad se, uolens summæ tolerantia perfectissimū exemplū adere, quum innocens, quū tot modis bene meritus, tot malis, tot ignominij, tot ludibrijs esset affectus: quū in cruce quoq; pendentē, quæ miserabiliores facere solet etiam homicidas, amarulentis cōuitijs incesserent, quæ perferre grauius esset hominī quàm perpeti mortē: adeo non ulciscit, adeo non regerit conuitia, ut patre oret pro his à quibus indigna patiebat. Pater, inquit, ignosce illis, nesciūt enim quid faciūt. Hæc nimirū erat illa sancta precatio nostri pontificis in ara crucis, agnū paschalem semel pro totius mundi salute immolantis. Nec fuit inefficax deprecatio. Multi enim ex his qui per errorē adegerunt dominū ad crucē, cognita ueritate per apostolorū prædicationē professi sunt postea nomē crucifixi. Quamq; & pharisæorū malitia non caruit omnino errore, sed qui nō liberet eos à crimine. Poterant enim errore carere, nisi prauæ cupiditates quibus seruebant obstetissent. Sed erant inter hos quoq; qui hoc animo dominū persequebantur, quo Paulus persequebat ecclesiā dei. Hic si cōsideres summā illam Iesu innocentia, summā in oēs beneficentiā, summam animi dotes, quibus erat incomparabilis: rursum ex aduerso contēplare odiū, conuitia, probra, dolos, insidias, criminatioes, ignominias, cruciatus, mortis genus, quo illū Iudæorū impietas affecit: & audias eum in ipsa cruce, in medijs cōuitijs obsecrantē patre, ne ulciscatur, sed ignoscat tanti sceleris authoribus: nonne uehemēter impudens uidebitur, quū se Christi discipulū profiteatur, peccator in peccatorē uindictā moliat, quamuis etiā graui lacessitus iniuriā? Quantū autē degenerat ab hoc exemplo Christi, qui ob leue conuitiū ferrū stringunt uel stilum in uiscera proximi & famam, totas urbes, tota regna funestis bellis cōcutiunt, totasq; nationes ad matuam sanguinis effusionē cogūt? Nos uero ne dimoueamus oculos nostros ab hoc exemplo, & imitemur regē nostrū in cruce debellantē omnem potestatem tyranni satanæ, deuincēntem uniuersam huius mundi potentia, triumphantē de omnibus potestatibus, quæ sese erigunt aduersus euangelicā ueritatē, quā non oportet aliter uincere, aliter triumphare, quàm sub uexillis sui principis. Contemplemur pontificē nostrū efficaci sacrificio expiantem peccata totius mundi, omnium nationū & sæculorū pœnam dependentē pro omnibus, modo nos syncera fide complectamur, quæ ille gratis offert, nostram agnoscentes iniustitiam, & illius ineffabilem erga nos bonitatem exosculantes. Quod temet auertis peccator infelix? dominus clamat, Pater ignosce illis: & tu desperans tui, uel laqueū patris ut Iudas, uel crimina exaggeras criminibus? Non est quod posthac metuas satanæ potentiam. Vicit, & tibi uicit Christus; inuitat ē sublimi ligno, nationibus

bus omnibus cōspicius. Ipsa tria crucis cornua procul inuitant Asiam, & Europam, & Africam ad aeternæ salutis consortium.

Diuidentes uero uestimenta eius, miserunt fortes.

Pendebat nudus in cruce dominus Iesus, ne quid haberet huius mundi qui cœleste peragebat sacrificium. Ipsa re docens quam oporteat episcopos euangelicos affectus habere puros ab omnium rerum terrenarum cupiditate. Interea milites qui crucifixerunt eum, quasi reuicturus non esset, missis sortibus, partiti sunt inter sese uestes domini. Nam hoc erat ueluti præmium scelerati ministerij. Hoc sui spoliū dominus uoluit esse apud milites, apud nos qui nomen illius profitemur nihil esse uoluit sui carnale, ut iam eum spiritu diligamus. Sic & hodie uestes illius apud nos sunt, quemadmodum nobis quotidie pendet in cruce, cibus est & potus animarum nostrarum, in quo uiuimus per spiritum, & proficimus sanctitate. Siquidem omnia illius nostra sunt, sed iuxta spiritum.

Matth. 27. d

Mar. 15. b

Ioan. 19. d

Et stabat populus expectans, & deridebāt illum principes cum eis, illudiebant autem ei & milites, accedentes & acetum offerentes ei, & dicentes: Si tu es rex Iudæorum, saluum te fac.

Ad hunc igitur modū pendentem Iesum ueluti uictum & omni spe destitutum, scōmatis incessunt sacerdotes, scribæ, pharisæi, & populi primores, unā eū fer subuenisse multis, nunc sibi non posset esse præsidio. Alios, inquiunt, seruauit, sit nunc sibi seruator, si modo hic est ille Christus, quem se iactauit esse, si stabant in eum primores audiente populo, qui solebat admirari Christi miracula, quo animos illius alienaret ab eo. Quin & in totum autoritatem illi abrogant, uelut ex ipsa re conuincentes, eum nec esse Messiam, nec filiū dei, quem esse se professus fuerat, si non descenderet de cruce. At non in descensu sed in perseverantia sita erat mundi salus. Ea plus ualuit apud Iesum, quam principum conuictia. Milites uero crassum hominum genus, & Iudaicæ religionis uel in Iudæos, prouocati nimirum exemplo principum Iudaicæ gentis. Et admodum uentis illi acetū, per ludibrium dicebant: Si tu es rex Iudæorum, expedi potentissimam, & eripe te ab isto periculo. Iesus autē inter hæc omnia præbuit absolutissimum mansuetudinis exemplar, obticescens ad omnia improborū cōuictia.

Erat autem & superscriptio scripta super eum literis Græcis, Hebraicis & Latinis: Hic est rex Iudæorum.

Erat autē & titulus additus summæ cruci, sup uerticē eius, literis linguarum præcipuarū, quo magis ab oībus nationibus legi posset: Hic est rex Iudæorū. Id tē potētia dei ordinauit & sapiētia. Regnat enī Christus iste Nazarenus in oēs nationes, quæ agnouerunt dei gratiā, in ipso & per ipsum effusam in oēs gētes, ut nō sit in aliquo salus, præterq̄ in unico Christo rege uniuersorū, in cuius fœmore scriptū est, Rex regū, & Dñs dominantū. Vnde & cōsecratiores linguæ ista habent, ppter crucē, quā dei dispensationē ornauerūt ad Christi gloriam.

Vnus autē de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluū fac teipsum & nos. Respondens autē alter, increpabat eum, dicens: Neq̄ tu times deū, qui in eadē damnatione es.

Et nos quidē iuste, nā digna factis recipimus, hic uero nihil mali gessit.
 Et dicebat ad Iesum: Domine, memento mei cū ueneris in regnū tuum.
 Et dixit illi Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

Alter quoq; ex maleficis qui pendeat ad latus Iesu ē cruce iaciebat cōuitia in eū, dicens: Si tu es ille Christus mūdi seruator serua te ipsum simul & nos. Ceterum alter latronū considerata tam admirabili Iesu mansuetudine increpabat sceleris & supplicij sociū, dicens: Tu si morituro nō uereris homines certe deū metuere debes qui morituro insultas, præsertim cum sis illi supplicij socius, uel hoc solū debebat te à conuitijs cohibere, etiā si socius esset criminis. Nunc alia est illius alia nostra cōditio: Nos pro malefactis pœnas damus, ille innoxius moritur. Bis autē inhumanū est, & morituro iam maledicere & innocētī, proq; occidētibus deprecāti. Hoc testimoniū Iesu reddidit in cruce latro, ut unde quaq; testata esset illius innocētia. Moxq; cōuersus ad Iesum latro, dixit: Domine memento, &c. Mira fides latronis, qui cū uideret pendentē ac morientem in cruce morituro & ipse salutē uelut à rege petit, Iesus autē qui mutus erat ac surdus ad omnia conuitia, non est surdus ac mutus cū fiducia postulanti. Illud, inquit, confirmo tibi, hodie mecum futurus es in paradiso, nimirum requiem animarum & felicitatem non dormitionem nudam promittens, idq; mox à peracto supplicio sine alio quocūq; purgatorio Christi sanguine redēptus & saluatus. Quam felix est semper adiungi Iesu, qui nusquam non seruat si modo, adsit fides euangelica & oratio deuota.

Erat autē ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt in uniuersam terram usq; in horā nonā. Et obscuratus est sol, et uelū tēpli scissum est mediū.

Iam erat hora diei ab exortu solis ferè sexta circiter meridiem. Ab hac hora qua maxime solet feruere sol tenebræ subito obortæ sunt diuina ac miraculosa potentia per totā illā regionē Iudaicā usq; ad horā nonā. Sol enim detestans tantam hominū impietatem obduxit faciem suam eo morituro qui lux erat totius mundi. Terra quoq; concussa est, saxa dissilierunt nulla naturæ parte non inhorrescente ad tā immane facinus, quin & uelū tēpli quod separabat sanctum a sancto à reliqua parte templi nullo mouente dissectum est in duas partes, palam declarans iam cessaturas Iudæorum umbras & ceremonias posteaq; peractum est hoc sacrificiū, quod unū sufficiebat ad emundationē omnium sæculorū.

Et clamans uoce magna Iesus, ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expirauit.

Cum ingenti clamore dominus efflauit animam, ut omnibus palam esset illum non defecisse quemadmodū alij solēt paulatim exhausto corporis uigore, sed mox à ualido clamore ac uerbis articulate pronūciatis, ueluti sponte uitam deposuit. Potestatem enim habuit ponendi animam suam, & iterum resumendi pro suo uoto. Vnde & centurionis uox, & alia miracula fidei fuerūt argumenta. Non enim sicut cōmunis homo, sed cum magna potestate mortuus est. Hæc autem uoce ultima assequutæ sunt animæ nostræ primum libertatē, ut nullam deinde potestatem satan exerceat in animas fidelium Christo. Hoc est enim quod dicit dominus: Quando exaltatus fuero in cruce, omnia traham ad me. Exaltatus attraxit latronem, attraxit centurionem, attraxit eos qui compuncti abscederunt mortuo domino, attraxit eos qui illum fideliter tractarūt ex fide, & propter spiritum sanctum discipulos omnes, per quos et orbē uniuersum, ut liquet, videns

Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificauit deum, dicens: Vere hic homo iustus erat.

Quæcunque hic gesta fuerant circa Christum, animaduertebat centurio, qui in hoc astabat cruci, ne quis uiuos tolleret e ligno. Ab hoc quoque tulit innocentiae testimoniū Iesus. Glorificauit enim deum, qui tantā uirtutē in eo declarasset, & ait: Vere iustus erat hic homo, uidelicet Iudæorū iniustitiā palam condemnans. Quisquis enim innocentem pronunciat qui condemnatus est, is notentem facit qui damnauit. Per hunc autem centurionem fides ecclesiæ desinitum & dei filium tacente synagoga, confirmat.

Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculū istud, & uidebant quæ fiebant, percutientes pectora sua, reuertebantur.

Reliqua multitudo tota eorū qui ex more uenerant ad supplicij spectaculū (plures autē attraxerat Iesu uel studiū uel odium) uisis his quæ contigerant, reuertebantur percutientes pectora sua: partim præ dolore, quod homo tam innocens ac beneficus tam indigna passus esset: partim metu uindictæ diuinæ, quæ sibi male conscj, ex ostentis cōspectis suspicabantur imminere secundum prædictiones illius, quas fœminis lamentantibus retulerat exiens ad locū crucifixionis: quem enim in uita uiderāt humilem & aspernabilem, eum in morte uiderunt potentem, adeo ut omnia rerum elementa sese concuterent. Hic illud rursus animaduertendum semper, in Gentibus plus inueniri bonæ mentis, quæ in Iudæis, qui sibi præ cæteris pietatis ac sanctimonix laudē uendicabant. Centurio deum glorificat, Iudæi tantum metuunt uindictam, prodigijs territi, qui tor beneficijs uinci non poterant.

Stabant autē omnes noti eius à longe, & mulieres quæ secutæ erant eum à Galilæa hæc uidentes.

Qui cognatione contingebant Iesum, aut qui familiares illi fuerant in uita, cōstitebant eminus, spectatores eorū quæ gerebant, præ metu nō audentes proli illius accedere. Inter hos erant & mulieres, quæ studio ministrandi illi ac discipulæ, quæ iam omni spe destitutæ, nihil aliud quæ mœrebāt, Ioan. cap. 19, habet sic: Stabant iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris, &c. Et discipulum quæ diligebat uidebat Christus cui matrem commendauit. Potuit infra tantum tempus quispiā accessisse propius, cum cessasset comprimens turba & abiens, uel non tam longe abfuisse de cruce, quin potuerint uidere eum & audire, ut uaria consideratione utrumque dici possit, & longe stetisse suos & propius.

Et ecce uir nomine Ioseph, qui erat decurio, uir bonus & iustus, hic non consenserat consilio & actibus eorum, ab Arimathæa ciuitate Iudææ, qui expectabat & ipse regnum dei, hic accessit ad Pilatū, & petijt corpus Iesu: et depositū inuoluit sindone, & posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.

Multis igitur argumentis cognita certa domini morte, ne quis causari posset aut hominē uerū non fuisse, aut non fuisse uere mortuū, ecce offertur per quæ officij sepulturæ dominicæ peragat, quam Iesus uoluit esse mundā & honorificam. Vita fuerat humilis & mitis, mors efficax, sepultura magnifica, resurrexio gloriosa. Cōmodum igitur id temporis offert sese quidā nomine Ioseph, ori

Matth. 27. 62

Marc. 15. d

Ioan. 19. 42

undus è ciuitate Iudææ Arimathæa, uir bonus & iustus, ex eorum numero qui expectabant regnum dei. Hic tamen si esset ex primoribus populi (erat enim nobilis decurio) tamen nunquam consenserat consilijs ac factis sacerdotum, scribarum ac primatum populi. Licet ob potentiam eorum qui Iesum oderant non auderet profiteri studiū animi sui. Nondū enim datum erat robur illud per spiritū sanctum, ut contemptis omnibus, Iesu nomen profiteri possent. Cæteris itaque discipulis metu territis, solus Ioseph unā cum Nicodemo audet officiū sepulturæ sibi sumere, siue quia à morte crescit in bonos uiros studium, siue quia inuidiam Iudæorum iam esse morte saturatam. Proinde adit Pilatum, cui ob nobilitatē notior erat, & ab eo petijt corpus Iesu. Pilatus non prius donauit quam ex Centurione cōpertum haberet iam esse mortuum. Accepit corpus Iesu, & de cruce depositum, deinde unguētis oblitum, inuoluit syndone, nihil interim sperans de resurrectione, de qua Iesus paucis tantū discipulis suis significarat, quamquam frequentius, sed ita ut tum meminissent magis quam crederent. Quoniam autem Iesum existimabant uirum bonū fuisse, præterquam meritū occisum, memoriā illius uolebant magnifica sepultura honorare. Itaque reposerunt corpus in monumentū, quod in horto uicino erat, excisum è solido lapide, nouū, in quo nullus adhuc sepultus fuerat. Hæc quā id temporis casu geri uiderent, tamen diuino cōsilio gesta sunt omnia, ne Iudæi causari queant sepulchro perfollo, sublatum aut permutatum corpus.

Et dies erat parasceues, & sabbatum illucescebat. Subsecutæ autem mulieres quæ cum ipso uenerant de Galilæa, uiderunt monumentū, & quemadmodū positū erat corpus eius. Et reuertentes parauerunt aromata & unguenta; & sabbato quidē siluerunt secundum mandatum.

Dum hæc aguntur, erat dies parasceues, quod eo die præpararent quæ ad celebrandum sabbatū erant necessaria, ne qua re uiolare cogentur otium sabbati. Mulieres autē quæ procul spectarant Iesum in cruce, sequuntur eundem ad sepulturā, ne nescirent ubi esset reconditū corpus Iesu, & quo loco, quōue apparatu positū, ut agnoscerent reuersæ. His rebus diligenter aspectis, domū redeunt, & apparant aromata & unguenta, quo suo tempore condiant corpus domini, tamen iam utcumque per Nicodemū fuerat oblitū myrrha. Sed mulierū pietas aliquid pretiosius uolebat adiungere defuncto. Dominus autē ideo passus fuerat sibi infundi alabastrū unguenti pretiosi, quod harū unguenta non esset expectaturus: quarum pia sedulitas tamē profuit ad confirmandā resurrectionis fidē. Dum enim quærūt unguendū mortuum, cōperiunt uiuū. Post solis autē occasum, iam incipiebat sabbatū celebrari, & solennis haberi illa dies, & incipere festū, quod est illucescere sabbatū. Vsq; ad uesperā diei sequentis cōquiescunt iuxta legis præscriptum, quod sabbato nefas erat operari. Rursus à solis occasu perficiunt quod cœperant in apparandis unguentis & aromatibus ante præteritam uesperā. Eodem tempore dominus suum sabbatū peragit cōquiescens in sepulchro. Peracto iam opere salutis die sexta, in die parasceues, ut intelligemus remus per eundem esse restitutum genus humanum, per quē fuerat cōditum. Mundi fabricam absoluit die sexto, septimo die requieuit in monumento, donec nec inciperet octauus, quē Iudæi nesciūt, Christiani adorant: is est dies immortalitatis, quā iam nō sese uicissim excipient requies & lassitudo, opus & otium, sed erit lætitiæ sempiterna, neque nox diem, nec dies noctem excipiet, sed lux lucebit p̄ijs perpetua.

Mina autem sabbati ualde diluculo, uenerunt ad monumentum, **A** portantes quæ parauerant aromata, & inuenerunt lapidem reuolutum à monumento. Et ingressæ non inuenerunt corpus domini Iesu. Mar. 16. 1. d
Ioan. 20. 1. d

Quod ab opere cessarunt foeminae, datum est sabbati religioni. Caeterum si mulatq; licebat ad opus redire, statim ab occasu solis diei sabbati uel Saturni in opere pio, sed superuacaneo, uigilabat mulierum sedulitas. Nam eo die qui prius est à sabbato, hoc est octauo à toto peracto sabbato, qui dicitur hic una sabbati, id est prima, dominica nempe die uel solis, admodum diluculo properant ad monumentum, deferentes secum quæ parauerant aromata; nimirum ut hunc supremum honorem impenderent ei, quem uiuum dilexerant, quum iam non sperarent resurrecturum. Os autem monumeti oclusum fuerat ingenti saxo, quod uix à multis uiris amoueri potuisset. Additum erat signaculum, id curatum est à pharisæis & scribis, ne quis clam suffurari posset corpus exanime, & uanum spargere rumore, eum reuixisse, qui nusquam inueniretur.

Et factum est, dum mente cõsternatae essent de isto, ecce duo uiri steterunt secus illas in ueste fulgenti. Cum timerent autem, & declinarent uultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quæritis uiuentem cum mortuis: non est hic, sed surrexit.

Mulieres dum anxie circumspiciunt quomodo posset amoueri saxum, subito uident sublatum, & aditum monumenti patere. Ausæ sunt ingredi: pietas addiderat audaciã sexui. Ingressæ non inueniunt corpus domini Iesu. Ea res quum uehementer consternasset illarum animos, quod repete amoto lapide spem bonam conceperant, rursus demirabantur quomodo sepulchrum potuit esse uacuum, quod modo uiderant clausum & obsignatum; de repente adstant eis duo angelus, specie iuuenili, facie læta blandaq; ueste, fulguris in modum relucente. Hæc ipsa species angelorum resurrectionis gloriosum triumphum præ se ferebat. Porro quum mulieres nouo spectaculo expauesactæ, uultum & oculos deflecterent in terram, non audentes contueri maiestatem uisionis humana natura sublimioris, illi placido blandoque alioquin subleuãt attonitarum animos. Quid, inquit, conditus erat, quum esset mortuus: nunc quomodo reuixit, nõ est in sepulchro, ubi quiescunt mortui, sed surrexit, & uiuus inter uiuos ambulat. Prædixerat se moriturum, prædixerat & tempus & genus mortis, sed idem prædixerat se tertio die reuicturum. Mortuum esse creditis, quia uidistis, credite & reuixisse. Nõ enim hic sefellerit uos, qui in altero uera prædixit. An mœror & animi perturbatio uobis omnium quæ prædixit ille, induxit obliuionem?

Recordamini qualiter locutus est uobis, quum adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & tertio die resurgere. Et recordatae sunt uerborum eius. Et regressæ à monumento, nunciauerunt hæc omnia illis unde **B** Matth. 17. d
Marc. 9. e
Supt. 9. e

Redeat, inquit angeli, foeminis uobis in memoriam, quam nihil horum quæ gesta sunt non prædixerit uobis quum adhuc esset in Galilæa. Prædixit enim sic esse definitum consilio patris, ut ad salutem humani generis filius ho-

minis traderetur in manus peccatorum, ut accusaretur, caderetur, ac ludibrijs omnibus exponeretur, denique in crucem sublatus occideretur, sed idem reuultus sceret tertio die à morte. Agnoscite tempus, sub uespera parasceues depositus est de cruce, & in monumento hoc conditus. Is primus à morte dies supputatur. Sabbatum totum conquieuit in sepulchro. Nunc tertij diei diluculum est, quem ille simul exoriens ab inferis, toti mundo lætum, faustum ac festiuum esse uoluit. His dictis euanuerunt ab oculis angeli. Mulieres autem ex admonitu angelico reducunt in memoriam uerba domini Iesu, quibus & mortem & resurrectionem discipulis suis prædixerat. Itaque relicto monumento, properant ad undecim apostolos, ceterosque discipulos, qui ob metum Iudæorum sparsim collecti latitabant, obliti & ipsi ferè omnium quæ dixerat Iesus, ac propemodum desperantes, eisque nunciant quæ uiderent, quæque audissent ab angelis. Prima mulier à serpente decepta, uirum pellexit ad culpam: piæ mulieres edoctæ ab angelis, uiros inuitant ad credulitatem. Itaque ne sexus ob transfusam in uiros mortem perpetuo male audiret, unde mortis occasio primum prodierat, inde proficitur & uita reddita lætissimus nuncius.

Erat autem Maria Magdalene, & Iohanna, & Maria Iacobi, & ceteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad apostolos hæc. Et uisa sunt ante illos sicut deliramentum uerba ista, & non crediderunt illis.

Porro mulieres quæ hæc annunciabant apostolis, erant Maria Magdalene, non soror Lazari, sed quæ cum Christo uenerat à Galilæa, quæ fuerat peccatrix, à qua eiecerat demonia, quæ Christum fuerat cum reliquis semper secuta. Iohanna fuerat uxor Chuse Herodis procuratoris, uidua deuota, & Christi discipula. Maria Iacobi minoris mater, quæ & soror dicta Mariæ matris domini. Aliæque nonnullæ quæ cum his solitæ sunt comitari dominum Iesum. Ceterum ob rem incredibilem, quam nunciabant, sexus infirmior non inuenit fidem apud apostolos, quos ideo dominus passus est esse tardiores ad credendum, ut pluribus argumentis confirmaretur resurrectionis dominicæ fides. Itaque quod illæ narrabant de subito conspectis angelis, de repente sublato lapide ab ore sepulchri, uisum est apostolis ac discipulis muliebri deliramentum, quod is sexus ob mentis imbecillitatem imaginatione uitata credat se nonnunquam uidere quod non uidet, & audire quod non audit. Sic incredibile uidebatur hominibus resurrectionis miraculum.

Petrus autem surgens, cucurrit ad monumentum: & procumbens uidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans quod factum fuerat.

Quamquam autem non crederent esse uerum quod narrabant mulieres, tamen eò profecit illarum asseueratio, ut Petrus surgens procurreret ad monumentum, & immisso capite prospiciens, non reperit corpus, sed uidet linteamina quibus obuolutum fuerat corpus Iesu seposita. Ac ne sic quidem credidit reuixisse dominum, tam profunda ceperat illum obliuio eorum quæ dixerat Iesus, sed abiit à monumento, secum admirans quid accidisset, dubitans num quis corpus sustulisset à monumento: uariisque cogitans, à quibus, quone consilio id factum fuisset, quod corpore sublato uideret relicta linteamina, ueluti per otia detracta corpori, quæ sine negotio non poterant auelli, eaque non temere discussa, sed commode in suum reposita locum, semoto ab his sudario quo reclusum fuerat caput Iesu.

Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum

diorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emaus: & ipsi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant.

Accidit eodē die dominico, ut duo ex discipulis, quibus per mulieres nunciatum erat de sepulchro uacuo, quanquam illarum orationi non est habita fides, relicta Hierosolyma proficiscerentur in ciuitatem, cui nomen Emaus: abest autem ab Hierosolymis spatium stadiorum sexaginta, quæ faciunt septem miliarum & quingentos. Stadium enim facit octauam partem miliaris. Venit autem ab Emaus ad Ierusalem, in uia ab Ioppe euntibus Hierosolymam. Atque inter eundem uarios miscent sermones, ita ut sit, præsertim ubi quid mœroris est in animo. Erant enim morte domini uehementer perturbati, iamque prope modum animum desponderant, ac spem abiecerant. Tota autem confabulatio erat de Iesu, de quibus rebus omnibus quæ uiderant, quæque audierant superioribus diebus. Amauerant enim illum, ut uirum insignem & beneficum, & quanquam magna illa spes de restituendo regno Israelitico propemodum exciderat animo, tamen iuuabat etiamnum defuncti memoriam mutua confabulatione reficere. Confusis autem illorum animis ueluti somnus quidam obreperat, ut tanquam per somnum amarent, cuius obliuisci non poterant.

Et factum est dum fabularentur, & secum quærerent, & ipse Iesus apertim propinquans, ibat cum illis: oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent.

Tandem illis multa inter ipsos de Iesu commentantibus, & ultro citroque disserentibus, ecce lupus (quod dici solet) in fabula. Iesus enim qui promiserat se futurum in medio ubicunque duos comperisset de se colloquentes, etiam iuxta corporis præsentiam tum exhibuit, quod iuxta spiritum nunquam facere desinit. Tanquam uiator adiunxit se illis, & itineris socium præbuit, sed ignota specie: non quod non haberet idem corpus quod habuerat ante mortem, sed quod ita uolente Iesu impeditus sit illorum obtutus, ne quem cernebant agnoscerent. Felix sodalitiū, quoties duo nihil aliud confabulantur, nihil aliud disquirunt quam de Iesu. Felices quibus se socium Iesus dignatur adiungere. Quemadmodum autem adesse gaudet de se confabulantibus dominus Iesus, ita satanas adesse gaudet his qui miscunt confabulationes bonorum morum corruptrices, de libidine, de fraude, de uindicta, de superbia, de quæstu, de infamia proximi. Quoniam autem sic flagrabant amore Iesu, ut de promissis illius per humanam infirmitatem dubitarent, dominus illudens ad tempus illorum oculis, expiscatur quid sentirent de ipso: non quod illum quicquam lateret, sed ut ad nostram fidei confirmationem mederetur illorum incredulitati.

Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad inuicem, ambulantes, & estis tristes? Et respondens unus cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus?

Quinam sunt, inquit, isti sermones, quos inter eundem inter uos confertis, uultu interim tristitiam ac mœrorem animi significante? Solet enim & hoc letum mœrorem, si contingat in cuius sinum quo dolet effundamus. Habet autem illud humanus affectus, ut quod cuique ualde cordi est, putet nemini ignotum esse, & nemini non esse curæ. Ex hoc affectu respondet unus de discipulis, cui nomen Cleophas: Res omnibus est notissima quicunque uersantur Hierosoly-

mis, ex ea ciuitate quum tu quoq; uenias quemadmodum & nos, qui fieri potest ut tu solus ueluti nouus hospes hæc ignores hisce diebus illic acta, quæ nullus hominum ignorat?

Quibus ipse dixit: Quæ? Et dixerunt: De Iesu Nazareno, qui fuit uir propheta, potens in opere & sermone coram deo & omni populo. Et quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum; nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel:

Domínus Iesus quasi discere cupiens, quum docturus uenisset, respondit: Quæ nam sunt ista? Illi simpliciter uelut hospiti & rerum gestarum ignoto summam negotij exponunt, ingenue profitentes quàm nihil adhuc sentirent de Iesu dignum ipsius dignitate, quàm de resurrectione spem penè omnem abiecerint. De Iesu, inquit, Nazareno comentabamur, qui fuit uir eximius ac propheta potens & dictis & factis, non solum apud deum, cui erat charissimus, uerum etiam apud uniuersum populum, apud quem sibi miraculis doctrinaq; ac beneficijs suis summam comparauerat autoritatē. Hunc primarij sacerdotes populi nostri primores apud præsidem reum captis peregerunt, & in crucē denique adempturus populum Israeliticū, persuasi hunc esse Messiam à prophetis olim promissum. Sed mors certa & ignominiosa nobis hanc spem ademit.

D & nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris, terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, uenerunt, dicentes se etiam uisionem angelorū uidisse, qui dicunt eum uiuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum uero non inuenerunt.

Erat quoq; nobis iniecta nonnulla spes, futurum ut reuiuisceret post triduum, sed posteaquam damnatus est crucifixus & sepultus, hic hodie dies illuxit terris, ex quo hæc contigerunt, neq; quicquam affulget certioris spei, nisi quod mulieres quædam è sodalitate discipulorum illius nos nouo & inaudito nuncio magis etiam attonitos reddiderunt, quæ ante solis exortum profecta ad monumentum, negant se inuenisse corpus, addentes sibi apparuisse angelos, qui dicerent illum uiuere. Harum narrationi quum nemo fidem haberet, quidam è nostris abierunt ad monumentum periculum facturi, num quid haberet uerum muliercularum narratio. Et de monumento compererunt ita rem habere quemadmodum mulieres narrarant: reppererunt enim apertum ac uacuum, linteamina reliquasq; cadaueris exuias in monumento repositas. Caterum ipsum nuda quam inuenerunt.

Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt propheta: Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?

Quum hac narratione discipuli simpliciter declarassent quàm facillarent animo, quàm exigua spe essent de promissis domini, tum Iesus nondum quidē patitur agnosci se, sed ueluti doctior quispiam Iesu discipulus obiurgat illorum tarditatem, & castigat incredulitatem. O parum, inquit, dociles ad intelligendas scripturas, & corde difficili tardoq; ad credendum tot prophetarum oraculis, quæ

quæ de Iesu prodiderunt. Cur ista uobis nunc noua uidentur posteaquæ gesta sunt, quum hæc omnia tot retro sæculis gerenda prædixerint prophetarum uaticinia? Cur non illorū prædicta cum his quæ gesta sunt cõferatis? Nonne docent hoc aflatu cœlesti prodita scripturæ, sic fuisse uisum consilio diuino, ut Christus hæc omnia pateretur quæ passus est, & sic noua ratione per mortem repararet uitã, per crucem assereret regnũ, per ignominiam intraret in gloriam suam? Habet hic mundus suam gloriam, nec ueram, nec perpetuã. Eam qui parant, parant in anibus stemmatis, titulis, opibus, munificentia, fastu, strepitu uitæ, nonnunquã & extorquent ab inuitis. Christus autẽ gloriam suam, quam habuit ante mundum conditũ, longe diuersis rationibus asseret sibi apud homines, quo cunctis mortalibus ostendat, qua uia sit grassandũ ad uerã nec unquẽ intermoriturã gloriam. Hac de re cũ tam multa docuerit Moses, quũ tam multa prædixerint prophetae, uos adhuc adeo crassæ mentis estis, ut Messia ducẽ expectetis curribus, equis, elephantis, ferratis copijs, balistis, catapultis, testudinibus, onagris, incendijs, cæde, sanguine sibi regnũ mundanum occupantem? An nondum sentitis scripturam esse spiritualem, ac Messiaẽ potentiam non constare præsidijs, quibus huius mundi principes sibi regnũ uel asserunt uel dilatant, sed uirtute cœlesti? Quin potius excutitis scripturas quæ iam de Christo multa prædixerunt, easquẽ cõferatis cum his, quæ Christus ipse de se prædixit discipulis suis, quæquẽ ut prædixerat euenerunt? Ita fiet ut nec in his quæ acciderunt quicquã uideatur nouum, & de his quæ promisit in posterum non sit quod diffidatis.

Et incipiens à Moysẽ, & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant.

Cum hac obiurgatiuncula dominus reddidisset eos attentiores, enarrauit illis scripturas omnes, quæ palam prædixerunt hoc futurũ in Christo quod iam euenerat, ostendens tantum esse uaticiniorum, figurarum & euentorũ concidentia non credere. Exorsus est autẽ sermonẽ suum à Mose & prophetis, post hæc oibus diuinæ scripturæ uoluminibus aliquid decerpens, quod fidẽ astrueret ijs quæ acciderant, ac fidẽ præstrueret ijs quæ post essent uentura. Atquẽ hæc omnia inter sese sic contulit, ut res esset dilucida. Felices illi qui meruerunt cœlestem doctorem audire enarrantem ea quæ prius per prophetas ipsius afflatos spiritu prodiderat. Ad longum hoc loco Erasmus hic noster hanc Christi domini confabulationem prosequitur eleganter ad uersuum octies centena. Nos te Lectorem remittimus ad originalia uolumina legis & prophetarũ, quorũ sententia satis clare prostat studioso, pio, fideli Christianoquẽ Lectori, si quis ea perlegere dignetur, ut discat quæ pro Christiana fide certissima cõtra Iudæorũ stolida errores produci possunt, qui contendere non cessant Christũ semper uenturum, nunquã uenisse admittunt, nisi se totius mundi dominos tẽporales aspiciant, & temporale Christi sui regnũ assequantur in hoc mundo. Indigni quibus cum de his rebus sermo habeatur, qui æquis auribus Christum audire non possunt, uel illius professores aut euangelii, donec auferatur uelamẽ ex oculis eorũ, quod quando futurũ deus nouit. Sperandum tamen id futurũ, quũ primũ Christianitatẽ uiderint reformatã in fide, moribus, statibus et personis, id quod optandũ potius nobis sit, quẽ ut nostro sæculo tam corrupto nobis sit sperandum. Hic autem domini Iesu prolixior sermo haud dubie non tantum aures feriebat discipulorum, uerum etiã animos penetrabat, ac sic illos occupabat, ut nec uias

sentirent laborē, nec faciem loquentis agnoscerent, nec ueniret ipsis in mentē, ut apud sese cogitarent, Quis est iste cui sic in promptu sunt scripturæ sacræ, doctrina tota, & uita Iesu, quiq; nos tam efficaci sermone suspendit & afficit? Hunc inter discipulos nunquam uidimus, & tamen nihil illum fugit. Amabāt tantum tanquam per somnium, et Iesum ex ipso Iesu discere gaudebant. Numquam enim discitur felicius, quàm cum ille nos dignatur docere seipsum.

E Et appropinquauerunt castello quò ibant, & ipse finxit se longius ire. Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum (Domine) quoniam aduesperascit, & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis.

His atq; alijs sermonibus itinere peracto, iam appropinquabant oppidulo, cui nomen Emaus. Iesus autē quo magis accenderet illorū desideriū, præ se ferebat quasi nollet in Emaunte cōmorari, sed lōgius adhuc proficisci. Nā illi ueluti desperātes reliquerant Hierosolymā, seseq; in patriā recipiebāt: quū hi qui semel uere crediderūt Christo, nō habeant hic manentē ciuitatē, sed pperuo itinere pperent ad illā cœlestē. Discipuli uero quoniā auelli nō poterāt a tā facundo comite, rogant, obsecrant, obtestantur, deniq; precibus improbis reculantē cōpellunt, ut eam noctē apud ipsos diuersaretur. Iam dominū appellantes, nō quod cognoscerēt esse Iesum, sed quod ex admirabili cōfabulariōe satis conicerent illū non esse uulgarē uiatorē. Dicebant autē: Dñe, prebuisisti nobis hætenus iucundū & amicū uia comitē, præbe nobis & hospitem. Cur te cōmittis itinere longiorē iam appetit uespera, & sol uergit ad occasum. Merito noctē oderunt qui diligunt Iesum. Amat autē rogari, ut id faciat quod facit libenter: partim ut det promerentibus & dignis: partim ut nos doceat beneficiū etiā ingerendum & obtrudendū egenti pximo. Quidā enim sic offerūt beneficiū, quali metuant ne nō recuset cui defertur, & eo uultu dāt ut uideant inuite dare. Ingressus est itaq; oppidū, nec grauatus est illorum uti hospitio. Illi læti tanto hospite, quum exhibuissent quicquid gratis hospitibus solet exhiberi, apparauerunt & mensam, proq; sua tenuitate quod habebant apposuerunt. Frugalī erat apparatus, sed ante omnia uultus accessere boni, animo syncerissimo respondentes.

Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum: & ipse euauit ex oculis eorum.

Postq; dominus Iesus accubuisset cū illis, accepit panē, &c. Hunc morē quoniā sciēbant esse Christo familiarē, ut ante cibū ageret patri gratias, deinde suis manibus fractū partiret in discipulos, duo discipuli tanq; expergefacti, ceperunt cogitare de Iesu, mox sublato impedimēto, quod hætenus obstitit quominus agnoscerēt eū, agnouerūt illū esse Iesum. Dūq; subitus quidā stupor corripuit illorū animos, Iesus euauit ex illorū cōspectu. Paulatim enī ac parce faciebat sui corporis copiā à morte, uel q; imbecillitas humana nō ferret cōspectu, quod ui corporis maiestātē, uel ut sensim asuescerent carere corporis cōspectu, quod mox esset abducendū, quo iā amarent illū iuxta spiritū. Porrò non agnoscerūt lesum nisi in domo, quæ est ecclesia, non agnoscerunt nisi ipso porrigente panē sermonis euāgelici. Is enim aperit oculos quibus agnoscitur Iesus. In uia fregerat ac porrexerat illum panem mystice, quum illis apperiret scripturas. Et quod illi iam melius ipsum uidebant quàm tum cum esset corpore præsens, Tenebantur oculi quia non credebant, nunc absentem uident oculis fidei.

Et

funda iam uespera sese conspicuū reddidit, blanda salutatione cōpellat illos, dicens: Pax uobis, ego sum, nolite timere. Hæc oratio quanquā merito debebat omnē propulsare formidinem, tamen erat tanta quorundā discipulorū imbecillitas, uti metu exanimati atq; expauesacti, non crederēt esse Iesum, sed existimarent sese uidere spiritū. Viderant paulō ante mortuū ac sepultū, uidebant illū non ingressum per ostiū, sed subito apparuisse. Itaq; non potuerunt sibi persuadere corpus esse Iesu quod uidebāt, sed spiritū. Vulgus enim narrat huiusmodi fabulas, spiritus defunctorū nonnunquā apparere quibus uolunt, ac speciem quidem quandam corporum exhibere mortalium oculis, ceterum non habere solidum ac uerum corpus. Inter hos erat Thomas, qui negarat se fidem habiturum discipulis narrantibus quod uidissent dominum nisi digitis immisis in latus explorasset omnia uestigia clauorum & lanceæ.

Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendūt in corda uestra: Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum: palpate et uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus & pedes.

Dominus Iesus ut certā fidem oībus se & uiuū esse, & uerū gestare corpus, nec aliud corpus q̄ quod antē gestauerat, ait illis: Quid adhuc uelut spectum expauescitis, quū me conspiciatis oculis, & formā agnoscat, quū audiat uocem uobis notā ac familiarē; & tamen adhuc diffidentē cogitationes, obortunt animis uestris, quales solent uulgo uentre in mentē. Satisfacite oībus sensibus uestris: contēplemini manus & pedes, habent manifesta uestigia clauorū: contrectate latus, habet lanceæ uulnus: palpate corpus, ad mouete oculos, & desinate suspicari spiritū. Spiritus enim nec carnē habet nec ossa, quæadmodū conspiciatis me habere. Quod ingressus sum foribus clausis, quod quū uolo cōspicior, cū uolo sum incōspiciuus, nō est prestigiū, sed dos corporis iā immortalis facti. Talia erūt et uestra corpora post resurrectionē. His uerbis quū Iesus exemisset illis pauorē, et animos addidisset, exhibuit eis inspiciēdas manus ac pedes, aperuit latus ut contrectarent manifesta uulnerū uestigia. Nā ea dominus seruare uoluit in corpore glorioso, ut his argumentis apud suos assereret corporis huiusmani ueritatē, simulq; & olim in extremo die exprobraret Iudæis suam incredulitatem, iuxta prophetiam quæ dicit: Videbunt in quem compunxerunt.

Adhuc autē illis nō credētib; & mirātib; præ gaudio, dixit: Habetis hic aliquid quod māduceatur? At illi obtulerūt ei partē piscis assi, et fauū mellis. Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis.

Quum etiam tum essent qui nondum plane crederent esse corpus idē quod uiderant mortuum, sed ebrietas quædam lætitiæ teneret illorum animos, ut nec suis oculis, nec auribus, nec manibus satis fiderent (timemus enim nonnunquā credere quod miserè optamus esse uerum, metuētes ne nos ipsos in falsum concipiamus gaudium, quo mox simus spoliandi) Iesus non dedignatus omnibus argumentis illorum incredulitati mederi, ne quid in nobis resideret diffidentia, ait: Habetisne hic quippiam quod possit edī? Nullum enim certius argumentū hominis uiuū quā cibum capere. Et ideo dominus Iesus puellæ reuocate in uitam iussit dari cibum: similiter & Lazaro. Non quod esurituri simus resuscitati ad immortalitatem, sed ut discipulis suis pro tempore probaret corporis huiusmani ueritatē. Complures illuc aderant discipuli, & tamē admodum exiguus erat comeatus. Itaq; quod habuerunt ferunt, partem piscis assi et fauum mellis. Iesus

Iesus autem in conspectu omnium comedit ex his quæ appositæ sunt. Quorumque iam omnibus illorum sensibus fidem fecisset, se non esse phantasma, sed uerum ac uiuum hominem, eundem quem antea uiderant & uiuentem & morientem, redit ad scripturas sacras, quibus erat habenda fides, etiam si sensus hominis reclamarent.

Et dixit ad eos: Hæc sunt uerba quæ locutus sum ad uos cum adhuc essem uobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quæ scripta sunt in lege Moysi, & prophetis, & psalmis de me.

Mirari, inquit, non oportet quæ uidetis esse facta. Nescit mentiri scriptura celestis afflatu spiritus prodita. Quicquid hæctenus factum est, id prædictum & præfiguratum erat in libris Moysi, in prophetis, in psalmis. Nam ego sum ille quem Mosaica legis figuræ denotabant, Ego de quo tam multa promiserunt sancti prophetae, Ego cuius exortum, progressum & consummationem describunt psalmi mystici. Neque minore fide præstabuntur & reliqua omnia, quæ in iisdem scripturis prædicta sunt de reditu in cælum, de mittendo spiritu celesti, qui uos hoc corpusculo sublato, reddet firmiores de euangelio per uniuersum orbem spargendo, de supremo fine mundi huius. Hæc sunt quæ uobis toties inculcaui quum adhuc mortalis agerem inter mortales, tum ea non infederant animis uestris, nunc non potestis addubitare, posteaquam uidetis mea dicta consentire cum arcanis scripturis, & rerum euentus cum utrisque. Hæctenus pro tempore indulsi imbecillitati carnis uestræ, & crassis argumentis ingessi uobis rei ueritatem: post hæc proficite ad spiritualem intelligentiam scripturarum, ibi me posthac uidebitis, ibi me audietis.

Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas, & dixit eis: Quo G
niam sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis *Psalm. 118. 6*
tertia die, & prædicari in nomine eius poenitentiam & remissionem
peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma. Vos autem
estis testes horum.

Quoniam mystica literæ non intelliguntur nisi deus aperiat mentem: ideo Iesus aperuit illis oculos cordis, ut quod scriptum esset, legerent, crederent, & intelligerent. Non enim intelligit nisi qui credit. Hoc, inquit, ordine uisum est patri restituere genus humanum, & quod ille decreuerat, ipsius afflatu proditum est re, quia decreta dei sunt immutabilia, & sacrae scripturae tam nesciunt mentiri, quam ipse spiritus, cuius afflatu prodita sunt. Per mortem & ignominiam crucis iter erat ad gloriam. Resurgendum erat tertio die, ut sciretis uos habere dominum & patronum uiuum, posthac non moriturum. Is relatus in cælum, inueniet uobis spiritum celestem, tum oportebit in nomine Christi Iesu prædicari poenitentiam anteaactæ uitæ, & sine Mosaicae legis obseruatione remissionem omnium peccatorum. Ea donabitur omnibus per solam fidem euangelicam. Ego dependi poenam omnium nomine, tantum credant, & gratis assequentiur innocentiam. Hæc autem oportet prædicari non solum Iudæis uerum etiam uniuersis mundi nationibus, sed ita, ut ab Hierosolymis sumatis initium. In Iudæa natus sum, illic ædidi miracula, Hierosolymis docui ac mortem obij: apud hos inuenietis animos, iam multis modis ad fidem preparados. His redigetis ad memoriam quæ uidistis & audistis. Meam doctrinam quam acceptam à patre tradidi, transfundetis in illos. Reclamabit mundus uestro testimonio, quem ad modum mihi perpetuo reclamabat.

Act. 1.4
Ioan. 15. d

Et ego mittam promissum patris mei in uos: uos autem sedete in ciuitate, quoad usque induamini uirtute ex alto.

Ego, ut dixi, mittam uobis à patre spiritum, quem olim per prophetas missum esse promissit, loquens per os Ioelis: Et erit posthac effundam spiritum meum super omnem carnem, et prophetabunt filij uestri & filia uestra. Quem optauit & sanctus Dauid, dicens: Emitte spiritum tuum & creabunt, & renouabis faciem terræ. Is reddet uos fortes & inuictos aduersus omnia mundi uirtutum menta. Idem addet eloquentiam, cui nemo poterit contradicere: addet uirtutem ad ædenda miracula, ut sit efficax uestrum de me testimoniū. Vos interim conquietescite, simulque congregati sedete in hac ciuitate Hierosolyma, ecclesie nascituræ concordiam auspicientes, uosque inuicem sanctis colloquijs exhortemini, deprecantes & gratias agentes deo, donec è sublimi ueniat ille spiritus qui uos instruet uirtute roboreque cœlesti.

Act. 1.4
Marci. 16. d

Eduxit autem eos foras in Bethaniam: & eleuatis manibus suis, benedixit eis. Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. Et ipsi adorantes regressi sunt in Ierusalem cum gaudio magno, & erant semper in templo laudantes & benedicentes deum.

Postquam dominus Iesus uarijs argumentis confirmasset ueritatem resurrectionis suæ, adduxit discipulos suos in Bethaniam. Iamque abiturus in cœlum sublatis manibus benedixit illis, & in hoc patriarcharum ac Mosi referens exemplum. Atque interea dum bene precatur suis discipulis, sublatus est à terra, & in omnium conspectu ferebatur in cœlum. Discipuli uero procumbentes adorauerunt dominum, oculis illum, quoad licuit, prosequentes. Magis autem animis persecuti sunt posteaquam corpus oculis ademptum est. His ita gestis, reuersi sunt Hierosolymam, quemadmodum præceperat dominus. Reuersi sunt autem cum ingenti gaudio: iam enim fides excusserat omnem meorum, & certata spes promissorum addebat alacritatem. Interea frequentes erant in templo,

iam tunc euangelicas uictimas immolantes, laudibus ferentes diuinam benignitatem erga genus humanum, et gratias agentes ei qui tanta beneficia decreuisset per filium suum gratis largiri mortalibus.

lium suum gratis largiri
mortalibus.